



JO: DOMINICI PUTIGNANI
E SOCIETATE JESU

DE REGULARIUM INSTITUTIONIBUS

PARS PRIOR.

AD SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM

CLEMENTEM XI.

PONTIFICEM MAXIMUM.





NEAP. Ex Typographia Michaëlis Aloysii Mutio. 1713.
SUPERIORUM FACULTATE.



Sanctissimo Domino Nostro

CLEMENTI XI.

PONT. MAX.

Joannes Dominicus Putignanus

E' SOCIETATE JESU.

Felicitatem:



UM plures essent causæ, B. P., eæque justissimæ, cur meum hoc de Regularium Institutionibus Opus S. V. nuncupandum intelligerem, idque adeò vehementer optarem; nescio quo tamen pacto incitationem hanc desiderii mei

retardabat ea ipsa cogitatio, quæ stimulos potiùs cunctanti addere debuisset, inque ancipiti deliberatione omnem dubitandi locum eripere. Si enim Operis ipsius argumentum, & ratio spectetur, quis ex toto hominum genere optandus mihi erat nisi CLEMENS XI., qui sui Majestate nominis illud idem foveret, utque rem suam, sartum, tectumque præstaret? Siquidem Summo in terris Christiani Gregis Pastori, cum omnis æquè subsit Ecclesia, latè per omnem terrarum ambitum diffusa, tum ipsi præsertim Regularium Ordines, arctiore quodam Sacramento devincti, non tantùm subsunt, sed in partem quasi Pastoralis sollicitudinis adsciscuntur, in excubiis ubique vigilant, lupos ovili minitantes abigunt, devias oves quærunt, inveniunt, reducunt. Quare si eorum leges, atque instituta, Deo inspirante, ab Sanctissimis profecta Viris, non alio quàm Sedis Apostolicæ calculo probata sunt; Si eorum doctrina ut lux Mundi, eorumque virtus ut Sal terræ, illustran-

ſtrandis, atque condiendis hominum animis ab Romano Pontifice adhibetur, ſi denique circumornata ipſis Eccleſia, in tam diverſa vivendi ratione, ac veſtium varietate, Sponſo ſuo cęleſti formoſior, atq; ſimilior apparet; non erat certè mihi diutiùs deliberandum in hujus Operis editione, quem illi potiſſimùm velle Auſpicem, atque Patronum, cum ſua ſpontè, ſuoque jure ad Sanctitatem Veſtram confugeret, ac velut ad ſuum fontem rediret, ad eamq; reverteretur Sedem, undè omnium Regularium Inſtitutionum auctoritas, eorumdemque Ordinum Sanctitas, atque diſciplina promanat. Verùm hæc ipſa cogitanti mihi mora, metuſque injiciebatur, cum ſummam hinc revererer S. V. auctoritatem, Divinæque apud homines Majeſtatis imaginem, ad quam propiùs accedere ipſa me obſequii ratio vetabat; hinc omnigenam illam ſuſpicerem, celſiſſimoque Pontificatus apici parem ſapientiam, ex qua verendum erat, ne illud in me caderet, quod ajunt, *noctuas Athenas*, ſi ſapien-

pientissimo Hierarchæ, atque ut Christiani Orbis, ità litterariæ Reipublicæ Præsidi, tenue hoc ingenii munus offerrem. Sed vicit tandem pudorem fiducia, hæque ipsæ trepidationis causæ auxere animos; Quid enim summæ venerationi erga sacratos Principes insitum magis, quàm tutelarem ab ipsis opem sibi, suisque liberis implorare? Hoc enim pacto vel ipsum Deum impensiùs homines colunt, plusq; illi honoris tribuunt, qui misericordiam precibus rogant, quàm qui thure adolent Divinitatem. Quid verò etiam si ab eo Principe favor, & gratia quæratur, cujus profusam benignitatem nemo alius ignorare queat, nisi qui fortasse nunquam supplex adjerit, neque viderit hilari semper benignoque vultu, & singulos, & singulorum causas, prævertente preces juvandi studio, excipientem? Experiri coram libuit, quæ de hujusmodi S. V. clementia, & facilitate sæpè absens audieram. Cum primùm accessi, debitæque adorationis osculum, sanctissimis tuis pedibus defixi,

pa-

parùm abfuit, quin facro ftupore captus exclamarem, ingentiorem Te mihi videri præfentia, quàm fama. Hæc enim cum tanta fit, ut omnium ubique pervaferit animos, longè tamen, adhuc diftat ab ea effigie clementiffimi Principis, quàm propiùs ipfe intuebar. Quid plura? Votis ultrò annuens; & ultrà vota, exorari multis non patiebare; cumque nulla re magis homines ad Deum accedant, quàm benefaciendi voluntate; tam prona hæc, atque velox in Te fuit, ut non tam ad eum gradum fummi honoris, quàm illa ipfa beneficentiæ fpecie, proximè videreris accedere. Nec pauca mihi obverfantur, in hoc ipfo genere patrocinii, tuæ benignitatis exempla. Novi enim complures ætatis noftræ Scriptores, nullum aliud laborum fuorum folatium, nec aliam vigilatis ad lucernam noctibus poftulaffe mercedem, quàm præfixum libris fuis CLEMENTIS XI. nomen, hoc eft fummæ auctoritatis nomen, atque fapientiæ. Quos cum ipfe omnes perhumaniter exceperis, non

vana

vana indè mihi ſpes affulſit, Opus hoc de Regularibus, ab ejuſdem profeſſionis homine utcunque concinnatum, paterno Te prorsùs, eorum omnium Parentem, excepturum amplexu. Quod quidem ab ejus nominis hoſtibus nemo tueri debebat alius, quàm ille Pontifex, qui divini, humanique juris peritiſſimus, non modò, ut cæteri Principes, jura, legeſque omnes in ſcrinio pectoris habet, ſed quoties uſus poſtulat, pro ſua facultate, atque ingenii felicitate, illas profert, explicat, interpretatur, proque variis rerum, ac temporum articulis, quas preſertim inculcare deceat, per opportunè roborat, atque confirmat. Quid quod in tui norma Principatus habent Regularium Ordines quotidianam, ſpirantemque legem, ad quam exigant diſciplinæ ſuæ, vitæque rationes? Et ſanè miraculo ſimillimum videtur, cum liberalitate, magnificentia, cæteriſque virtutibus optimi Principis, tantam in Te videri modeſtiam, innocentiam, temperantiam, tantum precandi ſtudium, tantam

è pu-

è publicis occupationibus in privato receptu commentandi, atque scribendi assiduitatem, eas denique omnes virtutes, quibus maximè religiosa in Claustris vita commendatur. Quid dicam de vigilantia, quam Regularium Ordinum incolumitati, & legum, quibus ipsi tanquam nervis reguntur, conservationi, ut optimus Pater familias, impendis? Quid de tuis in eorum subsidium largitionibus, deque paterno ergà singulos animo: quo fit, ut accedentes ad Te quoscunque regularis professionis homines, Tibi satis commendatos putes, cum eorum vitam noveris ab Instituti sui rationibus non differre? Quid tandem de relatis à Te in Sanctorum numerum regularium Familiarum alumnis, moxque aliis, ut sperare licet, referendis; deque adscitis ex earundem cætu preclarissimis innocentia, eruditione, dicendiq; facultate viris, quos in amplissimum Orbis terræ Senatum adoptaveris: planè ut videare, cum has honoris laureas, & illorum Sanctitati, & horum virtuti decer-

b ne-

neres, quoddam veluti ſignum ſuſtuliſſe ad cienda hominum ſtudia erga optimum vitæ genus, jis nempè legibus conſtitutum, quibus congruenter qui vivat, utramque adipiſcatur? Quidni ergo prodeat ſub auſpiciis tam lętis meum hoc Opus, Tibique B.P. nuncupetur, non tam ut tuo fruatur patrocinio, quàm ut teſtatum faciat apud omnem poſteritatem, quantum Tibi debeant Regularium Ordines, quos tot, tantiſque optimæ voluntatis ſignificationibus obſtrictos volueris. Perge porrò, ac perfice magni Pectoris cogitata, quæ ut in publicam Chriſtiani Orbis, & Regularium Ordinum felicitatem perficias, qui ſuas Tibi vices commiſit Deus, in tua incolumitate, communi Eccleſiæ tranquillitati proſpiciat.

CAN-



CANDIDO LECTORI.




PRO viribus, & pro meæ professionis vinculo, Candide Lector, non pro Operis dignitate, neque pro rerum omnium discutiendarum solertia Regularis Vitæ fundamenta, præcipuasque leges pertractandas suscepi. Scis sane, complures, pariterque doctissimos viros in idem argumentum, atque in hanc arenam descendisse, suis sudoribus, suoque pulvere decoros; ut vel Regularium hostes è proximo peterent, vel Regulares ipsos extimularent, instruerent, perficerent. Non enim cum uno hostium genere agendum nobis est, cujusmodi sunt Novatores, cæterique ejusdem fere farinæ homines in Regularium Ordines ingeniis, moribusque debacchantes; sed periculosior fortasse nobis hostis, qui nobiscum una adolescit, intestinoque, occulto tamen bello in momenta singula perurget, solutioris vitæ amor. Et alterum quidem hostium genus utpote apertius, & in quibus, etsi salis aliquid, plurimum fellis inesse semper consueverit, facili negotio aut declinamus, aut vincimus, aut contemnimus: alterum vero eo perniciosius, quo in speciem officiosius, amorem simulat, blanditiisque tandem prosternit. Verum quemadmodum olim Augustus, ut innuit Tacitus 1. Annal. Vultu, & aspectu Actiacas legiones exterruit, *& se metuendum magis, quam metuentem seditiosis militibus exhibuit; ita ego in hoc Opere suspiciendam Regularem disciplinam existimavi, ut sua majestate, sanctitate sua, suis freta viribus hostes quoscumque aspectu ipso non tam exterreret, quam devinciret, nullo in authores odio, sed charitate maxima; quicumque iidem sint: si vero secus in suscipiendis his laboribus non alia sane ratione, quam mea tum ingenii, tum styli imbecillitate accideret fructum tamen haud un-*

quam pœnitendum capiam: recolere hic, & admirari singulare ejusdem disciplinę beneficium, inter innumera alia à DEO O. M. collatum homini libebit, quibus munimentis, quibusve subsidiis insitam naturæ nostræ infirmitatem instaurandam curarit, vitamque totam in Divinæ Virtutis, & Cœlestium Spirituum imaginem transferendam. Cum Apostolo fateri libere præstat 2. ad Corinth. 10. *dummodo disciplinæ legibus morem geramus*: In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus; nam arma militiæ nostrę non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum. *Etenim de Divina Sapientia*, Galeno *jure merito philosophari licuit* lib. 3. cap. 3. de usu part. *cum humani corporis molem contemplatus, singularum partium structuram, usumque internosceret, sacrum exinde sermonem, pęana, hymnosque Summi Conditoris Sapientiam affatim celebrantes proferre testatus est*: Existimoque, *inquit*, in hoc veram esse pietatem non si taurorum hecatombas ei plurimas sacrificaverim, & casias, aliaque sexcenta odoramenta, ac unguenta suffumigaverim: sed si noverim ipse prius, deindè & aliis exposuerim, quænam sit ipsius sapientia, quæ virtus, quæ bonitas. Quod enim cultu convenientc exornare omnia, nihilque suis beneficiis privatum esse voluerit, id perfectissimę bonitatis specimen esse statuo, &c. *Potiori igitur nos jure obstringimur, maximis quibus possumus gratissimi animi significationibus, sublimiorem hanc in Regulares omnes Divinæ Beneficentiæ venam efferre, quod hominem ad terrenas cupiditates natura sua proniorem, & corporearum partium compage numeris quamvis omnibus absolutum organum, cum brutis nihilominus commune, in concentum plane cœlestem religiosis reformarit legibus, nihilque quod mortale, ac fluxum sit, in fluxo, ac mortali corpore sapiat is, si velit, effecerit? Sua sane magnitudine tutus Regularis, tanquam ex editiore statione dum Seculi inanitates prospicit, proculcandas proculdubio affirmat, & dum seculares homines inhiantes, desudantesque, simulque in horas omnes miserè catenatos intuetur, miseratione permotus, in eas voces erumpit, quibus* Tyberius Cæsar *Romanos Senatores servilibus assentationibus addictos arguebat*: O homines ad servitutem natos! *Piget, piget referre abjectissimam servitutem, qua se Seculo devovent, Seculi cultores; & periade ac monstrosum Zoophitorum genus saxis, ac putri in materia hærent, flaxas hujusmodi voluptates dimissuri nunquam aliis, nisi cum divelli necesse te tantum sentiant: cœlestium re-*

rerum, suæque conditionis ignari, etiam cum se præ aliis, & genere, & dotibus naturæ aliis jactant. Quid igitur in hac disciplinæ regularis Provincia percurrenda præclarius, quid fructuosius, quam ut totus in Divinas Laudes pro munere tanto assurgat animus? & amplissimas Summo Largitori gratias agat ipsa animi, divina beneficia, quomodocumque excipientis, & fatentis, significatione?

Ut verò rerum, quæ latius exponendæ sint contractiorem hic seriem tradam, in partes duas Opus divido; & altera quidem religiosæ vitæ institutionem, primordia, finem, differentias fere omnes, potissimasque hujusmodi status in quotidiana vivendi ratione leges dabit, juxta eorumdem Institutorum, & Summorum Pontificum Constitutiones: altera verò attinget primum, quæ circa electiones, & Prælatorum Regularium regimen occurrunt: tum quæ circa Forum Judiciale eadem jura decreverint, ac praxi firmantur: demum quibusnam privilegiis communiantur Ordines, quo à suis institutis semoveri nequeant, immo & alacrius, quod semel aggressi sunt, perficiant.

Quod stylum attinet, ille mihi expetendus erat, qui veritatem oculis subjiceret, nec cultu suo destitutam, nec phaleris undique exuberantem, ac proinde non omnino scholasticus, exercendis juniorum maxime ingeniis in Academiis institutus, nec è solis Rhetorum hortis depromptus, in flosculos vernans, sed Scholastico pariter, & Rhetorico affinis, ut alterius robur, alterius forte oblectamento sociaretur, animosque, & permoveret, & perstringeret, juxta rerum, quæ exhibentur, diversitatem. Sed ne ullo modo langueseret, Theologicæ doctrinæ vis, ubi potissimum ea inculcanda esset, Styli potius, quam scholasticæ, aptiorisque vocis jacturam subire malui. Cæterum æqui, bonique, Candide Lector, consule, si quæ promptiori animo conceperam, spe fortasse mea exciderint.



MI-

MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS

Præpositus Generalis Societatis JESU.

CUm Librum, cui titulus *De Regularium Institutionibus à P. Joanne Dominico Putignani nostræ Societatis Sacerdote conscriptum*, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, si jis, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratia has literas manu nostra subscriptas, & Sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 26. Maii 1713.

Michael Angelus Tamburinus.



EMI-

EMINENTISS. SIG.

MIchele Luigi Muzio publico Padrone di Stampa in questa Fedelissima Città, supplicando espone à V. Em. come desidera far stampare nella sua Stamperia un' Opera, intitolata *De Regularium Institutionibus, Auctore P. Joanne Dominico Putignano Societ.* JESU, supplica pertanto V. Em. commetterla alla revisione, che l'haverà à gratia, ut Deus.

Rev. D. Andreas Mastellone revideat, & referat. Neap. 23. Junii 1712.

SEPTIMIUS PALUTIUS VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Deput.

EMINENTISS. DOMINE.

NOn sine magna animi jucunditate legi, Emin. Vestra jubente, ingeniosas admodum, ac eruditas elucubrationes *Ad. P. Dominici Putignani S.* J. præseferentes titulum, *De Regularium Institutionibus*; Cumque nihil in eis aut à Fide, aut à moribus alienum invenerim: immo cuncta apprimè pietatem, devotionemque redoleant, conjecta sunt enim ad exornanda castra Israel, in quibus maximi militat, publica eas luce dignas omninò censeo, si eadem Emin. Vestræ fuerit sententia, cui me libens submitto.

Emin. Vestræ

Neap. pridiè nonas Decembris MDCCXII.

Humillim. Addictiss. & Obsequiosiss. Famulus
Andreas Mastellonus.

Attenta supradicta relatione imprimatur. Neap. 10. Maii 1713.

SEPTIMIUS PALUTIUS VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

EC-

ECCELLENTISS. SIG.

Michele Luigi Muzio publico Padrone di Stampa in questa Fedelissima Città, supplicando espone à V. E. come desidera far stampare nella sua Stamperia un' Opera, intitolata *De Regularium Institutionibus Auctore P.* Joanne *Dominico Putignano Societatis* JESU, supplica per tanto V. E. ordinare la revisione della medesima, che l' haverà à gratia, ut Deus.

Rev. P. Antonius del Balzo videat, & in scriptis referat. Neap. 22. *Novembris* 1712.

GASCON REG. GUERRERO REG. GAETA REG. ARGENTO REG. MAZZACARA REG.

Provisum per S. E. Neap. 22. *Novembris* 1712.

Crostarosa.

EXCELLENTISS. DOMINE.

Volumen, cui titulus, *De Regularium Institutionibus, Auctore P.* Joanne *Dominico Putignani Societatis* JESU *ad Sanctissimum Dominum nostrum Clementem XI. P. M.* attentè, ut Excellentiæ Tuæ mandatis obtemperarem, perlegi. Nihil in eo quod Regiæ Majestatis legibus, aut jurisdictioni dissonum videri posset, deprehendi: imo singularem in eo eruditionem, doctrinæ soliditatem, ingenii ubertatem, cuncta demum agnovi, quæ opus numeris omnibus absolutum, publica luce dignum omninò reddunt; suoque Auctori qua viię integritate, qua præstantissimę eruditionis laude conspicuo, apprime consonum. Quare dignissimum judico, cui in lucem prodire, Excell. Vestra annuente, liceat ad Neapolitani Regni splendorem, ad Ecclesiæ utilitatem, ad Regularium gloriam, ac morum normam. Neapoli è Collegio Neapolitano die 28. Decembris 1712.

Addictissimus Servus

Antonius de Baucio Soc. JESU Studiorum Præfect.

Visa supradicta relatione imprimatur, verum arte publicationem servetur Reg. Pragm. Neap. 7. *Februarii* 1713.

GASCON REG. GUERRERO REG. GAETA REG. ARGENTO REG. MAZZACARA REG.

Provisum per S.E. Neap. 7. *Februarii* 1713.

Crostarosa.

DE



DE REGULARIUM INSTITUTIONIBUS

LIBER PRIMUS.


ARGUMENTUM.

Religio passim pro Divino Cultu: pressius pro Regularium statu usurpata, à Christo Domino institutionem suam auspicatur, in tribus potissimum virtutibus sitam, Paupertate scilicet, Continentia, & Obedientia: uti ex Evangelio erui potest, Apostolorum exemplo, & ex antiquissimo Ecclesiæ usu. Solitaria vita, e qua propriè Monachi nomen, metu persecutionum prioribus ejusdem Ecclesiæ Seculis exculta verius, quam inchoata. Refellitur impium dogma Magdeburgensium de Monachis, & Suavii de Monachatus primordiis. Ad Regularium statum, vota nuncupanda: sed Jure tantum Ecclesiastico in hujusmodi Professione solemnitas inducta, unde vere Regulares, qui votis simplicibus in Societate Jesu arctantur, quorum nexus, ac traditio adhuc perpetua. An militares ordines censendi proprie Regulares? Ordinum approbatio ab Episcopis

 olim;

olim: Romani Pontifices dein jus hoc justis de causis, quæ exponuntur, sibi reservarunt. Religiosus Status definitur, & qua ratione ab Episcopatu sejungatur. Quid veniat Beneficii Regularis nomine? Religionis Votum, quam arctè voventem afficiat? Ab ejusdem intentione vinculum pendet, & utrum Episcopatu suppleri, & expleri valeat? Ejusdem Voti Irritatio, Relaxatio, & Commutatio.

Religionis nomen, & natura.

I Ultus, qui summo rerum Opifici maximus debetur; abjecta quidem mortalium conditione cupiditates natura insitas, aut superstitiones patrias sequentium, non idem obsequii, pietatisque robur ubique semper gentium obtinuit. Alii enim Cęli extorres, stimulos ferè omnes conscientię obtundunt, haud secus, quam si pecudum more, vitam traherent, cum animo prorsus interituram, aut nunquam. Alii verò Religionis tantum nomine, & fucata nescio qua virtutum specie sibi adblandientes, numen ipsum quibusdam veluti incantationibus ad se pellecturos confidunt. Sunt & quidam justitiæ cultores, ita tamen, ut è vitæ blandimentis quoquo modo ferendis, nihil sibi detrahendum putent. Contra nonnulli non modo veræ Religionis instituta complectuntur, in ea vitæ communione quam sua cuique generis conditio, aut industria obtulit; sed ut enixius incumbant, cætera omnia posthabenda, etiamque seipsos velint. Hos sanè Religiosos vulgò appellamus, quemadmodum & Religionem ipsam, peculiare id vitę genus ad Divinum Cultum fovendum aptissimum: cum ex unanimi Patrum, ac Teologorum consensione: Religio virtus censeatur, qua Deo Optimo Maximo cultum exhibemus, probeque sanè subinferat Bellarminus *cap.2.lib.2.de Monach.* Omnes probos Christifideles dici reipsa Religiosos posse, eo quod toto mentis affectu, in quocumque statu sint, Deo inserviant: stri-

ſtrictim verò, & antonomaſticè eos tantum, qui è præcipuo vitæ inſtituto expeditius tendente ſe penitus devoverint. Et re quidem vera, ſuos quæque ſecta cultores addictos ſemper habuit, cæteris probatiores, & veluti anteſignanos, Sacerdotum plerumque teſſera, & nomine diſcretos, qui non modo ſacra pro munere curarent, ſed moribus pariter à vulgo ſejungerentur: uti Ægyptiorum, Perſarum, Græcorum, Romanorumque antiquas ſuperſtitiones, rituſque recolenti perſpicuum; ſed Hebræorum maximè, qui in divinis rebus peragendis præ aliis eminebant. Hos inter nonnullos, Nazaræos videlicet dictos, & Numerorum libro laudatos ſcimus ſanctimonia inſignes, utpote qui ſibi, complura vitæ commoda dempſerint, à Religione cæteroqui ipſa, nec abhorrentia, nec vetita, eo tantum fine, ut alacriores, expeditioreſque ejuſmodi vivendi forma in rebus difficilioribus præeunte, divinis legibus obtemperarent. Eodem quoque Heliæ, ac Heliſæi diſciplina ſpectat, eorumque omnium, quos Prophætarum filios ſacræ litteræ appellant, quoſque Jordanis amnis proximæ oræ aſperrimo cultu viventes excepere, de quibus frequens *lib.3.& 4.Reg.* nec ſine inſigni commendatione mentio occurrit.

II. **Quodnam verò numeris omnibus abſolutum** vivendi inſtitutum complecti deberent homines, qui Deo gratiſſimum cultum offerrent, ex ipſo Divinæ Sapientiæ fonte, humanique generis Servatore datum noſſe cum ſumma virtutum omnium, quæ in eo fuerunt communione: tum etiam optimis adhortationibus, quibus rationalem hominis facultatem cęleſtium rerum ignorantia laborantem in conditorem ſuum evexit, effecitque ut non tantum doctrina; ſed quæ perfectior docendi norma cenſetur, exemplo ſuique imitatione imbueret. Ita ſummus hic probitatis Vindex, non ut Solon quidam, aut quicumque alius Legislator, philoſophicis quibuſdam ſomniis auditorum admirationem proliciens; ſed in praxeos Chriſtianæ paleſtrâ innumeros efformaturus, cuncta temperavit, ut blando quiſque conatu in altiorem hanc diſciplinam aſſurgere potuiſſet; quam ob cauſam hujuſmodi imitatio- *A Chriſto Domino.*

 nem,

nem, à Christo Domino præmonstratam, & commendant, & præseferunt, atque ob oculos fere ipsos immittunt Evangelii Tabulæ, Ecclesiæ Traditiones, antiquissimorum Patrum commentaria, & frequentissima in omni retro ætate complurium praxis; nimirum, temporalium rerum inopiam, ne dum æquo; sed alacriori animo ferre, atque id agere, ut pauperiem volens lubens Christi Sectator foveat; luxui bellum indicere, corporis commoda, quemadmodum & terrena omnia infra suam animi magnitudinem ducere, venereorum potissimum oblectationum illecebris, etsi honesto matrimonio quæsitis, ipsis adhuc cogitationum punctiunculis, è quibus ad cætera gradus, penitus ablegatis: demum propriæ voluntati frænum injicere, ne per motiones subinde improbas, ex affectionibus prosilientes, & ex Adæ culpa traductas, à rectæ rationis semita, aversio quædam subsequatur: unde & Dux nobis seligendus, cujus imperio regamur oportet, in divinarum legum custodia, ne subversionis, inquam, periculum è propria voluntate proficiscatur: quibus sanè gradibus hominum affectiones è caducis voluptatibus sevocatæ sublimius efferuntur, & compendiaria quadam via summo rerum omnium largitori fęlicissimo dehinc nexu copulantur.

Vitæ exemplo. III. Ne tamen isthæc evidentiori veritatis luce destitui videantur, aut exaggeratione verborum plus nimio efferri, ex apertissimis Evangelii verbis delibari primum aliquid placet. Ecquis sane ignorat Pauperiem à Christo Domino exemplo semper suo dicatam? Matrem, & nutritium suum tanquam parentem alterum pauperrimos maluit, vel ab eo temporis momento, cum se hominem propter hominum expiationem fieri haud est dedignatus: nativitatis auspicationem, quam Augusti Cæsares, & Reges potentissimi, purpura, & exquisita rerum ostentatione pro viribus attollunt, Humani Generis Servator rerum omnium inopia præ se tulit; & ne deesset in ipso puerperio hospitii, in quo exciperetur, angustia, à patria domo profugus antequam natus, nascitur in spelunca, fere sub dio, media hyeme, nocte media, palea usus pro fasciis, & integumentis aliis. Cui pauperies in crepundiis arrisit,

ætatis incremento aucta; nam nulla alia vivendi conditio, nisi quàm ægestas ministraret, parcioribus aliorum eleemosinis ad naturæ subsidia: in id unum divinam largitatem reservans, ut aliorum beneficio advocaret, & fame pene enectos reficeret. Quoad domesticam substantiam reliqua consona, suomet namque Oraculo de se fatetur *Matth. cap. 7. Vulpes foveas habent, & volucres Cæli nidos; Filius autem Hominis non habet ubi caput suum reclinet*. Divinam verò puritatem testantur infensissimi ejusdem Christi Domini hostes, & pessimi Sicophantæ Pharisæi, ne levissimam quidem in hoc genere maculam confingere ausi: dum in terris degeret; qui furoris æstro cæteroqui perciti, integerrimam morum innocentiam pro populari jactantiæ studio, & prodigia divinitus patrata pro demonum famulatu in vulgus carpebant. Aspectu ipso intuentes in pudicitiam incendebat, ac virginei pudoris radiis famosas olim mulieres, Samaritanam videlicet, ac Magdalenam, continentia illustriores peperit: sed quo pudicitiæ decus aliud accederet: Matrem adhuc integerrimam è toto Orbe petitam sibi destinavit, Virginemque asseruit, vel in lucem editus. Eodem plane Catholicę Fidei dogmate scimus, eundem Servatorem obedientiæ legibus se ultro obstrinxisse, ne dum infantilibus annis Sanctissimæ Genitrici, ac nutritio; verum ubi adolevit, legesque suas aliis observandas tradebat. Orbis totius Doctor, & Legislator, è Matris nutu pendebat; adimplebat confestim nutritii jussa, & ut Sacer Textus innuit: *erat subditus illis*. Demum momenta vitæ omnia, subjectione obsignavit, dum ex Apostoli Pauli oraculo, Patri per omnia obtemperans: factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, vitam explevit ante, quam præclarissima obedientiæ suæ argumenta.

IV. Quà nobis igitur eundum esset, perspicuè satis exempla ipsa monerent: ignorat enim nemo, Principis vitam in subditorum imitationem transire, eandemque si proba sit, censuram effici morum perpetuam: sed divinæ huic imitationi addidere stimulos, iteratæ pro rerum opportunitate adhortationes, non Judicis instar jubentis *Consiliis*.

pla-

plane quod secus, sine graviori piaculo prætermitti nequiret; verum amantissimi parentis per salubriora consilia filiorum salutem tutius statuentis. Acquirendi sitim, caducæque substantiæ dominium prorsus animo, & possessione dimittendum statuit, cum *Matth.* 19. adolescentem sublimioris disciplinæ utcumque studiosum, & , ut in suam societatem admitteretur deprecantem, monuit distrahenda prius omnia si quæ habebat, tribuendaque pauperibus, quam Evangelicæ perfectionis iter capesseret; iis usus verbis: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus: & habebis thesaurum in Cœlo: & veni, & sequere me*. Recolenda hic verborum tum occasio, tum etiam vis: priorem quidem exortam idem Evangelista testatur ex eo, quod cum Christum Dominum paulo ante adolescens interrogasset quid facto opus esset, quo vitam æternam assequi valeret, ac responsum protinus accepisset, servanda Decalogi Præcepta: *Si vis*, inquit, *ad vitam ingredi, serva mandata*: excepit ille rursum, se ea omnia à juventute sua custodisse, sed percontari se interim, an aliquid aliud adimplendum deesset: hinc Servator prædictam vocem emisit: *Si vis perfectus esse, &c.* Quo sermone abesse plurimum Sapientes norunt: *Si vis ad vitam ingredi, & si vis perfectus esse*: & in altero quidem necessitatem arctissimam designari: in altero vero firmiorem, tutioremque salutis assequendæ modum: unde fit ut Præcepta Decalogi viam, qua eundum sit in cœlestia pandant; at perfectio Christiana, quæ rerum terrenarum abdicatione, cæterisque Evangelicis Consiliis coalescit, expeditius, & per compendium fere eodem gradientes ducit. Apposite igitur Chrysostomus super *Ep. ad Hebr. moral.* 19. *Nullus*, inquit, *causetur inopiam, ut decem millium malorum causam, ne contradicat Christo, qui perfectionem hanc esse virtutis ait: Si vis perfectus esse, &c. Hoc enim & per Sermones ipse dixit, & per opera ostendit, & per Discipulos edocuit. Prosequamur ergo, inopiam: maximum enim bonum est vigilantibus*. Chrysostomo consonant cæteri Patres, genuinam Christi Domini sententiam sæpè in Evangelio inculcatam sanctissimè tuentes, quo minus verborum ponderi levius quid cavillatione pateat. Audiamus Ber-

Bernardum super illud Evangelii: *Ecce nos reliquimus omnia, & ubi audivimus*, inquit, *quia dictum sit antiquis: nisi quis renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse Discipulus; & item: Si vis perfectus esse, &c. Neque id dicimus tanquam salvari, quis vel hoc tempore nequeat, si secus egerit; sed ut gradum agnoscat proprium, & locum perfectionis, aut discipulatus officium non usurpet. Habent Evangelia, & perfectionis consilium, ut remedium infirmitatis. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, hæc perfectio est. Siquidem Filius Hominis ubi caput reclinaret non habebat. Petro, & Joanni, nec aurum, nec argentum erat. Paulus victu simplici, vestituque contentus hęc ipsa labore manuum acquirebat. Sed non omnes capiunt verbum hoc, sicut, nec consilium castitatis*. Hæc Bernardus.

V. De quo sanè continentiæ consilio illud in primis occurrit, non nisi à crassioribus, & immoderatæ incontinentiæ vitio laborantibus addubitatum fuisse, hujusmodi virtutem à Christo Domino suis Sectatoribus, dum inter mortales versaretur, commendatam, eoque impensius, quò præstantiorem, & supra vulgarium nominum infirmitatem, eandem pudicitiam statuisset: cum ab hac primum laude laudes prosequutus est *Matth.* 19. *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim Eunuchi, qui de Matris utero sic nati sunt: & sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus, & sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter Regnum Cęlorum*: qui scilicet motiones omnes venereas in seipsos amputant: nec secus rationis imperio, & divinæ freti gratia: quam quibus, quacumque de causa, virilibus exectis, copulæ quamvis conjugalis, usus omnis amputatur, eo tamen fine, ut è cęno corporum semoti, viventes adhùc, vivaciores spiritus hauriant, sublimioresque ferantur, Angelis quam hominibus propiores. Quid igitur mirum, si cęteri hominum incontinentiæ lue tabescentes, & mole carnis pressi verius, quam amicti, Cęlo & demissam & inferentem pudicitiam intelligere, multoque minus experiri nolint! Celsior hæc virtus celestes animos quærit, qui terrena omnia proculcent, unde & sapientissimè Christus Dominus ibidem subjunxit: *Qui potest capere capiat*; non hominum ullam impotentiam ad continentiam; *De Continentia.*

sed

sed eorumdem pravas affectiones in adversam partem arguens: nam ut optimè excipit Augustinus *lib. 2. de Adult. conjug. cap. 29. Levis erit continentiæ sarcina, si Christi erit. Christi erit, si fides aderit, quæ impetrat adjuvante Deo quod jusserat:* nec minus rectè Tertullianus *lib. de Monog. cap. 14.* in laudata Servatoris nostri verba: *Quis potest capere, capiat. Non potes*, inquit, *quia non vis; posse enim te, si velis ostendit, quia tuo arbitrio utrumque proposuit*. Quod ex ejusdem sapientiæ fonte hauserat Apostolus Paulus potentissimus Evangelii Præco, de continentiæ dotibus, palam docuit; monuitq, præsertim Corinthios, ne cęlestem virtutem parvifacerent. Ita enim scribit: *Ep. 1. cap. 7. De Virginibus pręceptum Domini non habeo, consilium autem do tanquam misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis*; & post pauca: *Igitur*, subnectit, *& qui matrimonio jungit Virginem suam bene facit, & qui non jungit, melius facit*. Ne vero prætexerent Veneris mancipia, puellis quibusdam consilium ab Apostolo inculcatum, suo exemplo existimavit ante permovendos Christifideles omnes iis verbis: *Volo autem vos omnes homines esse, sicut meipsum*: cęlibatum saltem innuens expetendum post seriam vitæ conversionem, si non omnimoda datum est animi, corporisque munditie frui e Baptismi lavacro. Sed quod Angelis propiores faciat pudicitia, nihil apud Patres frequentius habemus. Ambrosius *in Serm. 1. de Virgin. Postremo*, inquit, *non meum est illud: quoniam quæ non nubunt, neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei in Cęlo. Nemo ergo miretur si Angelis comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur*. Et Bernardus, ut rem funditus rimetur, propinquitatis rationes fere singulas, dum attingit, sic in Epist. 44. ad Henricum Senonensem Archiep. ait: *Differunt quidem inter se homo pudicus & Angelus, sed felicitate non virtute; sed etsi illius castitas felicior sit, hujus tamen fortior esse cognoscitur. Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis & loco, & tempore, statum quemdam immortalis gloriæ repræsentat, sola inter nuptiarum solemnia morem beatæ illius vendicat regionis, in qua neque nubunt, neque nubuntur, præbens quodammodo terris, cęlestis jam illius conversationis experientiam, vas interim fragile, quod portamus, in quo & crebro periclitamur tenet castitas, ut monet Apo-*

stolus

stolus in sanctificationem, & instar odoriferi balsami, in quo condita cadavera incorrupta servantur, sensus ipsa & artus continet, & constringit ne dissolvantur otiis, ac corrumpantur desideriis, ne carnis voluptatibus computrescant, quemadmodum legitur de quibusdam, quia computruerunt ut jumenta in stercore suo.

VI. Idem Servator, qui hanc de pauperie, deque pudicitia praxim instituit, Ducem simul aliquem sequendum ad insanientis naturæ impetus coërcendos, edocuit, neve in lubricum arbitrii votum deducta utcumque ętas, quamvis meliora videat, deteriora tamen sequatur intestino bello in nobis sæviente, juxta Apostolum Paulum, effluxit proinde Divina & illa vox *Luc. cap. 9. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me*. Subjectionem hic planè designare videtur ex communi Patrum interpretatione: nam quicumque suarum se affectionum, suæque voluntatis hostem quodammodo profiteri debet, è Christi Domini nutu, is sane alienum ductum, ut Divinis tantum Legibus consonum, sequatur, necesse est: *Christus est passus pro nobis*, monet Petrus Apostolus *cap. ep. 1. Vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*; hoc est ad Divi Bernardi mentem *tract. de grad. Humil. cap. 2. Ut imitemini obedientiam ejus. Ex his ergo, quæ passus est, discimus quanta nos, qui puri homines sumus, oporteat pro obedientia perpeti, pro qua is quis & Deus erat, non dubitaverit mori.* Et sane si mature expendamus impedimenta omnia, quæ sibi natura ad pravum prona objicit, cum Christianæ perfectionis iter capessit, detineri nequit, quin terriculamenta pueris ipsis plerumque despicienda, tanquam difficultates pene humanis viribus non ferendas fingat, & non rarò ab incepto se retrahat, nisi vi quadam, vel stimulis potius alienis vires ad ultro, & alacriter progrediendum resumat. Hinc Hieronimus, dum ad Rusticum Monachum commonitionem dirigit, opportune nos instruit: *Nulla ars*, inquit, *sine Magistro discitur: etiam muta animalia, & ferarum greges, ductores sequuntur suos. In Apibus Principes sunt. Grues unam sequuntur ordine literato. Imperator unus. Judex unus Provinciæ, & post pauca eodem tendentia, & ne plura, subdit, replicando fastidium legenti faciam per hæc omnia ad illud tendit*

De Obedientia.

ratio, ut doceam te non tuo arbitrio dimittendum, sed vivere debere in Monasterio sub unius disciplina Patris, consortioque multorum. Habemus igitur è D. Hieronimo rationem, è perfectionis Christianæ natura petitam, qua ad perfectionem properanti moderator, cui penitus addicatur, adhibendus: nam si artis cujuspiam ignarus addiscere eam nequit, nisi ab eo, qui artem probe teneat, ejusdemque legibus diu obtemperet: Ecquo sane pacto fieri potest, ut Christi Philosophiam penitus calleat, qui non Doctorem, & moribus haud minus quam auribus frequētissimè adeat; subjaceatque? Rursus, si nulla gubernatio in rebus civilibus consistere diu nequit, quam non Judex, aut Præses suo imperio, pro legum opportunitate moderetur, in civibus continendis: multo difficilius ea animorum gubernatio per se stabit, quæ tota in edomandis affectionibus, in laboribus ferendis, in voluptatibus abdicandis, in naturæ motibus obtundendis insudat. nisi semper adsit custos pervigil, & summo quodammodo imperio pollens, cui obtemperare, è Religione ipsa ducamur: quamobrem jure merito Divus Augustinus *lib. 14. de Civit. Dei cap. 12.* Obedientiam appellat, virtutum omnium parentem, firmissimumque præsidium, & *lib. 13. cap. 29.* Virtutem magnam, perinde, ac insigni sua disciplina, cæteras in homine instruat, dirigatque in optimum Divini Cultus finem. Quo item facit Gregorii Magni effatum *lib. 35. moral. cap. 10. Obedientia virtus est, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasque custodit.*

Dicta superius comprobantur.

VII. Complura quidem in eandem consiliorum materiam congererem, nisi passim in doctrina antiquissimorum Patrum occurrerent, & quæ transcribendo, fastidium legenti ingerere possint. Argumenta tamen certissima hinc habemus, hujusmodi virtutibus, seu Evangelicis Paupertatis, continentiæ, atque obedientiæ consiliis vitam institutam, reipsa à Christo Domino institutionem suam sensisse, exemplo, quo præivit; sermonibus, quibus Discipulos instruxit; potestate demum, qua peculiarem vim iisdem Evangelicis consiliis Statum Religiosum constantibus indidit; ut virtutis inesset plurimum; quod non ac-

accidiſſet, ſi tantum Chriſtus Dominus ſapientia, prędicatione, abditum hactenus religioſæ vitæ inſtitutum Orbi declaraſſet. Utcumque tamen poſtrema hęc verba excipi ab aliquibus poſſint, ut veriſſimam tamen ſtatuunt Theologi fere omnes cum D. Thoma 2. 2. *q.* 88. *art.* 4. ad tertium, ſententiam hanc de inſtitutione religioſa divinitus per Chriſtum Dominum tradita; adeo ut ſine ingenti temeritate in dubium revocari nequeat, dummodo quæ paulo ante diſcuſſimus, mature inſpiciantur; & inſuper ſi ad ſubſtantialia duntaxat, naturamque ejuſdem ſtatus ſententia eadem referatur, ne quis ſuſpicari poſſet, Regularem aliquem Ordinem ab eodem Servatore editum, extra quem nullus alius dein invectus divinam inſtitutionem ſenſerit. Etenim quemadmodum Catholicorum nemo eſt, qui Sacramenta novæ Legis à Chriſto Domino inſtituta inficiari audeat ex eo, quod ceremoniæ quædam in jiſdem peragendis, inſtitutione Eccleſiæ accedant, ſalva ſemper Sacramentorum eadem, quæ divinitus tradita eſt, ſubſtantia: ita & Regularem Ordinem ab eodem Servatore inſtitutum affirmari par eſt, è prædictis virtutibus conflatum: quamvis & leges & ritus alii Ordinum ſubſequentium diverſitatem ſequantur: qua probe perſpecta ratione Divus Chryſoſtomus *Homil.* 17. *ad Popul.* Religioſam vitam vocare potuit Philoſophiam à Chriſto Domino introductam, quod ejuſdem fundamenta firmiſſime jecerit, molemque totam idem Author, ſua virtute, ſuis veluti manibus extruxerit, felicius tamen ac verius, quam Plato, Socrates, aliique philoſophiam ſuo ingenio concinnatam, ut genuinam ſobolem è ſuo nomine Platonicam, Socraticam, affinemque prodidere. Præterea, cum in generationum naturalium ſerie productio tribuatur cauſæ, productæ rei ſubſtantiam per ſe edenti: etſi aliunde cætera eidem annexa accedant, accidentarium quiddam inferentia; ambigendum propterea non eſt, religioſum ſtatum ab eo authore fluxiſſe, qui primordia, munus, finem, intimam tandem rationem detexit, tanquam perfectioris operis author edidit, & tanquam parens blandis ſuaſionibus, ſapientiæ ſuæ auditores pertraxit, poſteris eandem

praxim per manus tradituros. Hoc idem firmat D. Basilius in suis Constitutionibus Monasticis *cap.23.* cum de Religiosa Obedientia verba faciens: *Hanc is,* inquit, *qui secundum Deum vere est Monachus, Antistiti suo subjiceat, oportet, siquidem ut jam diximus, Christus Discipulos in hoc elegit, qui hoc institutum æmularentur, ut per eos formam relinqueret sequuturæ posteritati.*

Apostoli primi omnium Regulares.

VIII. Et re quidem vera, nostræ salutis instaurator ubi cœlestem hanc philosophiam, nunquam antea mortalibus, & ne illustrioribus veteris Testamenti Patribus, perviam, deprompsit, è cæno licet adscitorum turbam Atticæ sapientiæ præceptoribus multo præstantiorem, Apostolos, inquam, effecit, quibus si unum Judam demamus, cæteros alios, & Regulares & Regularium Duces è Christi Domini disciplina extitisse pro certo habendum. Absonum namque fuisset eosdem divino ore instructos, suique Præceptoris asseclas fidissimos ejusmodi imitationis formam nec serio complexos, nec multos è recens conversis ad idem vitæ genus traduxisse, ut pro suo prędicationis munere Evangelicam perfectionem è suo fonte haustam aliis propinarent. Quod si indiscriminatim assequi in omnibus fortasse non licuit, haud defuisse tamen aliquos censendum prædictæ imitationis studiosiores, qui avide cursum arripuerint, & in optimos Regulares evaserint. Definitum in Concilio Meldensi & *Can. 9.* novimus; *Sacrum Monasticum Ordinem à Deo inspiratum, & ab Apostolis fundatum, à Sanctissimis, & nominatissimis Patribus excultum.* Quod neutiquam asserendum fuisset, si Apostoli Religiosum institutum, quoad substantiam saltem in tribus consiliis maximè situm quoquo modo neglexissent, tum imitatione, tum etiam studio alios extimulante. Cassianus quoque dum Abbatem Piammonem *collat.* 18. *cap.* 5. de religiosæ vitæ primordiis differentem inducit; Cęnobitarum disciplinam à tempore Apostolicæ prædicationis sumpsisse initium testatur. Vulgatissima tamen traditio est, D. Marcum primum Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum Monachorum institutum proxime provexisse, quibusdam adscitis, cum quibus communem vivendi rationem intentiori adhuc soli-

litudinis, & divinarum contemplationum studio, injerit; teste D. Hieronimo *lib. de Scriptorib. Ecclesiast.* in Philone, de quo prodit: *Quasi in laudem suæ gentis, cum videret primam Ecclesiam adhuc Judaizantem librum super eorum conversatione: & quomodo Lucas narrat. Hierosolimæ credentes, omnia babuisse communia: sic illum quod Alexandriæ sub Marco fieri Doctore cernebat, memoriæ tradidisse*. Singula vero ejusdem vitæ munia, ex eodem Philonis libro recenset Eusebius *lib. 2. Hist. Eccles.* Voluntariam rerum omnium abrenuntiationem, voluptatum fugam: & nullis aliis commisceri, nisi quos solitariæ vitæ amor, & divinarum meditationum communio junxisset; Ejusdem vitæ meminit Hieronimus in D. Marco: *Qui Alexandriæ*, verba sunt S. Doctoris, *Christum annuntians constituit Ecclesiam tanta doctrina, & vitæ continentia, ut Sectatores Christi ad exemplum sui cogeret*. Non ideo tamen mihi persuaserim, unum hunc, aut alterum Apostolum institutum Regulare sectatum fuisse: sed omnes; quanquam externis quibusdam rebus, seu potius ritibus pro locorum opportunitate alios ab aliis non tam diffidentes, quam paulum semotos: nam non modo paulo ante laudatus Cassianus, sed & D. Chrysostomus id de Apostolis generatim affirmat, *lib. 3.* contra vituperatores vitæ monasticæ: *Apostoli*, inquit, *hujus vitæ documenta dederunt*.

IX. Ut tamen rationum momentis Patrum dicta consistant è triplici capite rimari conatur Suarius *Tom. 3. de Relig. lib. 3. cap. 1.* Religiosam vitam ad novæ Legis, sive Gratiæ tempus referri debere, adeoque ad Christi Domini institutionem. Primum perspici datur in ejusmodi vitæ ratione, virtutum quodammodo omnium imagines in religioso viro efformante, immensa quadam Gratiæ alluvione effusa, quod nequaquam ante fieri potuisset, cum juxta Apostolum Paulum *ad Hebr. Nihil ad perfectum adduxerit Lex*. Alterum inde etiam profluit, quia si Christus Dominus delapsus de Cœlo erat, ut novas conderet Orbi Leges, & divinitus olim datas, sed hominum vitio pene abolitas, nitidius instauraret: consequebatur profecto, ut intra suam Ecclesiam novam adhuc vitæ rationem, excel- **Rationes.**

len-

lentiori quadam methodo institueret. Demum, cum eò maximè tendant Regulares, ut Christi Domini vestigia propius terant, veritati consonum ducimus, si cætera omitterentur, eodem adhuc Duce, leges in praxim proxime deductas. Omnia hæc evincunt, Apostolos, quæ Regularium propria, sectatos: maxime cum Divino Spiritu afflati, caducam substantiam, & terrena omnia despectui haberent, cœlestibus tantum affixi. Et quod primum rerum expensarum caput attinet, largior ea Divinę Gratiæ vis per ipsos Apostolos in Orbem totum effundenda, uberrimos nunquam pepesisset fructus, nisi eorumdem animos penitus incendisset, ut quod aliis traderent, opere comprobassent: quo enim pacto proculcandas opes, continentiam summa diligentia servandam, subjectionem pręstandam, suadere potuissent, si quos ad sublimiorem hanc philosophiam erudirent, dissimili vivendi forma depulissent? si pauperiem non intensius adamassent? si delicatiorem continentiæ nitorem, non excoluissent? si renuissent subjici, cum expediret? & quo adhuc pacto divinæ beneficentiæ largitatem è Christi Domini mysteriis profluentem altiùs extulissent, si largior hæc vena, cum primum erumpebat, hæsisset, atque in præcipuo cursus libramento, operam perdidisset suam? si nihil ad perfectum, ut Paulus ait, adduxit lex, gloriari igitur is jure poterat, perfectiorem vivendi normam eo tempore per Christum Dominum, adductam, in multis Sectatoribus, in Apostolis præsertim, comprobari, instaurata Divinarum Legum authoritate, & nobiliori praxi invecta; unde & reliqua, quæ nuper attigimus cum Suario, in jisdem Apostolis pro dignitate æstimanda, eòque magis, quod nulla in his dubitatio Catholicos urgeat.

Primæva Ecclesia. X. Verùm de primæva Ecclesia sudubitari posset an præter Apostolos in ea Regulares alii fuerint! & constat tunc temporis Christifideles vitæ institutum inchoasse Regularium instituto proximum ex 2. *cap. Act.* in hæc verba: *Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia: Possessiones, & substantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout utique opus erat. Quotidie quoque perdurantes*

una-

unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. Quænam igitur Regularium professio alia? quænam rerum exercitamenta? & quinam finis alius? omnes una degere, una sentire, unaq; prorsus divino obsequio mancipari, perinde ac corde uno, eodemque animorum impulsu pertrahantur: & D. Hieronimus in Philone *de Scriptor. Ecclesiast.* aperte fatetur: *Talem Christo credentium fuisse Ecclesiam: quales nunc Monachi esse nituntur.* Quæ quanquam verissima, non ideo tamen censendum, omnes indiscriminatim primævę Ecclesiæ alumnos, in Regulares reipsa transisse, sed ea morum innocentia ab Apostolis fuisse excultos, quam Regulares è suo instituto profiteri debent ex jisdem Apostolis, inconcussis traditionibus haustam, ut D. Thom. 2. 2. *q.* 188. *art.* 7. firmat cum D. Augustino *ep.* 89. *ad Hilar. A Discipulis*, inquit, *Christi omnis Religio sumpsit exordium, qui pretia prædiorum, conservabant, & distribuebant unicuique prout opus erat*. Porrò ne æquivocatione laboremus, duplicem vivendi formam ab Ecclesiæ exordio statutam deprehendo, alteram quidem omnibus familiarem, maximeque usitatam, eorum scilicet, qui cæterorum more vivebant; nec à civibus aliis, præterquam Religione sejungebantur: alteram vero libet ex Eusebio *lib.* 1. *de demonstr. cap.* 8. describere, quo Regularium tessera vel antiquissimis illis Ecclesiæ temporibus perspicua magis fit: *Alter*, inquit, *vivendi modus naturam nostram, & communem hominum vitæ rationem excedens, non nuptias, non sobolem, non opum facultatem requirens: totus autem prorsus, à communi & consueta cunctorum hominum vita abhorrens, & solum Divinò Cultui, & immenso rerum cælestium amori addictus*: Quo Eusebii testimonio satis patere arbitror, ejusdem etiam ætate ita Regularium disciplinam firmatam, ut solertius intuenti, praxis vel ab Apostolorum tempore repetenda profectò fuerit: Attamen ego triplicem in primæva Ecclesia differentiam Christo credentium expendo, & priorem eorum, qui in privatis suis ædibus viventes, matrimonia inibant, domesticam substantiam honestis modis augere, liberos educare, civilia item munera

pro

pro ſtatus ſui conditione exercere curabant. Hi abundè norant ex Apoſtolica diſciplina, poſſe iſthæc omnia licite exerceri, nec proinde Chriſtianam Fidem ullo modo lædi. Multa divinitus prȩcipi, ſine quibus Cœlorum aditus pateat nemini: multa item ob oculos poni non rigore ullo legum: ſed ad virtutum incrementum aptiora. Altera Chriſtifidelium claſſis ſacris initiatos, & Eccleſiaſticis muniis addictos dabat, quorum erat, Neophitos inſtruere, Sacramenta adminiſtrare, Orphanis, Viduiſque indigentibus ex officio adeſſe, ſacrarum literarum interpretatione multitudinem reficere, affinibuſque aliis Eccleſiȩ muneribus inſudare. Adjungenda tandem tertia differentia, ſive claſſis, eorum ſcilicet, quibus neque in Seculo neque in Templi miniſterio, publicum ullum munus; ſibipſis ſolum vacantes arctioris vitȩ amor ſollicitabat. De ſecunda igitur & tertia hominum differentia veroſimilius eſt prolocutum fuiſſe Euſebium: Primævæ adhuc Eccleſiæ Sanctitas ex allegatis Lucæ verbis evincit, *nonnullos extitiſſe*, qui cæteris aliis eminentiores Duces ſuos Apoſtolos æmularentur; perinde, ac in Academiis omnibus accidit, ut tum ingenii felicitate, tum ſolidioris doctrinæ judicio alii præeant, ſubſequantur alii, plures quoque animis torpeſcant, naturæ imbecillitatem prætexentes.

Antiquiſsimi Eccleſiæ Miniſtri Regulares.

XI. Sed ſingillatim claſſes perſtringendo: in primis Eccleſiæ Miniſtri in primæva Eccleſia Regulares omninò dicendi, eo quod Apoſtolorum Coadiutores, ab Apoſtolis ipſis adſciti, moribus, & integritate propiores deſumebantur. Nihil ſibi peculiare in vitȩ uſum reſervabant: parabili cibo, & communi vivebant. Subjectionem Apoſtolis, quos ſequebantur, nuncupabant: & jiſdem decedentibus, Epiſcopis, in eorum locum ſuffectis. Quoad continentiam vero Occidentalis Eccleſia Apoſtolorum morem, aut leges ſequuta, Miniſtros ſacra operantes continentiȩ vinculo obſtrictos ſemper habuit, adeo, ut conjugatos, etſi Eccleſiȩ muniis admodum utiles viros, non prius initiatos voluerit, quam invicem thoro ſemotos. Plura ad veritatis hujus robur colligere licet *ex Cap. Quia*.. ;, *Cap. Dilectiſſimis, Cap. Neceſſaria, Cap. Nulla*. 12. q. 1. Quamobrem de-

desuisse primævæ adhuc Ecclesiæ Ministris nihil ad vitæ religiosæ substantialia putandum, indeque effluxisse Clericorum Regularium institutum, cui institere postmodum Fundatores alii, in quibus D. Augustinus, ut ad ejusdem Ecclesiæ Leges, Ecclesiasticos Ministros reformarent, cum aliquanto laxius ab hac disciplina semotos nossent. Unde factum in Ecclesia Dei, ut primus Religiosus Ordo Clericorum Regularium, & à vitæ communione, Canonicorum Regularium, censendus sit; utpote quem Apostoli ipsi, proxime instituerint, indesinenter verbo Dei dissemiñando, & aliis Ecclesiasticis muniis obeundis dicati: quod etiam testatur Navarr. *Comment. 4. de Regular.* ex Bulla, quam refert Pii Quarti, & cujus verba citat in hunc modum: *Comperto satis ex compluribus literis Apostolicis, diversisque aliis documentis, rationibus, & probationibus, quod ipsi Canonici fuerunt, & sunt de illis Clericis à Sancto Augustino, quinimo à Sanctis Apostolis instituti, eosdemque Canonicos, &c.* Non meris conjecturis, aut authoritate sua motum se Pontifex in hujusmodi Apostolorum institutione definienda dicit, sed Canonicis documentis, & probationum pondere.

XII. Quamquam haud negarim eadem adhuc ætate, iisdemque Ducibus classem Regularium alteram emersisse, ut plurimum tamen è Laicorum numero, qui Ecclesiæ ministeriis impares crassiori minerva, aut potius illustrioris demissionis laurea, totos se divino obsequio devoverunt, pluribus in eandem vitæ consensionem simul junctis, aut singulis seorsim agentibus: quibus omnibus inditum illud Monachorum nomen, non tam ex eremo, quam plerumque incolere cœperunt; quam è diverso ab aliis Seculi hominibus vivendi more: exemplo adhuc in Palestina, ac Ægypto, ubi primum institutio invaluit; vel ab Helia, Helisæo, cæterisque aliis Prophætarum filiis olim inducto, sed intermortuo; cum Apostoli ad Divinum Cultum amplificandum solitariæ vitæ cupidos excitarunt rursus, provexeruntque fœlicius. Huc faciunt superius adnotatæ Patrum authoritates æquè ad Apostolos utramque Regularium classem referentes, & Divi Marci præsertim exemplum, monasticam proprie vitam, cum pluribus, Alexan- *Qui olim è Laicis Regulares.*

xandriæ auſpicantis. Quo tamen vita functo, & Apoſtolis aliis, utriuſque Regularium claſſis conditio diſpar fuit: vitæ auſteritate, & ſeceſſu percrebuit Monachorum fama, Clericorum vero imminuta, nimia cum externis aliis familiaritate, quæ laxitatem morum paulatim inducit. Quibus vero de cauſis arriſerit Monachis ſeceſſus ab urbibus, Caſſianus loco ſuperius laudato ex Piammonis Abbatis ſermone, hanc attingit: *Sed cum*, inquit, *poſt Apoſtolorum exceſſum, tepeſcere cepiſſet credentium multitudo, ea vel maxime, quæ ad Fidem Chriſti de Alienigenis, atque diverſis Gentibus confluebant, à quibus Apoſtoli pro ipſis Fidei rudimentis, nihil amplius expetebant, niſi, ut ab immunditiis Idolorum, & fornicatione, & ſuffocatis, & ſanguine temperarent, &c. Hi autem quibus Apoſtolicus inerat fervor, memores illius priſtinæ perfectionis, diſcedentes à Civitatibus ſuis, illorumque conſortio, qui ſibi vel Eccleſiæ Dei, remiſſioris vitę indulgentiam, licitam eſſe credebant, in locis ſuburbanis, ac ſecretioribus commanere; & ea, quę ab Apoſtolis per univerſum corpus Eccleſiæ generaliter meminerant inſtituta, privatim, ac peculiariter exercere ceperunt: atque ita coäluit iſta, quam diximus Diſcipulorum, qui ſe ab illorum contagio ſequeſtraverant, diſciplina; qui paulatim procedente tempore, ſegregati à credentium turbis, ab eo, quod à conjugiis abſtinerent, à parentum ſe conſortio, mundique iſtius converſatione ſecernerent, Monachi, ſive Monazontes, ſingularis, ac ſolitariæ vitæ diſtrictione nominati ſunt.* Hucuſque auctor, qui ab eximiis eremis cultoribus per manus traditam Regularium originem, provectumque omnem perdidicit, ut cætera alia ſtudia ſuo Collationum libro tradita. Et ſane à vero non abeſt, antiquiſſimos illos religioſæ familiæ alumnos propoſiti ſuſcepti tenaciſſimos, ne adoleſcentiores in laxitatem procliviores, accedente multitudinis prædictæ libertate, remiſſiores facerent, diſciplinæ detrimento; relictis urbibus, in vaſtam Ægypti ſolitudinem, ſe contuliſſe, ut impenſius divinis contemplationibus vacarent; amotis hujuſmodi impedimentis; in quibus detenti Clerici Eccleſiaſticorum munerum prætextu, Regulare inſtitutum labefactarunt, multitudinis, & urbium delitiis præfracti.

XIII.

XIII. Ratio accedit altera, qua Monachatus solitudinem coluerit in ipso fere Ecclesiæ exordio: persecutionum videlicet æstus, in Christi Domini cultores sævissimus ab Ethnicis Imperatoribus Romani Imperii, & totius fere Orbis Dominis, ad quos facilius denuntiari potuissent cultu corporis rudiori, continentiæ laude, aliisque Christianæ pietatis insignibus, si in cæterorum contubernio, spectantibus Idololatris diu permansissent. Idem sane fuisset, ac se ultro tortoribus objicere, quod citra peculiarem Divini Spiritus afflatum, haud peragendum erat: quam ob causam, abditos solitudinis recessus, & latebras Tyrannis ipsis impervias petere debebant, qui se monasticis legibus nuncuparunt, quo pacatiorem vitam transfigerent, animis cæteroqui paratis ad perferenda supplicia, quoties hujusmodi latibula, lati tantesque subodorari Fidei hostes, ut non raro accidit, valuissent. Unde etiam mihi persuaserim, illud Alexandriæ religiosum contubernium, ubi grassari cœpit Tyrannorum rabies, confestim in solitudinem traductum, vitamque Regularem alibi eodem modo excultam, ubi in peragendis instituti muniis, periculi minus: nec defuisse adhuc, qui privatim domi, & ut, ut poterant, propositi non immemores, easdem leges servarint. Verum quia nec ubique, nec semper Tyrannorum vis æstuabat: cum induciæ dabantur, externis, aut intestinis bellis in Imperio exardescentibus, paulo numerosius Monachorum agmen in hominum frequentiam se immittebant, rudi amictu, & non secus, quam si Græco habitu, & Philosophorum pallio, apud Romanos quoque usurpato, uterentur, ne quid rursus turbarum Ethnici excitarent, ad oblatam Christianæ perfectionis umbram ipsam: quanquam & eo induciarum intervallo Regularis vitæ amor imminentium periculorum metum omnem pervicit aliquando; nam teste Surio, intra secundum nostræ salutis Seculum; & ut idem innuit, anno centesimo sexagesimo tertio, Helenus quidam, aut Regularis, aut Regularium cultor insignis, insigne extruxit Alexandriæ Monasterium, in quo cum Monachis vixit, præfuitque. Successorem habuit Nicodorum, excepit hunc Eugenius, qui imperante Gallie-

Monachorum Constantia.

no Martyr occubuit. Veritati igitur propius, nunquam persecutionum tempore regularem vitam desiisse, nec Monachos, tam strenue professione sua coram hostibus gloriantes: Id saltem fateri debent Ecclesiastica monumenta pervolutantes, Monachatum eo tempore in sylvam, & ferarum latebras concessisse, ne penitus concideret; aut ignis in cinere consepulti instar ardorem suum foveret, Orbis Provincias aliquando Evangelica perfectione pervasurum.

Sub ipsam Apostolorum ætatem.

XIV. In hujus rei firmandę argumentum, tradit Divus Athanasius in D. Antonii Vita. Antonium, juniorem adhuc, & Monasticæ Disciplinæ percupidum, in interiorem Ægypti solitudinem irrupisse, susceptumque in Monasterio à seniore quodam ibidem moderatore, cum quo, aliisque Monachis, diu ac familiariter versatum, multa de statu Monachorum illius ævi didicisse, & à singulis virtutum flores, apum instar exuxisse, ad solidiorem sui, suorumque, quos complecti jam cęperat, disciplinam: unde erui par est, solitarios illos Regulares multo ante eodem secessisse; & cum forte Alexandria profugi persecutionum, ac Fidei abjurandæ metu, tutius se Fidem, & Monachatum in illa eremo tueri viderent. Jam vero Dyonisius Areopagita Apostolis coęvus *lib. de Eccles. Hierarch. cap. 6.* de Monachorum institutione multa complexus fuerat: *Porro*, inquit, *initiandorum omnium excellentior, ac sublimior Ordo Monachorum est sancta distinctio, expiatione omni, tot a virtute, atque exactissima suarum operationum castitate mundata. Omnem item quantam sibi licet inspicere, sacræ operationis spiritualiter speculatrix, & particeps facta, Pontificumque consumantibus virtutibus tradita: quorum divinis fulgoribus, & Pontificalibus traditionibus, conspecta pro ordine suo Sanctorum Mysteriorum Sacrificia edíscens, à sacra eorum scientia ad exactissimam perfectionem, divina ratione subvehitur. Unde Sancti Præceptores nostri, divinis eos appellationibus sunt prosequuti, partim Therapeutas, idest cultores, à sincero Dei famulatu, atque cultu: partim Monachos, ab individua, & singulari vita, appellantes utique illos, sanctis divisibilium complicationibus, in divinam & Deo gratam Monadem, perfectionemque promoveat.* Pergit

git deinde S. Doctor, eorumdem initiationem, cultum, rerum terrenarum contemptum, cæteraque instituta, quoad substantialia, Regularium propria: ne quis dubitare de hac veritate possit: neque propterea obstare videtur, quod Novatores, cum Josepho Scaligero, ex hoc ipso loco contendant Dionysium non eo tempore in lucem hęc edere potuisse: sed supposititios hos libros, quinto fere Seculo prodiisse. Trutinam hanc Baronio ad annum 109. cum de Dionysii obitu agit, sapienter expensam; sicuti & P. Corderio in Apologia præfixa sanctissimi viri Operibus, remitto; definiant tamen Sapientes, quibus adhibenda fides in tanta re firmior sit, iis ne, qui post tot Secula, quibusdam conjecturis, seu verius cavillationibus detrahendi animo depromptis, infirmare monumenta Ecclesiastica contendunt; an qui primævæ Ecclesiæ propiores, ejusdem res gestas, nemine, quem sciamus tunc temporis detrectante, scripsere.

XV. Ad Apostolorum adhuc tempora referenda Religiosarum Mulierum primordia: nam licet Mulieres Jure Divino ab Altari repellantur, & easdem sacris Ordinibus initiari, nefas: non ideo tamen, in iis, quam in viris religiosa Professio, minus proficua, minusve commendanda. Deo se penitus devovere, par est in utroque sexu conditio, idemque Divinæ Gratiæ, & humanæ simul naturæ adnitentis opus: Par igitur fuit in Apostolis eandem eluxisse industriam, ut tam viros, quam mulieres hujusmodi instituto addicerent. Has autem dixerim institutas in Templi Hierosolymitani morem verius, quod Virgines aluerit, quam è Vestalium ritu; nisi quod & ipsę Vestales abunde edocuerint, quanti facienda esset corporis saltem pudicitia, quam maximo honore Romani patriis superstitionibus morem gerentes, prosequebantur. Ab Apostolis plures Virgines Deo dicatas in Ecclesiasticis Historiis legimus: Iphigeniam Ethiopiæ Regis filiam à D. Matthæo, Petronillam ab Apostolorum Principe, & à Paulo Teclam. Sed & ipsemet Paulus loco superius laudato ad *Corinth. cap.* 7. tot, tantisque laudibus virginitatem extulit, ut Tertullianus *lib. de Velandis Virgin. cap.* 8. testetur Corin-

Religiosæ adhuc Mulieres.

thios

thios jis suasionibus delinitos: permotosque, in morem primum induxisse, ut Virgines quasdam velo tanquam religiosi status tessera obsignarent; quod paulatim in alias quoque Ecclesias dimanavit: ut eo more inducto, & proxime sequenti ætate idem Tertullianus ad fovendum hujusmodi institutum, prædictum librum ediderit: insudante in idem argumentum paulo post D. Cypriano *lib. de Habitu Virgin.* Massiliensis Ecclesia incorrupta hucusque monumentorum fide tradit, Martham sanctissimam Fœminam, & Christi Domini olim hospitio in Evangelii tabulis celebratam, in ea urbe virginum collegium excitasse, cum quibus, sanctissime quoadvixit, commorata est. Mulierum virginitatem ab Ecclesiæ exordio consecratam, comitatæ sunt cæteræ aliæ Regularium dotes. Paupertas nempe, & subjectio. Et de Paupertate quidem nequit dubitari, quin & suscepta ab iisdem fuerit, cum in primæva Ecclesia, uti diximus, in legem quandam transierit, missa facere, quæ quis haberet, ad Apostolorum pedes. Quàm vero obediētiam pręstiterit virgo religiosi status particeps; non est dijudicare pronum: vero similius est, ut ea insectationum tempora ferebant, Virginem quamcumque in sua domo ad proprii Episcopi nutum propriam voluntatem composuisse, ut quæ is ad perfectioris vitæ usum statuisset, prompto animo executioni alia demandaret. Illud sanè mirum, & quod mirifice Virginum Deo dicatarum institutum commendat, ad trecentesimum reparatæ salutis annum, cum nondum deferbuisset Christianæ Fidei ab Imperatoribus, & Ethnicis exagitatio, Nicomedię fuisse harum Virginū Monasteria imperio Theophilæ religiosissimæ fœminæ subjecta: ut hinc etiam adstrui possit, mulierum institutum tam insigni constantia firmatum, & in longinquas regiones effusum, prioribus adhuc Ecclesiæ Seculis, iisque calamitosissimis, non nisi ab Apostolis repetere originem suam posse.

Error Magdeburgensium refellitur. XVI. Impium itaque, criminosum, & à veritate omnino devium illud Magdeburgensium effatum *cent.* 5. existimandum, Monachatum partim obscuratione doctrinæ de Justificatione, & de veris cultibus Dei: partim prava Esse-

Essenorum æmulatione emersisse. Quo quid detestabilius, quam unde Divini Ducis sui exemplo, ac legibus Christianorum mores se produnt; detrahendi materies, & aculei procudantur? quid Christifidelibus cum Essenis commune? Si Christifideles præ oculis, quem imitari deberent, & imitari omni ope nitebantur, habebant? nisi forte Esseni Christiana Fide in exordio Ecclesiæ imbuti, & ipsi eandem imitationem, ut quibusdam placet, præsetulerint non obscuris indiciis, ex eorum vita, quam fuse Josephus in monumentis Hebræorum describit. Si vero missam hanc controversiam faciamus: verosimilius statuendum: Essenos peculiarem inter Hebræos sectam instituisse; quod austeritate, cæteris præstarent; eademque admirationem apud vulgum captarent. Viderint proinde Magdeburgenses an ullo odio in Monachos ferantur, quibus præcipuas sui status dotes detractas velint, pro viribus Christi Domini vestigia propius terere: & haustum è suo Duce nomen factis comprobare: sed impensius forte putarunt, eandem imitationem fovendam vitæ blandimentis, & deliciis ætatem solvere, temporalibus bonis inhiare, continentiæ jura subvertere, cupiditatibus abripi, suæ tantum voluntati morem gerere, Christianam denique Disciplinam è sacris literis, non juxta Patrum, & Ecclesiæ authoritatem: sed juxta facultatis cujusque, aut corruptæ verius naturæ ductum declarare, ut hinc doctrina de Justificatione, & de veris cultibus Dei pateat, idque tantum in ea sentiant, quod avidissime expetant? Heccine liberioris vitæ abnegatio, quàm communis omnium Servator, sæpius in Evangelio inculcatam non voluptatis, sed crucis appellatione, sequentibus se proposuit? Heccine humanarum affectionum coercitio, tam enixe in sacris literis commendata? Quid de continentia dixerim, de qua non secus loquuntur Centuriatores, quam si eandem cautius custodire, naturæ legibus repugnaret. Viderint, inquam, recentiores hi Christianæ perfectionis assertores, quibus in rebus stabilienda prorsus sit de Justificatione doctrina: num in umbratili quadam Fide, quam mortuam dicit Jacobus Apostolus, solitarie, & sine operibus acceptam, an

an sanius in ea, quæ cum morum innocentia conjuncta, & charitati intime sociata pulcherrimam authoris sui speciem exhibet, quoties cultoris animum ex rerum terrenarum amore abhorrentem, continentia illustrem, sibi ipsi imperantem efficit; atque ad id conducit regularis professio, quæ Christianæ perfectionis palestra, cœlestis militiæ Tyrones edocet: ecquo pacto primum debeant pravæ naturæ semina, impetusque cohibere, ut dein paulatim Divinæ Gratiæ vim in se excipere, & Christi Domini imitationem, quoad possunt, exprimere in se valeant, non in oscitantiam fere nunquam, quod intendunt, ne cogitatione quidem, assequentium, sed athletarum in morem: quibus semper cum hoste lucta. Cum cupiditatibus bellum perpetuum gerimus: si forte aliquando vincimur naturæ infirmitate, nostri instituti memores fortius resilimus, eodemque casu edocti, majores spiritus è disciplina adversus hostes conflamus: Mundi illecebras generosius contemnimus: occasiones fere omnes divinis beneficiis intenti, strenue amputamus: contemplationum assiduitate, corporis maceratione, vigilantiori Prælatorum cura, cæterisque aliis instituti subsidiis victores evadimus. His instrumentis ad Justificationem via sternitur, his Christiana Fides comprobatur, asseritur, vivit: his denique de Justificatione doctrina nec obscura, nec fucata: obscurior sane, nec fuco minus illita Centuriatoribus, ac Novatoribus, qui Justificationem in sola Fide statuunt, naturæ frænum laxant, genio indulgent, eo Evangelii textu in pravum detorto. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.*

Et Suavii. XVII. Eadem hæc religiosæ vitæ fundamenta artibus aliis labefactare contendit Suavius in suo de Beneficiis Ecclesiasticis libello, si non uti Etherodoxus cum Centuriatoribus, religioso tamen instituto infensus in hunc ferme modum: *Primordia*, inquit, *Monachatus, intra tertium Salutis Seculum ab iis, qui Tyrannorũ in Christianos insectationes declinantes, inhospitales saltus petebant. Haud multo post delata ex Ægypto nova institutio, circa trecentesimum septuagesimum annum, à D. Basilio in eam formam, quæ adhuc conspicitur redacta est. At in Italiam à D. Athanasio illata, intra angustos cancellos stetit; quin*

quin potius hac, illac & fere palabunda ad quintum usque Seculum, nacta tandem est, Equitium, & Benedictum, à quibus ordinatiores vivendi leges, & amplificationem accepit; dispari tamen in utroque conditione: altera enim Equitii institutio angustius conclusa, brevius etiam desiit. Altera vero D. Benedicti latius per Italiam effusa, Alpes quoque est trangressa. Hæc ille, quæ sententia paulo diligentius discutienda, ne Suavium in Novatorum communionem trahamus. Is igitur cum affirmat, tunc temporis Monachatus primordia Orbi illuxisse, aut absolutam disciplinæ substantiam, tunc primum adinventam; aut praxim tantummodo tunc primum prodiisse, persuasum sibi habet: quocumque tamen se vertet, temeritatis ad minus, & impudentiæ nota inuritur: nam à Christo Domino institutam hujusmodi vitam, ex superius prælibatis, constat, nisi forte negare velit eundem humani generis Servatorem, quamdiu apud homines in terris versatus sit, prætulisse pauperiem, summam corporis, animique puritatem, obsequendi promptitudinem æterno in Cœlis Genitori, Seculi divitiis, luxui, voluptatibus, demum liberiori vitæ usui: quo quid detestabilius, & Sanctitati summæ maxime dissonum? sed si eo tendit Suavii effatum, ut neget ante illud tertii Seculi tempus, ab ullo alio regularem vitam susceptam, idipsum adhuc è præjactis fundamentis, è Patrum authoritatibus, atque ex universæ Ecclesiæ monumentis refellitur. An non Apostoli imitandum sibi proposuere supremum Orbis Doctorem, ac Dominum, rerum omnium abdicatione, aliisq; Evangelicis Consiliis, quæ Regularem statuunt? An non iidem Apostoli nervis omnibus contenderunt, ut Evangelica perfectione alios, quos Christo pepererant, imbuerent? & an res è voto successerit, ex Apostolorum Actis primum liquet. Qua igitur fronte, qua conscientia, qua rerum Ecclesiasticarum peritia Regulare Institutum ad hominum adinventum revocat, & praxim inchoatam post tanti temporis intervallum?

XVIII. Verum ne in nominis fortasse controversia Suavium perniciosius deceptum adstruamus: Is re vera cum Patribus senserit, Regulare Institutum e Servatoris tum *Effugium præcluditur.*

imitatione, tum etiam doctrina manasse, & Apostolos, pluresque è credentium turba illud complexos, uti & Ecclesiæ Ministros in Clericorum Regularium classe locandos: demus adhuc proloquutum eundem fuisse de iis Regularibus, qui pressius, & passim postea Monachi, à vita solitaria sunt dicti; & neque hos primum in tertio Seculo emersisse, ex hucusque delibatis, exploratum, testante D. Hieronimo, cæterisque laudatis Patribus, à D. Marco, & ab exordio fere Ecclesiæ hujusmodi Monachos prodiisse: unde Monachatus primordia a Suavio detecta quomodocumque adstruantur, funditus corruunt: haud tamen negarim, intra tertium Seculum, aucta ubique Christo nomen dantium multitudine, & cum sævius Romani Imperatores Fidem exagitarent, occasione compluribus oblata, in solitudinem migrasse; atque pari animorum consensione, plures simul coivisse, aut singulos excoluisse religiosam disciplinam, quam à Majoribus in Ecclesia jam excultam acceperant, non tam suppliciorum metu, quam Christianæ prudentiæ consilio suggerentis servandam vitam, quousque publica Religionis professio aliud non exposceret: neque propterea Paulum eximium Eremi cultorem, intra idem temporis spatium, primum monasticæ vitæ institutum inchoasse, dicendum; sed primum fortasse vulgo dictum, quod vitam in eremo gesserit asperrimam, ab omni prorsus hominum conturbernio sejunctam, nullo alio obsonio, nullo cibo, nisi, quem corvus dietim ministrabat, in quo vitæ genere Principem procul dubio, & singularem dixerim. Quid porrò ad Paulum, Antonium, cæterosque ejusdem ætatis Monachos Suavius? Religiosæ vitæ institutionem e ferarum latebris, e monstrorum caveis, è dumetis, primum produisse contendet? longissime distare videtur recta vivendi norma ab occasione fortasse aliqua, quæ alium eodem impulit. Plures in dies videas, periculo naufragii graviori, prædonum, fulminis perculsos, ubi evaserint, vale Seculo dixisse, & in religiosum ordinem reliquum vitæ transegisse: non ideo tamen qui ratione pollet, affirmare audet, hosce omnes Monachatum è mari, è fulmine, è prædonum disciplina hausisse per-

perinde, ac religiosi instituti ratio, vim omnem ex hujusmodi rebus habuerit: subinferre tantum liceret, divino consilio effectum, ut ex innumeris Providentiæ subsidiis ad homines pelliciendos, peculiaria isthæc adhibita sint, quo divinitus, traditam doctrinam plures adversis excitati casibus avide fuerint complexi. Ita plane se habuit Regularis institutio, ut quoad substantiam, legesque præcipuas a Christo Domino tradita, exercenda ab affeclis esset juxta multiplicem rerum occursum, hominum ingenia, ut in discursu Operis patebit, subjectasque alias leges, quę firmiorem, atque ordinatiorem disciplinæ methodum darent; quid vero de Divo Basilio, deque Divo Athanasio dicendum sit, suis locis exponam.

XIX. His monasticæ vitę primordiis adversus ejusdem hostes delibatis, redeundum modo ad ejusdem naturam, quave ratione potissimum in triplici illo Paupertatis, Continentiæ, atque Obedientiæ nexu statuatur. Quam sane perfectionem sapientissime expendit D. Thom 2.2. *q*. 186. *art*. 7. atque vim omnem eruit vel quatenus religiosus status expedite in Deum, Regularem trahit nullis pręperpeditum vitæ hujus blandimentis, & ut ita dicam, compedibus; vel quatenus eundem ita Divino Cultui alliget, ut is reliqui nihil reservare sibi quodammodo videatur; exin deducit etiam S. Doctor, religiosum idcirco statum, ut quid divinum re vera, ex eo triplici nexu conflari. Et quod ad priorem partem attinet: quid magis hominem præpedit, & à Deo quam longissime avertit, quam nimia, ut diximus, corporearum rerum solicitudo, aut suum cujusque voluntatis studium? Omnium enim malorum, quæ Orbem, hominesque premunt, cumulus, ex hisce fontibus dimanat: perpetuis e converso conscientiæ stimulis in authorem suum rationalis hominis facultas, etiam cum longius suo malo exerrat, excitatur. Scit sane, se cęlesti afflatu editam, Cœlo prognatam, Cœlo affixam adeo, ut & conditorem sentiat, & exquirendum amore maximo nullo non tempore videat; sed Seculi fascinatione quadam retrahitur, ut quæ maxime aversari deberet, tanquam à summo Bono animum avertentia, originis suæ

Cur tanta in Consiliis perfectio?

Patriæque oblita, vincula, & exilium dum tacite reprobat, volens lubens complectitur. Unde igitur primum nobis, & quibusnam validioribus instrumentis, sternendum erat ad Christianam Perfectionem iter? eorumdem certe impedimentorum subductione, quibus miseri detinemur, tanquam maximis vitæ oblectamentis, dominio nempe, aut saltem cupiditate divitiarum, corporeis voluptatibus, liberioris quomodocumque vitæ laxitate. His igitur impedimentis per spontaneam pauperiem, continentiam, & subjectionem divino obsequio dicatam, amotis, expeditior animus originem suam recolens, in supremum conditorem assurgit, & tanquam sordibus defæcatus, fixis oculis cœleste lumen intuetur. Porrò fęlices Christus Servator pronuntiavit, & illustriori mentis acie summam numinis pulchritudinem contemplaturos asseruit viros cordis munditie conspicuos: *Beati*, inquit, *Matth*. 5. *mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt*. Hanc cordis munditiem in eo statuit D. Augustinus *lib*. 1. *de Doctr. Christi cap. ult*. quod à Mundi cupiditatibus abhorreat: *Illud*, inquiens, *est cor purum, quod vacuum est omni cupiditate, & vitioso amore sui, ut nihil aliud diligatur, quam quod diligendum sit*. At pronum usu ipso comprobamus, regularem vitam ad cupiditates omnes coercendas, & animum Seculi curis liberandum natura sua, suisque legibus ordinari, quo facilius quod diligendum unice est, appetat, in eoque conquiescat: quamobrem Moyses Abbas apud Cassianum *collat*. 1. *cap*. 7. omnia Regularium studia ad eandem cordis puritatem parandam, tanquam ad finem suum contemplatur, sic enim ait: *Omnia igitur, hujus rei gratia, nobis gerenda, appetendaque sunt, vigiliæ, labores, ut per illa ab universis passionibus noxiis illæsum parare cor nostrum, & conservare possimus, & ad perfectionem charitatis, istis gradibus innitendo, contendere*.

XX. Partem alteram attingit D. Thomas, ut suo statu Regularis totus in divinum famulatum erumpat, & nihil in suum privatum commodum trahat, his verbis: *Habet autem homo triplex bonum, secundum Philosophum in* 1. *Eth. primo quidem exteriorum rerum, quas quidem totaliter aliquis Deo offert per votum voluntariæ paupertatis. Secundum autem bonum*

Ratio altera.

cor-

corporis proprii, quod aliquis præcipue offert Deo per votum continentiæ, quo abrenuntiat maximis delectationibus corporis. Tertium autem bonum est Animæ, quod aliquis totaliter Deo offert per obedientiam, qua aliquis offert Deo propriam voluntatem, per quam homo utitur omnibus potentiis, & habitibus Animæ: & ideo convenienter ex tribus votis status Religionis integratur. Hactenus D. Thomas, qui disciplinæ medullam è Patribus & rei natura haustam, paucis exprimit. Et sane nihil excogitari potest in homine, sive solitarie eundem, sive externarum rerum subsidiis munitum contempleris, quod in aliquam è prædictis differentiis non recidat: unde valde consentaneum, Regularem Deo dicatum, nihil sibi proprium vindicare, quod divini omnino juris, sua professione non ante effecerit, Principis Apostolorum more, qui suo, & aliorum nomine verissime testari potuit. Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*. Non tam rei familiaris census, qui modicus piscatoribus, modico quæstu, nec modico labore viventibus, inerat, æstimandus erat, quam ipsa rerum cupiditas, immo & Orbis totus proculcatus animis, ut Divini Ducis militiæ nomen darent: gloriari jure, & Petrus, & cæteri ex Apostolico cætu poterant: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*. Quo referenda etiam Divi Bernardi *Serm. de tribus. Ordin. Eccles.* concinna satis eorumdem consiliorum mutua inter se comparatio, & ad totius Evangelicæ Doctrinæ praxim obtinendam connexio: *Nam & per multas*, inquit, *tribulationes oportet nos intrare in Regnum Cælorum, & qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & quem à Deo suo exturbavit in obedientia, sine dubio per obedientiam recto tramite ad eum redit. Hæc itaque sibi invicem esse compacta necesse est: nam nec pœna corporis inter divitias stabilis, nec obedientia sine pœna potest esse discreta: & paupertas in voluntate, & voluntas propria nullius potest esse momenti. At verò his rite compositis vide si non tria maris hujus pericula evasisti, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ.* Hæc Bernardus. An vero Esseni altissimam hanc facultatem, totum hominem ad conditorem suum reformandi, ratione tantum assequi valuerint; & quod totius

Terrarum Orbis Instauratorem maxime decebat, è superstitiosis profectum ritibus insimulare: qui, utcumque affirmare id audeat, omnino, aut blasphemum dixeris, aut vecordem.

Religio acquirendæ Perfectionis status.

XXI. Verum, licet Christianæ Perfectionis summa in religioso instituto deprehendatur: non ideo tamen seipso institutum perfectos excipit; aut perfectorum virorum statum continet: sed id præstat, ut in ejusdem cursum, coactione nulla, stimulis tamen acrioribus alumnos suos pelliciat. Hæc enim cujuscumque virtutis disciplina, ut per gradus suos sensim in altissima progrediatur: ut ætati; ita & virtuti, infantia, adolescentia, virilitas suo tempore adest. Hinc celeberrima apud Patres, & Theologos Perfectionis status divisio, in statum Incipientium, Proficientium, & Perfectorum: maxime pro regulari disciplina; in cujus ædibus non omnes asseclæ confestim reputandi perfecti; adeoque mortalis noxæ fontes, si à scopo, sua negligentia, utcumque aberrent, sed eniti debent, à Seculo ad Claustra Perfectionis transgressi, in perfectiorem statum illum per sui instituti subsidia, eodem tendentia; ne proposito frustrentur suo: *In omni studio*, ait D. Thom. 2. 2. q. 183. *art.* 4. *est invenire principium, medium, & finem; & ideo status spiritualis servitutis, ac libertatis, secundum tria distinguitur: principium ad quod pertinet status Incipientium: medium ad quod pertinet status Proficientium, & finem, ad quem status Perfectorum spectat.* Cum vero regularis disciplina neminem arceat, Christianæ perfectionis cupidum tamen & solertem: eo debet temperamento suos instituere, ut inchoantium studium foveat, ac Seculi affectiones, ne dum pravos mores subducat, suo tempore, & radicitus evellendas: id quod sine suaviori prudentiæ regimine fieri nequit. At cum alia sit conditio proficientium, arborum veluti proxime ad fructus pubescentium, delicatiori omissa, solidiorem curam intendit, circa virtutum incrementa, in iisque animi magnitudinem ad rerum popularium, Mundique blandimenta nihil facienda. Demum in militia Christiana, de qua sermo, ea perfectorum habenda ratio, ut non aliter constet, quam si nihil unquam emerito-

rum

rum militum egisse se adhuc agnoscant: sed altius semper se efferant. Veterani sane milites, post confectam bello ętatem, præmia jure à Principe exposcunt, & præ rebus cæteris, reliquum vitæ militiæ curis vacuum. Contra, veterani in Christi Domini castris, quo magis emeriti, eo magis virtutibus inhiantes, stipendia laboribus augent, & difficilioribus militię exercitationibus, meritorum suorum lauream: Cum Paulo Apostolo, qui perfecti Regularis normam se exhibuit ad *Philipp.* 3. profiteri, ac succlamare debent: *Non quod jam*, inquit, *acceperim, aut jam perfectus sim. Sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Jesu. Fratres ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero, quæ sunt priora, extendens meipsum; ad destinatum persequor: ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.*

XXII. Hæsisset sane in limine perfectione sua imminutus religiosus status, si pauperiem, continentiam, atq; obedientiam numini libasset citra votum ullum. Integrum fuisset Religionem professo, quacumque levi causa, quin sine causa ulla, tentationum stimulis tantum titillantibus ab incepto desistere, suumque arbitrii usum, & cætera sæcularis vitę repetere: & voluisset sane sæpissime: nam & cupiditatibus vivimus, cupiditatibus ut plurimum ducimur: eo tamen frequentius, quo nullis nos ulterius deterreri periculis, nullis distineri difficultatibus extrinsecus advertimus. Quamobrem ad religiosi hujusce status substantiam adnectenda erant vota, quæ Regulares, & Regulare simul Institutum perficerent. Votis quidem perficiuntur Regulares, cum consilia suapte natura, & Christi Domini institutione sancta, voti quoque sanctitate circa salubriora se exercentis communiunt. Quod namque gratum probitate sua se oculis offert, gratius firmitate ipsa redditur: non secus ac gemmæ lucem ejaculantes, nullo tamen temporis spatio interituram. Ita Regulares gemina meritorum laude, operum sanctitatem mascula roboris sanctitate cumulant, atque optimum modum virtuti addunt, firmissime consistere. Id maxime virtuti insitum, propriumque adstruunt Philosophi, qui cum Aristotele

Votorum ratio.

lib.

lib. 1. *Eth.* ejusdem rationem attingentes, habitum cum recta ratione definiunt, & moribus sane probos reddentem; idest non casu, neque occasione aliqua hujusmodi specimen præbentes; sed intimo mentis affectu in virtutis incumbentes exercitium: qua de re, cum votum in Regulari, ejusdem virtutis comes sit, intimeque societur, voluntatem voventis in Religionis munia urget, ne resilire pro libito valeat, absque lethalis culpę, ac sacrilegii labe: si infirmitate cęteroqui naturæ, indulgere sibi aliquando, suisque affectionibus vellet. Accedit propositi suscepti ratio; ne aliter quam votis obstringantur Regulares. Qui enim proposuerunt statum aliquem suscipiendum, nunquam in statu illo inesse deprehenduntur, nisi constet, ea voluntate se statum complexos, ut divelli propria voluntate, nunquam in animum inducant: Cæterum non status conditio, sed fastidientis quodammodo animi, & levitate sua ducti cursitatio appellanda potius esset, eodem pene tempore, quo se in meliora convertit, pedem retrahere, ut aliò se vertat: & inde sane fit, ut Regularium status intelligi nequiret, legibus suis abunde firmatus, nisi maximam, quam posset, ex alumnis suis firmitatem in eisdem legibus tuendis haberet: At cum nulla major, quam voti Religione habeatur, qua vovens libertatem suam libere dimittit, Ordini devinctus, exinde sublimis hęc verissimi status ratio proficiscitur, in quo Christianæ Perfectionis dotes clarius emicant; ordinemque vicissim ipsęmet voto & communiunt & exornant: nam sine voto ullo perirent ordinum decora: dum nemo fortasse tam firmiter, tam strenue; tam invicte, quam in præsentiarum videmus, in religiosæ vitæ cursu semel suscepto perseveraret. Posita in lubrico ætas, male sana hominis indoles, sibi ipsi plerumque difformis, adversæ etiam res in statu quocumque prementes, maxime ubi alieno ducimur imperio, & complura alia his affinia sępius libertatem concuterent, ac fortasse adhuc prosternerent: unde Religiosi Ordines brevi conciderent, cum è votis ibidem alioqui nuncupatis perturbationum aculei sæpe molestiam, sed non ita sæpe exitium inferant; pungant, sed non lethaliter feriant, è prio-

priori sponsione metu incusso: & tanquam robustiori aliquo munimine conscientia undique septa.

XXIII. Sed neque verendum, ne uti Lutherani, & Calvinistæ delirant, minus accepta, minusque grata Deo Optimo Maximo futura sint Regularium vota. Impiæ illæ sectariorum voces authores damnant suos, qui ne probri loco haberent, religiosæ olim vitæ immemores, Claustra deseruisse, & turpissima conscientiæ nota, omnem Monachatus districtionem, damnare ea omni ope contenderunt, à quibus damnari verius senserant: nihilo tamen secius ignorare nec ipsi, nec alii poterant, quam gratum numini munus esset, quamque peculiarem ejusdem benevolentiam sibi conciliarit quicumque votum aliquod circa honestæ rei exercitium emisisset: quò quidem salutaris Prophetæ Davidis admonitio spectat *Psalm.* 25. *Vovete, & reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera*. Spectant & complura adhuc Veteris Testamenti exempla, ex divina institutione, aut divinitus quoquo modo comprobata, & commendata fuisse aliorum vota; & divina quidem institutione exploratum *Cap.6. Numer.* Nazaræos, quo Divinæ Majestati se studiosius dicarent, votum nuncupasse, se adamussim servaturos, quę rite Divino ibidem Oraculo exponebantur: cujusmodi est illud: *Vir sive mulier, cum fecerint votum, ut sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare, à vino, & omni quod inebriare potest, abstinebunt*. Divino simul Oraculo commendantur parentes, tenellos filios Templo despondentes: ut prę aliis, Samuelis matrem antequam adhuc utero gestaret, voto se obstrinxisse, Sacræ Literæ testantur 1. *Reg. cap.* 1. ejusdemque voti vi à teneris puerum Templi ministerio addixisse: non obscura quidem Divini Oraculi voluntate, præclarè munus illud arrisisse, è rerum omnium serie, quæ postmodum ibidem exponuntur. Quod si promissiones quæcumque Deo factæ, dummodo honestatem pręseferant, divinitus comprobantur, easdemque infringere, aut temerare, piaculum; multo religiosiora censenda Regularium vota, utpote quæ circa virtutes versantur, Divino Numini gratissimas, Divino Ore commendatas,

Deo gratissima.

spontaneam pauperiem, cordis munditiem, corporis pariter integritatem, facultatem ipsam rationalem divinæ voluntati per omnia obtemperantem. Hujusmodi votis si quid valet homo, se totum Deo offert, ipsumque arbitrium, neque per tempus aliquod, pluresque per annos, ut temporario hoc circuitu elapso, spes sit in integram libertatem remeandi, quod & Nazaræis dabatur olim: sed quousq; vita cum morte commutetur, quod idem est, ac in divinum quodammodo holocaustum Deo acceptissimum migrare: quamobrem optime in hanc rem D. Gregor. *Homil. 20. super Ezechiel. Cum quis*, inquit, *omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sapit, Omnipotenti Deo voverit, holocaustum est*.

Qua Christi Domini insinuatione.

XXIV. Et sane ipse Christus Dominus si non expressis verbis, reipsa tamen, & commendatarum rerum perspectis circumstantiis, vota isthæc religiosa nuncupanda censuit, Apostolis, cæterisque aliis Apostolicum vivendi morem æmulantibus. Et primum quidem abunde inferri posse arbitror veritatem hanc, ex his Servatoris nostri verbis *Luc. cap. 9. Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro aptus est Regno Dei*; in quibus licet expressim non significarit, nec religiosi status rationem, nec conditionem votorum adnexam: eo ipso tamen, quod ad perfectionis Evangelicę cursum alumnos iisdem verbis incitarit, relaxatione, aut diverticulis nunquam intermittendum: perspicue satis modum pariter proposuit, subsidiaq; præsetulit, quibus hujusmodi firmitas obtineri posset: cum vero vota potissimum instituta sint, per quæ hominis voluntas cæteroque instabilis fidem suam semel Deo alligatam, sartam, tectam custodiat, sequitur proinde, non nisi à Christo Domino votorum Religionem in votorum emissione & inspiratam, & Discipulis suis permonstratam. Eadem ratio est in iisdem verbis de religiosi status disciplina. Etenim cum ad Regnum Cœlorum obtinendum minime idoneum pronuntiarit Christus Dominus, quem cursus pericula, & difficultates à proposito averterent: censendum profecto est de omnibus sensisse, qui quomodocumque à Domino pertracti ad meliorem frugem,

sive

five per communem vivendi Christifidelium usum, Decalogi Præceptis præeuntibus, five per singularem alium Christianę perfectionis, propriéque Regularium, in medio cursu desciverint; quamobrem eadem conditio in utroque modo affixa censetur, ut veri status substantia prærequiratur, adeoque constantissima inhæsio, eo probatior, quo votis obstricta magis, & retrocessionis facultati præclusa. Deinde si ejusdem Christi Domini laudatas ante authoritates de Paupertate, de Continentia, & de Subjectione rursus expendamus, in singulis eandem firmitatem nervose inculcatam deprehendemus. Ita quod adolescenti insinuavit in pauperes, egenosque erogandum quod substantiæ haberet, nunquam revocandum propositum, affirmavit, ut ad præfinitum quoddam tempus paupertas servanda esset. Cum Continentiam ex Spadonum comparatione commendavit; mystica hac exectione edocuit, continentiæ virtutem, Spadonum more in perpetuam deduci firmitatem: demum, cum suadet, tollendam crucem per sui abnegationem, & Divinum Ducem sequendum, non cursim, raptimque præstandum id operis: sed ne unquam absistamus, neve unquam lassitudine concutiamur.

XXV. Hine non tam conjicere, quam asserere libere expedit, Apostolos, pluresque alios, è primis Christo Credentibus religiosa vota re vera emisisse, ut optime innuit D.Thom. 2.2. q. 88. art.4. ad 3. Qui cum ante proposuisset, cur Christus Dominus religiosa vota nuncupare nequiverit, neque ut Deus, cui vota nuncupentur, potius quam emittenda proponantur, neque ut Homo, utpote qui voluntatem in optimo jam firmatam haberet: de Apostolis subnectit: *Apostoli autem*, inquit, *intelliguntur vovisse pertinentia ad Perfectionis statum, quod Christum relictis omnibus, sunt sequuti*. Eo potissimum rationis momento; quod cum rem aliquam honestam efficere ex voto, perfectius quidem fit, quam voto secluso; par non est credere, tam præclaris virtutum dotibus, Regularium antesignanos destitutos, ut cæteris aliis, qui postea insequuti sunt ex eorumdem disciplina, posthaberi deberent; quam etiam ratio- *Apostolorum & aliorum praxi.*

 nem

nem fuse, ac sapienter explicat Alvarus Pelag. *lib. 2. de Planct. Eccles.*, & complures alii Theologi eodem trahentes, quæ de perfecta Mundi abrenuntiatione, de continentia, aliisque religiosis dotibus vetustissimi Ecclesiæ Patres, jure merito de Apostolis deprędicant. D. Hieron. *Ep. 34. ad* Julian. *Et hoc hortor*, inquit, *si vis esse perfectus, si Apostolicæ Dignitatis culmen cupis, si sublata Cruce, Christum sequi, si apprehenso aratro, non respicere post tergum, si in sublimi tecto positus, pristina vestigia contemnis, & ut evadas Ægyptiam Dominam, Seculi pallium derelinquis, &c. Sed hoc, ais, Apostolicę Dignitatis est, & ejus, qui velit esse perfectus. Cur autem, & tu nolis esse perfectus? cur, qui in Seculo primus es, non in Christi familia primus sis?* Hucusque Hieronimus. Hoc idem, & de multis aliis in Ecclesiæ exordio sentiunt Patres, dum exponunt, expenduntque commeritas Ananiæ, & Sapphiræ pęnas, quas dedere ex agro distracto &, ob pretii partem detractam, & clanculum sibi retentam. *Act. 5.* quod nequaquam accidisset, nisi voti religionem violassent, de vitæ communione, deque voluntaria rerum abrenuntiatione. Ananię, & Sapphiræ ager erat: verum quia cum rebus cæteris Deo voverant, rei sacrilegii sunt effecti; ac repentini obitus casu ambo perculsi. Votum nuncupasse, e Petri verbis constat: *Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri? nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?* Non esset Spiritui Sancto mentitus Ananias, conscia uxore sua, nisi fidem, quam eidem Domino dederat, fregisset; neque de agro divendito, uti de re propria fraudare pretium potuisset; nisi ante per voti vinculum à se abdicasset. Petri dictum in eundem modum declarat D. Chrysost. *Homil. 12. in Act. Apost. Quare hoc fecisti? voluisti habere? oportebat initio habere, & non promittere, nunc autem postquam consecrasti, majus sacrilegium commisisti: qui enim aliena rapit, forsan alienarum rerum desiderio rapit: tibi autem licebat tua retinere: cur igitur sacra fecisti ea, & postea accepisti?* Nec discrepat Hieron. *Ep. ad Demetriad. Dum Ananiam, & Sapphiram dispensatores vocat timidos: immo corde duplici; & ideo condemnatos, quia post votum obtulerint, quasi sua, & non ejus, cui semel ea voverant.*

XXVI.

XXVI. Verum quemadmodum ego cum Patribus probarim, in ipso fere Ecclesię exordio à multis religiosam absolute vitam votis omnibus emissis ductam; ita non negarim nonnullos adhuc fuisse, qui non omnibus, sed peculiari aliquo continentiæ, aut paupertatis voto privatim se devinxerint, prout sua devotio extimulasset. Etenim in omni multitudine, morum diversitatem reperias: neque omnibus omnia arridere tam facile, eo magis cum de statu capessendo agitur, in quo libertas inest, & expetitur, pietati simul, cum aliqua naturę propensione indulgendi. Quapropter putandum non incongrue est, conjugatos aliquos, mediam quandam vitam injisse, ut matrimonio vacarent, & castitatem una conjugalem voto assererent; Cęlibes quoque continentiam nulla exceptione professos, citra tamen obedientiæ votum ullum. Ministri adhuc Ecclesię tepescente priori Apostolicæ perfectionis lege, sensim delapsi sunt in laxiorem vivendi morem, ut continentiæ voto contenti, paupertatis monasticæ; & vitæ communionis jura solverent. Hos sane nunquam inter Regulares recensendos existimarim, quamvis Regularium fortasse specie, & analogia quadam in vulgus prodierint aliquando; propterea quod Regularium status in tribus illis Evangelicæ Perfectionis consiliis voto etiam roboratis; à Christo Domino fuerit probatus, juxta communem Ecclesiæ praxim, & Patrum authoritates: unde ad eum prorsus modum, quo etiam num in Ecclesia usus invaluit, ut mulieres aliquæ domi se continentes, continentiam voveant, accedente etiam habitu monialibus propiori, nec tamen moniales revera sint; ita à vero non distat, eluxisse etiam vel in primæva Ecclesia utriusque Sexus plures, Perfectionis cupidos, ea nihilominus moderatione, ut statum religiosum nunquam inierint, commendatione digni, quod à vulgi vitiis se subduxerint, in quibus è D. Thomæ mente 2. 2. *q.* 184. *art.* 4. *Perfecta Religio non invenitur*: sed in quibus vota indivisim emissa statum integrum suscipiunt, gradus sibi ad Christianam perfectionem comparant, impedimenta omnia tollunt, pacta inita cum Deo religiose custodiunt.

Integra Votorum professione.

XXVII.

In vita maxime cœnobitica.

XXVII. An vero eadem vota indivisim: sed tamen privatim nuncupata Regularem omnino efficiant, dubitatione non vacat: si enim Religionis substantialia, ut nuper vidimus, in prædictis consiliis, accedente votorum vinculo, adimplentur, hujusmodi status utique sive quis in certum aliquem Ordinem migret, sive in solitudinem nullo socio, & moderatore nullo alio, vivat; sive potius in suis ædibus detineatur, obtineri ubicumque poterit. Et sane dissonum nihil, nihil Regulari instituto repugnare deprehendo, spectata ejusdem natura, & antiquissimorum Regularium in Ecclesia praxi. Scimus, frequentiores olim, & in primis Seculis ab orbe reparato, plerosque Eremitas dictos, solitariam omnino vitam egisse, nec eo minus Regulares, & ex Apostolica disciplina professos. Cœnobiticam vitam aut ignorabant omnino, aut refugiebant; & tamen omnes fatentur, eandem perfectorum Regularium speciem exhibuisse, quid videlicet alii imitari debeant in vitæ asperitate, & religiosis aliis virtutibus excolendis. Virgines adhuc scimus domi se continuisse, sacro velamine accepto, non modo in virgineæ continentiæ, sed & paupertatis, & obedientiæ votis obsignatæ, tesseram, ut de Sancta Domitilla à D. Clemente Deo dicata, deque pluribus aliis Monialibus Ecclesiasticæ Historiæ perhibent: quamvis non defuerint iisdem primis Seculis Virginum Monasteria; in quibus communis vivendi ratio instituta ante fuisset: Concilium Carthag. III. prædictum Monialium in suis ædibus detentarum morem fovet: sed & simul præcipit *cap. 33.* ut Virgines sacræ, *Si Parentibus, à quibus custodiebantur, privatæ fuerint, Episcopi providentia, vel Presbiteri, si Episcopus absens fuerit, in Monasterio Virginum, vel gravioribus fœminis commendentur.* Sed morem hunc obsolevisse exploratum. Quos vulgo Eremitas, & solitarios appellamus; in eorum numero censemus, qui nec Regulares sint, nec Seculares omnino: non quidem Regulares dicendi, quos Regularium vota non arctant: sed neque Seculares: nam & voto aliquo obstringuntur: aut ita solitarie vivunt, ut Regularium speciem præseferant. Regulares igitur reipsa existimandi, qui pro votorum

rum nuncupatione in certum aliquem Ordinem admissi, ita se Ordini perpetuo tradunt, ut mutua pactio intercedat, necesse sit. Siquidem Ordinis candidatus, Ordinis vota, legesque subire tenetur; & Ordo vicissim obligationem subit, ut illum alat tanquam ejusdem corporis partem, & tanquam genuinam sobolem in filium acceptet; nunquam rejiciendum, nisi cum jura in certis casibus præcipiunt, & quibusdam positis conditionibus. Præcipuum hoc Regularium genus, & unicum fere in Ecclesia jam à compluribus Seculis viget, secluso priori: cum experimento satis probata sit Regularis vita, eo potior, quò in cętu aliquo, & aliorum convictu idem prorsus sentientium, communio, perfectioni magis consentanea: virtutes augentur; nam aliorum exempla nos provocant, & iidem ipsi, qui torvis oculis aliena tum dicta, tum facta aspiciunt, cautiores nos reddunt; sed quod rei caput est, obedientiæ votum nullibi tam sanctè, tamque efficaciter in exercitium, & finem suum prodit, quam in communi Regularium societate: quamquam enim libertas privatim Deo dicata, pravas animi affectiones moderari utcumque valeret; ea tamen arbitrii facultas, nullo moderatore proxime adjuta, naturæ stimulis sæpe in seipsam sæviret, perinde, ac navis gubernatore nullo, huc illuc diverteret, si minus tempestatis vi subversionis periculum metueret: atque è votis, periculosius voventis exitium suboriri possit: ne vero in eas angustias redigerentur privatim professionem suam nuncupantes Regulares, & quodammodo Divinam Providentiam ad subsidia prorsus singularia, & paucis tantum concessa, tentare videantur, salubrius institutum, ut in communi viventes, legibus, ac subsidiis in quovis Ordine usitatis, perfectionem, in quam tendunt, assequi facilius possent; priorem Apostolicæ vitæ cursum imitantes: & hanc potissimam fuisse vivendi formam à Christo Domino inchoatam, præter superius dicta, Basilius Cęnobitas adhortatur, in hunc plane modum *de Constit. Monast. cap. 19. Hi vero imitatores sunt Salvatoris nostri, ejusque Vitæ, quam inter nos duxit: quemadmodum enim ille coäcto Apostolorum Choro, communia cuncta, seque ipsum communem Apostolis præbuit:*

buit: ita hi quoque Antistiti suo obtemperantes, genus vivendi Apostolorum imitantur, & Domini.

Inter Religionem, & Regularem pactio.

XXVIII. Mutua hujusmodi pactio inter Religionem excipientem, & Regularem tradentem se, peculiari voto initur, & in ordine quocumque servari solet, ut expresse in sua Professione quisque voveat sui ordinis moderatori, Dei vices agenti, ne subterfugium latitare aliquod posset, nuncupatam professionem, non tamen in designato aliquo ordine; quò traditionem irritam subdole faceret: sed puto verius, etiam si expressis verbis traditio hæc non declararetur: nec ordo in quo voveret; ex consuetudine tamen, & ex circumstantiis, Prælati, habitus, rerumque aliarum in emittenda professione usitatarum, abunde id colligi posse, & tacite saltem cum eadem emissum peculiare illud votum, quod reliqui solent. Consuetudinis enim magna vis est, & ne dum pro lege accipitur: sed eandem interpretari consuevit, quoties dubitationes occurrunt: unde in dubio saltem, an Regularis voverit, & quid peculiare? censendum vovisse omnia, prout de more, nec minus arcte, quam alios. Non omiserim, aliam voventis conditionem esse, aliam Ordinis in mutua illa pactione: nam Regularis voto se ad traditionem sui adstringit: idest vinculo, quo fortius esse nihil potest: quemadmodum & turpius nihil, cum effringere illud aggrederetur. Non item Ordo, qui licet excipiat tradentem, & naturali interveniente pactione teneatur eundem, ut cæteros fovere, ac præstare, quę ordinis leges præscripserint: haud tamen eodem voti vinculo urgeretur, quo seipsum tradens. Immitis esset parens, qui filiis alimenta, aut amoris paterni signa denegaret; sævus militiæ Dux si stipendia militibus subtraheret; sed impius, ac sacrilegus filius censetur, qui maximam parenti debitam submissionem profiteri abnuit, quemadmodum & militiæ desertor, qui militari sacramento adactus, in fugam terga vertit. Optime Chrysost. *Epist. ad Theod. Monach. Si militiæ vincula non tenerent*, inquit, *quis tibi desertionis crimen objiceret? nunc autem nihil in te penitus tui juris est: quippe qui tanto Imperatori militare cæpisti.* Quæ omnia eò tendunt, ut fortiori vinculo Regularis ad-

Or-

Ordinem, quam Ordo ad Regularem obstringatur; multoque magis id evincitur, cum leges Ordinis peculiares, sive peculiaria Apostolicæ Sedis privilegia Ordinem, reciproco eo traditionis contractu absolvunt, quibusdam contingentibus cōditionibus, quæ ad publicum Ordinis commodum expedire viderentur; si quando videlicet justis de causis Ordo ipse subditum Regularem dimittendum existimaret, inquietum hominem, & ab Instituti fine abhorrentem: nemo sanæ mentis esset, qui longe diversam Ordinis, & Regularis obligationem negaret; iis namque casibus, facultas dimittendi, penes Ordinem residet, unaq; libertas integra à priori illa mutua pactione: votorum vinculum subditos tantum arctat, ne resilire à proposito professionis emissæ unquam valeant: id quod in Societate Jesu nostra singulare propemodum est: sed Instituti ratio exposcebat, ut paulo post fusè.

XXIX. Ut vero tanti momenti res arcto observantiæ nexu perageretur, præcluso quoad posset, fraudibus, querelis, aliisque hominum levitatibus, aditu, cum tria hæc Paupertatis, Continentiæ, & Obedientiæ vota, in statu regulari voventem firmarent; ex incorrupta Ecclesiæ disciplina factum, ut hujusmodi Professio, non prius admitteretur, quam cum nuncupanda eadem esset, coram sui Ordinis Prælato, aut alterius, loco ejusdem suffecti, qui nomine totius Ecclesiæ prout Deo dicatam, exciperet: aliis etiam vice testium adstantibus, quo comprobari pariter in foro externo professionis editæ ratio posset. Quid enim hominum ingenio levius, quidve natura imbecillius? In horas, & momenta mutatur; & cum se silice duriorem in sententia fatetur, tunc verendum, ne in adversam partem abscedat. Usu notescit, optimas leges firmissimis præsidiis communiri adversus contumaciorum hostium temeritatem: quibus nulla alia in desperatis rebus effugii spes, nisi humani, divinique juris proculcandi conatus. Esto quod nihil amplius in vovente desiderari potuerit ad professionis editæ rationem, animus, libertas, consilium: quia tamen sublato legum, pęnarumque metu, facile quis exolutum se dictitasset, è judicio in vovendi actu minus

Solemnis Professio quæ?

firmo, è levitate quadam animi, mature minus expendentis vitæ statum, nonnulla, Ecclesia decernenda voluit, quo canonicè prorsus Professio facta probaretur, ac propterea solemnis prodiret. Porro hujusmodi votorum solemnitas, præter canonicam probationem id statuit, ne in posterum dispensari, seu relaxari ab aliis posset, præterquam à Summo Pontifice: nam antiquitus, quicumque religiosis votis publice adhuc se obstrinxerat, Episcoporum authoritate ad Seculum redire poterat per ejusdem professionis dispensationem; unde & fiebat sæpè, ut importunis precibus, sive aliis futilibus plerumque causis, Episcopi ipsi, è quibus diœcesani Regulares pendebant, complures ex Ordine dimitterent votis suis exolutos non sine gravi Christianæ Reipublicæ detrimento: dum quos nuper cucullatos viderat, & corporis afflictatione squallentes: videbat paulo post prophanis nuptiis irretitos, & Secularibus ipsis tumidiores: nec eos tantum, quos Ecclesiastica Potestas, sed quos effræna vivendi licentia, absque ulla Episcopi facultate, exemerat: & quamquam in Provincialibus Conciliis, adversus pertinaces hos sacræ militiç desertores complures cuderentur Constitutiones ad extirpandam tot malorum sobolem, ut in tota fere causæ vigesimæ septimç quæstione prima observare licet. *Cap. de Viduis. Cap. Vidua. Cap. Hæc vero. Cap. Si Custos. Cap. Si qua Virgo.* Grassari nihilominus pergebat sæva pestis: & unius aut alterius Provinciæ remedia, securitatem peccandi quodammodo cæteris ministrabant: conniventibus Episcopis aliis, & malorum incursione torpentibus. Seculo potissimum decimo, atque undecimo tanta ejusdem pestilentiæ pernicies Sacerdotes Seculares equè ac Regulares, invasit, frequentioris tum schismatis occasione, ut publicè, & impunè sacrilega hæc Ecclesiæ Dei monstra, connubia passim inirent, dispensatione nescio qua extorta verius, quam accepta. Cesserant in irritum Summorum Pontificum eo tempore conatus, quousque parta inter Pontifices, & Imperatores pace, de componendis Ecclesiæ rebus, Calixtus eo nomine secundus animum, industriamque omnem adhibuit *Anno Domini* 1122. in Concilio Lateranen-

nensi: sed fontium multitudinem exterruit magis quam cohibuit, immaturo fato paulo post Christiano Orbi ereptus.

XXX. Paucis interjectis annis Innocentius II. malum radicitus extirpandum ratus, in proxima Generali Synodo Lateranensi constitutionem in hanc rem edidit universæ Ecclesiæ comprobatione exceptam *Anno 1139.* qua Monachorum, & Sacerdotum quorumcumque connubia, irrita fecit, sacrilegèque contracta, ob votorum nuncupationem prævian: atque hanc Regulam firmavit: ut tunc Professio religiosa solemnis censeretur, & per quamcumque aliam authoritatem Pontificia minorem irrevocabilis, cum eam publice Regularis, coram suo moderatore emisisset: nomine tamen Ecclesiæ ab eodem acceptatam. Habemus hæc in *Can.* 7. prædicti Concilii: cujus Canonis verba sunt, quę sequuntur: *Ut autem lex continentiæ, & Deo placens munditia in Ecclesiasticis Personis, & Sacris Ordinibus dilatetur, statuimus, quatenus Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares Canonici, & Monachi, atque conversi Professi, qui sanctum transgredientes propositum, uxores sibi copulare præsumpserint, separentur. Hujusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam Regulam constat esse contractam, Matrimonium non esse censemus.* Ex quo Canone patet ademptam fuisse Episcopis, ac Moderatoribus quibuscumque, aliis Regularibus, si quam olim habebant, facultatem omnem, Religiosam Professionem quoquo modo relaxandi, vel commutandi; dummodo Professio canonice, & solemni ritu emissa sit, eo tantum casu excepto, quem Incorrigibilitatis Jus Pontificium appellat, de quo suo loco. Patet insuper ejusdem Professionis vinculo dirimi matrimonium quodcumque utpote initum, cum quis nulla libertate amplius præditus, contrahendi, ac tum de rebus suis, tum etiam de seipso facultatem à se ablegarat: unde si aliqua fortasse probabilitatis ratio, Regulares pertrahere ante poterat, se, non obstante Professionis vinculo, posse dispensationis utcumque obtentæ beneficio, matrimonia, celebrare, & alias lascivire Secularium more; prædicti Concilii saluberrima sanctione, hinc inde concertandi ansa

Quo tempore inventa.

ansa sublata, nuptiæ ipso jure dirempta; ac non aliter Regulares, quam fędifragi declarantur, & veluti transfugæ è sacræ militiæ armatis militibus, ac jam veteranis, turpissima summo Regi, cui nomen dederant, irrogata injuria, Divinæ proinde Majestatis desertores, in Seculi castra migrant.

Ecclesiæ authoritate. XXXI. Perspecta igitur circa solemnem hujusmodi votorum, Religiosique Ordinis Professionem, lege, fit ut Ecclesiastica tantum authoritate inductam, & consuetudine firmatam probemus, neque quidquam aliud secum invehat, quam publicam quandam voventis declarationem, nullo alio arctiori vinculo illato, quam ut nequeat resilire amplius, citra extraordinariam Summi Pontificis dispensationem, quam etsi Teologi nonnulli inanem quodammodo reputant, propterea quod characterem nescio quem in vovente susceptum agnoscant, eidem fere affinem, qui nulla potestate aboleri potest semel obsignatus, in cęlesti lavacro regeneratis: attamen in contrariam sententiam abire video complures Theologos, & omnes fere Pontificii Juris Interpretes *Cap. Unic. de Voto in 6.* ex eadem ratione; quod cum Ecclesiastica dumtaxat lege solemnis Professio admittatur ab eademmet Ecclesia; valde incongruum, absurdumque esset, suspicari; nequire Romanum Pontificem supremum universæ Ecclesiæ Administratorem, Ecclesiasticam legem, justo titulo suadente, relaxare per dispensationis beneficium. Qua de re si Episcopus olim ante Concilium Lateranense relaxare in Regulari poterat, Religiosi Ordinis vota; potiori jure poterit Summus Pontifex, adhuc post Concilium, à quo jus nullum Pontifici ademptum; neque si decrevisset, de omnimoda Pontificis potestate intelligendum id esset, sed tantum de faciliori illa relaxatione, quam sine gravi conscientię piaculo exercendam, nequaquam existimasset, ubi de vinculo Ecclesiasticæ Disciplinæ agitur, deque promissione Summo Numini facta in æternæ salutis sponsionem. Porro caracterem illum à nonnullis licet doctissimis viris assertum, tanquam commentitium rejiciunt alii: nec sane immerito: nam obsignari par esset in Professionem emittente, vel eadem

vo-

votorum vi, vel ceremoniis aliis, quæ in ea emissione exercentur: sed votorum vis semper eadem: unde si ante Concilium Lateranense relaxandi potestas justa quidem, justis de causis censebatur, iisdem etiam post Concilium erumpentibus, illæsa in Summo Pontefice residet: Ceremoniæ vero aliæ, preces potius quasdam, quam novum vinculum continere videntur, ab eadem Ecclesia, in voventis pietatem augendam institutas.

XXXII. Hinc perspicuè comprobari potest ad Religiosi Ordinis naturam, substantiamque haud omnino necessariam censeri Professionis solemnitatem, ut absque ea Regularis effici nequeat. *Votorum simplicium Professio.* Quandoquidem Religiosus Ordo statuitur per tria illa, quæ diximus vota, sive ea solemnem in morem, sive privatim, & simpliciter emittantur, dummodo firmitatem ex parte voventium nanciscantur, perpetua eorumdem traditione in divinum obsequium, cui se manciparint. Cum enim Religiosi Ordinis statum divinitus institutum ex Christi Domini imitatione acceperimus, neque aliunde è Sacrarum Scripturarum promptuario, aut ex Sanctorum Patrum definitionibus comperiamus requisitam hujusmodi solemnitatem; sed tantum ex Ecclesiæ ordinatiori lege; ejusdem Ecclesiæ lege altera, aut Summi Pontificis authoritate, Religiosus Ordo probatur, qui ad vota tantum simplicia nuncupanda obstringatur: quemadmodum in more, ante Lateranense Concilium positum fuerat, ut quoties Religiosus Ordo, Regularem laxiorem, ingenio, & moribus à cæteris diffidentem vidisset, rejiciendum ex Ordine satius duceret, quam pravo ejusdem exemplo cæteros alios relaxandos putaret. Huc facit, quod in Divi Benedicti Ordine servabatur olim, cautumque est capite vigesimo octavo, & vigesimo nono ejusdem instituti, quo is jubet præscindendos esse correctionis expertes, quod Turrecremata de absoluta ejectione intelligendum existimat, ut ab Ordine dimitterentur, relaxata prius votorum, quibus se ante devoverant obstrictione, & D. Gregorius *lib.* 2. I. *Dialog. cap.* 25. de quodam Monacho narrat, importunis precibus ab eodem Patriarcha postulasse, ut ab Ordine dimitteretur; & tandem extor-

torsisse non sine, & jubentis stomacho, & graviori potentis damno. Quid? quod Sedes Apostolica nostræ Societati à suis crepundiis eandem facultatem indulsit, ut ejusdem alumni post tyrocinium emitterent quidem religiosa vota, quibus verè Religiosi efficerentur, sed simplicia: attamen quoad arctissimum illud vinculum ne in Seculum dimitti possint, vis est aliquanto remissior: nam supremo Societatis Moderatori permittitur, ut liberam hanc dimittendi potestatem exerceat, cum jis, qui sunt Religioso Ordini graves, obeundorum in eo munerum impotentia, vel graviori alia de causa in publicum damnum emergente, probata tamen penes Moderatorem ipsum. Cæterum quamvis idem Moderator, pro sua prudentiç, & justitiæ laude facultate hac polleat: non est par tamen in religiosis subditis dimissionis petendæ ratio. Hi namque peculiari voto tenentur, cum professionem nuncupant, Ordinem ipsum amplecti, ut in eo ad extremum usque vitæ spiritum degant, & sine gravioris culpæ labe dimissionem petere, nec possint, nec debeant, etsi consensum fortasse iniquis tandem petitionibus extorserint; reclamante conscientia, frustra se religiosis votis exolutos. Alia vero censetur in Societate nostra solemnis Professio, quæ post multos annos ibidem religiosius transactos, prçeunte Tyrocinio altero ab emenso studiorum cursu, celebratur. Hæc communem cum aliorum Ordinum Regularibus perpetuam illam mancipationem habet, ut neque subditus votorum relaxationem petere, neque Moderator ipse possit ullo pacto concedere, salvis Apostolicis Constitutionibus, & constantissima reliquorum Ordinum praxi. Quæ omnia de Societatis instituto, deque votis simplicibus religiosum statum in eodem firmantibus, non modo post Paulum Tertium probavit Gregorius Decimustertius Pontifex in Bulla *Ascendente*: Verum insuper obtrectatores compescuit, ne Religiosos Societatis non emittentes professionem hujusmodi solemnem quoquo modo damnarent, jis sane verbis: *Non considerantes voti solemnitatem sola Constitutione Ecclesiç esse inventum*: ut proinde inferre tacite saltem vellet, potuisse Christi Ecclesiam,

adeoq;

adeoque Romanum Pontificem Ordinem quemcumque religiosum, & cum solemni votorum professione, & sine ea votis tantum simplicibus emissis, firmare.

XXXIII. Religiosum itaque statum conflat, naturam, ac indolem prodit, reque ipsa perficit trium votorum nuncupatio, atque in jis ea traditio, qua vovens alieno se subiicit imperio toto vitæ suæ cursu; nec ob aliam sane causam, nec alii, quam qui Christi Domini vices agit, ut Christi Domini propius imitationem attingat. Summo Theologorum consensu sententia hæc comprobatur, non modo è cujuslibet virtutis ratione, quæ secum invehit firmissimam in eandem voluntatem, & par in opere studium, sed ex peculiari votorum promissione Deo Optimo Maximo nuncupata, quæ nullis temporis spatiis prædefiniri debet; cum quidquam aliud haud excipitur in nuncupatione ipsa. At exploratum quidem est, Religiosorum Ordinum praxim inveteratam, ac inconcussam in eo firmari, ut quicumque in jis voveat, non alio animo, & ipse faciat, & Ordo quisque admittat, etiamsi clare id non exprimatur, quam perpetuo ejusmodi famulatui se tradat: Ipsa nanque votorum religiosorum vis, quæ nos Deo peculiarius addicit, firmissimam obligationem inducit, ex Servatoris laudato Oraculo, Luc. 9. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus est Regno Dei*. In quæ verba optime D. Thom. 2.2. q. 186. art. 6. ad 1. pertinere quidem ait ad Evangelicæ perfectionis leges, non utcumque Christi Domini imitationem capessere; sed ne ulterius sectator ab eo vitæ instituto, unquam se retrahat. Accedunt Ecclesiasticæ Sanctiones. *Cap. Cum ad Monasterium de statu Monach. Cap. Viduam. Cap. Significatum. Cap. Porrectum, affinesque aliæ de Regular.* Quibus omnibus cautum, ne sine votorum nuncupatione religiosus status assumeretur, potissimum, quod firmitas status semoveretur, ac propterea sine re vacuum esset religiosi Ordinis institutum. Sed si novatores religiosa vota eo nomine improbantes, conscientiæ laqueos appellant, propterea quod divinum obsequium non necessitate, sed voluntate peragendum sit, meminerint, quam gratum Numini in Sacris Li-

Rerum prædictarum Synopsis.

teris, & ut holocaustum excipiatur: meminerint, nihil magis sponte fieri, quam in quod quisque se immittit, ut toto feratur animo; nec quidquam aliud malit: meminerint D. Augustini Paulinam matronam opportune in rem nostram monentis. Ep. 45. *Non te vovisse pœniteat; immo gaude, jam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Felix necessitas, quę ad meliora compellit.* Meminerint demum, persolvendi debiti munus, è rationis imperio proficisci, quò promptiori animo persolvatur; nec spontaneè minus fieri, quod ubi feceris, meriti plus tibi compararis. An Novatores negabunt, Decalogi Præcepta, necessitate quadam ab hominibus adimpleri: propterea quod in jis debitum & quidem arctissimum è divino imperio agnoscamus? Fateri pariter debebunt, affini nos necessitate in divinum obsequium properare; unde quemadmodum, divinum imperium nullam homini adimit libertatem in ferendis legibus; ut nequaquam sponte servandas affirmare aliquis audeat: ita Regulares, quam sibi provinciam ad Dei famulatum ultro suscepere, votorum nuncupatione: perinde se habent, cum reipsa adimplent; ac si divino prorsus imperio obtemperarent, votorum rationem, & praxim exposcenti.

Ad religiosum statum Consiliorum perfectio quæ?

XXXIV. Ad paulo diligentius religiosi status naturam expendendam, id quoque vestigandum: An omnimodam consiliorum integritatem Christiana Perfectio exquirat, ut ejusdem status participem voventem præstet? & dubitatio ex eo oboritur, quod cum Ordinum diversitas in Ecclesia diversitatem quandam, circa Consiliorum materiam secum trahat; non eadem paupertatis, ac cæterorum votorum lex equè omnes arctat. Summa propemodum in D. Francisci austerioribus alumnis paupertatis ratio: modus certe commodior ut plurimum in Ordinibus aliis, proventuum usu conspicitur. Obedientię adhuc leges in Cęnobitis arctiores, quam in militarium Ordinum Regularibus; atque in his etiam, non una continentię disciplina. S. Joannis, aut Melitensium Ordo, integram continentiam in Professione nuncupat: D. Jacobi vero conjugalem tantum; quamobrem aut militares ordines à statu

reli-

religioso prorsus ablegandi: aut paucissimi fortasse è compluribus aliis Clericorum, & Monachorum in eodem recensendi. Actum quidem esset de regulari vita, si summa Consiliorum perfectio à Sectatoribus exposceretur expetenda magis, quam expectanda in hominum convictu. Vix Regularis Ordo in lucem ederetur, sed ne vix quidem; cum nullum reperire sit, in quo virtus, praxi altius non evehi posit. Videndum prius, quid natura ferat, quid Perfectionis finis, quæ in rebus agendis constantia. Pergendum, quo cęlestis afflatus nos vocat, viribus, atque humanis subsidiis ęqua lance libratis. Atque, ut rerum summa verborum quoque compendio pręfiniatur, neminem fugit, in Christiana Perfectione, non individuum penitus virtutis gradum contineri, extra cujus confinia excurrere ulterius, ac uberius nequeat animus. Aperte id refragaretur Christi Domini effato. Matth. 5. *Estote*, inquit, *perfecti, sicut & Pater vester Cœlestis perfectus est*. Nullam mensuram in perfectione designat, nullum profecto ejusdem acquirendę terminum, ultra quem progredi haud detur. In imitationem Summi Parentis nos invitat, quo nunquam cursu fatigemur, tanquam perfectionem aliquando maximam complexi. Alia tamen Consiliorum ratio est, quę modum habet, certasque leges, illiciis hominum naturæ consentaneis, ne hęc medio cursu fatiscat, neve asperitate summa deterreatur, laboris ęquè & cursus impatiens: quorum munus proprium est, in finem aliquem dirigere, ad Perfectionem propius facientem.

XXXV. Proximus hujusmodi finis, ut sequente Libro apertius fiet, Charitatem in Deum, *Perfectionis vinculum* ab Apostolo Paulo dictum, vel solitarie per se acceptam, vel cum proximi charitate conjunctam respicit: *Charitas quippe*, ut fatetur Augustinus in *Enchirid. cap. 121. est Dei, & Proximi: quia in his duobus Præceptis universa lex pendet, & Prophętæ*. Matth. 20. Quia vero Consilia (sępe inculcanda eadem veritas) à Seculi cupiditatibus avocant, quo facilius in Deum homines trahant, in praxim justo temperamento aptari debent, ut finem ab instituto susceptum, commodius promoveant, teneantque, uti sapienter Cassianus

In finem suum aptio.

ex Sermone Abbatis Mosis *Collat.* 1. *cap.* 7. *Jejunia*, inquit, *vigilia, meditatio Scripturarum, nuditas, ac privatio omnium facultatum non perfectio; sed perfectionis instrumenta sunt: quia non in illis consistit disciplina illius finis: sed per illa pervenitur ad finem*. Quę is Author instrumenta, Philosophi generatim appellare consueverunt media, quibus industrie conquisitis, & in usum productis recta collimare videtur, quò quisque mentem, cursumque suum dirigit. Si instrumenta igitur ac media, non tam seipsis ęstimanda, quam obtinendi finis gratia, accidere proinde potest, ut quæ aliquando in finem intentum celerius perducant; rebus aliis, rerumque fine ipso conducibilius postulante, retardare etiam aliquando cursum possint tum maxime, cum instrumentorum efficacitati modus absit. Ita jejunia moderata sanguinis, & naturalium spirituum ebullitionem, dum cohibent, vivaciorem proculdubio animum ad cœlestes meditationes parant. At immodica, dum corpus ad extremam usque maciem redigunt, eundem animum labefactant, spirituum inopia, & pigriorem, ac fere intermortuum ad spiritualia munia exhibent. Paupertatis quoque decus prorsus suspiciendum, sed, quibus solicitudo omnis in solitudine excolenda. At eadem affixa Regularibus in proximum incumbentibus, & rigore solitudinis cultoribus affini, aspectu ipso deterret, & à ministerio sevocat inedia pene confectos. Isthæc omnia dicta velim, ut religiosum statum Evangelicis Consiliis re vera, & votorum emissione coalescere constaret; eo moderamine tamen, ut non in summum praxis rigorem trahenda consilia sint, sed quatenus ad proximum charitatis finem conferunt; quamobrem censendum omne illud institutum regularis vitæ statum in se continere, cujus Evangelica consilia tanquam Perfectionis instrumenta adhibet, etsi de asperiori quodam usu aliquid dematur. Et quidem aptiora artis cujusque instrumenta reputantur, non quæ materia cuduntur nobiliori, sed quæ in operis intenti usum fęlicius artificis industriam promovent: ut equi frenum non auro, vel argento defęcato elaboratum, eo ipso perfectius existimandum, sed quid ejusdem particulæ, quamvis ferreæ, invicem discretæ, in-

invicem pariter compositæ, eo tamen artificio inter se connexæ sint, ut equum in sessoris nutum expeditius moveant, trahantque, quo is malit. Haud secus Evangelica Consilia, seipsis proculdubio proficua hominum cupiditates refrenant, eo tamen felicius, quo in optimum vitæ scopum certius capessentes dirigunt; atque peculiarem proinde religiosæ vitæ ordinem præfinitis aliis legibus firmant.

XXXVI. Exinde Militares Ordines vere Regulares facile comprobandos video: si enim obsisteret aliquid, potissimum ex ipso cōsiliorum moderamine proficisceretur; Atqui cum hoc idem, instrumētum sit aptissimum ad Evangelicam Perfectionem parandam; fatendum idcirco militares ordines, si cætera adsint, religiosi status beneficio communiri. Et primum, quoad hujusmodi Ordinum finem, nemo negat, ad charitatis perfectionem, institutionem ipsam esse referendam: nempe, ut Christianæ Fidei hostium vires debilitentur, ac proinde Christiana Religio in tranquilliori statu sit, publicaque Christiani Populi salus propugnetur, quam pro viribus hucusque ordines strenue curarunt. Verum quia in cedes, & sanguinem ruere, barbarorum morem imitari videtur, qui militiæ operam navat suam: hujusmodi propterea offendiculum mascule prorsus rejicit D. Thom. 2.2. *q.* 188. *art.* 3. verioremque sententiam tuetur: cujus verba referre secus sentientium objecta omnia diluere est: sic nanque ait: *Religio institui potest non solum ad opera vitæ contemplativæ; sed etiam ad opera vitæ activæ, inquantum pertinent ad subventionem proximorum, & obsequium Dei, non autem inquantum pertinent ad aliquid mundanum tollendum. Potest autem officium militare ordinari ad subventionem proximorum non solum quantum ad privatas personas, sed etiam quantum ad totius Reipublicæ defensionem.* Unde de Juda *Machabæo*, 1. *Machab.* 3. dicitur quod *præliabatur prælium Israel cum lætitia, & dilatavit populo suo gloriam. Ordinari etiam potest ad conservationem Divini Cultus: unde ibidem subditur, Judam dixisse: nos pugnabimus pro animabus nostris, & legibus nostris, &c. Unde convenienter potest institui aliqua religio ad militandum non quidem propter aliquid mundanum; sed* prop-

Militares Ordines vere Regulares.

propter defensionem Divini Cultus, & publicæ salutis, vel etiam pauperum, & oppressorum, secundum illud Psalm. 81. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. Paupertatis jura saltem substantialia servantur: eo enim actu, quo se milites divino obsequio mancipant, voti hujus vinculo ita se componunt, ut temporarium lucrum, ac terrena simul omnia contemnenda ducant. Quod si non tam arcte, ut Regulares reliqui, paupertati se despondent, status sui decentia efficit; nam in suis quisque ædibus patriis vivit nobilitate, & gradibus plerumque illustris: paulo laxiori cultu nitere proinde debet, integra nominis existimatione ad hostes generosius propulsandos, junioresque excitandos ex ipso celebrioris famæ, simulque commodioris vitæ illicio. Continentia in Melitensium Ordine integra in Claustralium morem emittitur; At quibus institutio alia, recurret mox sermo. Obedientiæ vero votum, nescio an in difficiliori re comprobari melius possit, quam in hujusmodi ordinum subjectione; & pace cæterorum Regularium dixerim: subjectio quæcumque alia, horum militum subjectionis argumentis comparata, fasces submittit. Voto nuncupato, mortis periculo se sæpè objiciunt, hostes intrepide, cum expedit, aggrediuntur: non tam naturæ impetu in mortem ruunt, quam religionis tuëdæ zelo incensi; lacessunt pericula, metum arcent, excusationes turpissimam notam putant, lassescunt nunquam, nisi cum lethali vulnere se impotentes norunt. Æmulatio tantum cum commilitonibus, quisnam prior pugnam aggrediatur. Hæc si quis mature expendat, conferatque cum communi aliorum subjectione, in suarum legum suaviorum custodia, in publicis servandis ordinis muniis, in communi vita tuenda, affinibusque rebus à Prælatis indictis, levissima isthæc sane, & à mulierculis ipsis commode præstanda existimarit.

Conjugalem adhuc continentiam vovent.

XXXVII. Controversia in iis Ordinibus potior, qui continentiam non integram, sed conjugalem tantum emittunt, cæteraque voto huic respondentia. Continentia nanque conjugalis spinis obsita, cæterorum Secularium curas, domus, ac familiæ, quibus distinentur, secum in-

ve-

vehit, hominemque ut ita dicam in plures partes, alteram in suos, in Deum alteram discindit; & ne Deo totum se tradat, quod Regularium statui maxime dissonum, connubialibus legibus obsistit. Testis luculentissimus est Paulus Apostolus, qui 1. *Corinth. cap.* 7. eadem ratione cęlibatum conjugio præfert: *Qui sine uxore*, inquit, *est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore est, solicitus est, quæ sunt Mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est*. Ita etiam paulo inferius: *Porro hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat, sine impedimento Dominum obsecrandi*. En quo pacto conjugii usus, quamvis suapte natura licitus; mentem tamen ac voluntatem, ab impensiori perfectionis studio avocet, uxore ac rebus domesticis præpeditas: quemobrem, nec robur ullum voto paupertatis simul inesse potest, sed umbra fere nominis: quippe quod naturæ vinculo repugnet, oportet, quo parens domesticam substantiam curare, & augere ad alendos suos, pro generis, & muneris dignitate tenetur. Nihil igitur conjugatis, quoad votorum substantiam, commune cum Regularibus esse potest; cum Christo consepultis; atque in seipsis, & in suis iterato viventibus, quorum munera ab aliis longissime distantia: unde sapienter philosophatus in hanc rem videtur fuisse D. Thom. 2.2. *q.*186. *art.* 4. *ad* 3. *Illi modi*, inquit, *vivendi, in quibus homines matrimonio utuntur, non sunt simpliciter, & absolutè loquendo, religiones, sed secundum quid, inquantum scilicet, in aliquo participant quædam, quæ ad statum religionis pertinent*. Haud ignoro tamen, Theologos alios, & in moralis Theologiæ disceptationibus clarissimos, secus mentem suam declarasse, & præsertim Sanchez *in Decalogi Præcepta lib.* 4. *cap.* 46. *num.* 11. in hunc modum: *Quamvis verius credam hos esse veros Religiosos, utpote qui vovent castitatem, paupertatem, & obedientiam sub regula à Sede Apostolica approbata, & quamvis hæc vota non sint, de tam absolutis his rebus, ac in aliis Religionibus promittuntur: at ipsa Sedes Apostolica, cujus est Religionum instituta confirmare, dispensavit, ne ita strictè emitterentur. Et ideo hos esse vere, & proprie Religiosos sustinent, Navar. lib.* 1. *de reddit. q.* 1. *&c. Et*

tan-

tandem hanc partem optime, & latissimè defendit solvens contraria, & plurimorum Theologorum magni nominis ex omnibus Religionibus subscriptiones afferens, Mota de confirmatione ordinis militiæ lib. 2. cap. 1. & 2. Eandem opinionem sequutus est Suarez *Tom. 4. de Relig. lib. 1. cap. 4.* quam communem appellat, ea ratione motus: quia, *Status hic*, inquit, *non est vita ordinarius, & communis observandorum Præceptorum; sed etiam sublevatur ad observanda consilia non utcumque, sed cum vera traditione totius hominis, totiusque vitæ ejus in obsequium Dei, & in actu satis difficili, qualis est, vitam pro defensione honoris, & Ecclesiæ ejus tot periculis, ac laboribus exponere. Ac denique cum obligatione perpetua ad illa tria magna consilia, paupertatis, castitatis, & obedientiæ, quatenus ad illum finem accommodata sint, & sufficiunt.*

Authoris sententia.

XXXVIII. Verum ego in hac sum sententia, ut censeam, hos quoque militares ordines, inter Regulares propriè dictos, numerandos: si de iis sermo sit, qui præter continentiam conjugalem, obedientiam, & paupertatis professionem emittant: dempto enim aliquo, è tribus hisce votis, regularis vitæ status concidit, etiam si reliqua alia Regularium munia subsint; cum eo ipso semoveatur status à Christo Domino inductus. Quod vero non obstante dimidiata quodammodo votorum nuncupatione, eam emittentes, Regulares sint, suadet ejusdem perfectionis comparandæ disciplina, in quam tendunt iidem Ordines, propositis sibi instrumentis cum cæteris aliis, etsi non adamussim communibus: cohærentibus tamen, & præcipuo fini proximis, charitati videlicet comparandæ. Porro continentia conjugalis, voti religione obstricta, nec à voti natura, legibusque, nec à Christiana perfectione discrepat. Alterum pietati incrementum addit: quemadmodum, & cuicumque non delinquendi lethaliter, votum edenti: altera vero eundo vires acquirit, & voventem in suum finem paratiorem præstat, ad præclaram pro Catholicæ Fidei defensione mortem, quoties necessitas exigat ferendam. Paupertatis eadem prorsus habenda ratio, quam nuper in aliis propugnavimus, honestiorem nempe illam status conditionem æquo munere ad se, ac suos alendos, pro-

ten-

tendi posse, incorrupta ordinis disciplina. Apostoli Pauli testimonium luculentissimum, fieri nullatenus posse haud negat, ut conjugatus, totum se Divinis Legibus eo statu mancipet: sed tantum monet videndum, ne quod ut plurimum usuvenit, ob nimiam domesticæ rei solicitudinem, ab intensiori rerum divinarum cura, animus sevocetur, perinde, ac dissectus quodammodo videatur. Cæterum in Ecclesia Dei defuere nunquam conjugum exempla, qui vitam insigni innocentia, transegerint, & perfectione Regulares adhuc insignes, prætergressi sint, morum integritate, aut saltem æquarint, ne dum obscuri generis homines, sed præcellenti nobilitate suspiciendi, & Reges insuper, & Imperatores ipsi, Ferdinandus Castellæ Rex, Ludovicus Nonus Galliæ, Casimirus Poloniæ, & Henricus Augustissimus Cæsar.

XXXIX. Fateor, D. Thomam, loco paulo ante laudato in contrariam sententiam, propensiorem, videri potuisse; nisi continentiam tantum conjugalem in vivendi modo exposuisset: unde propius veritati est, eos religioso statu exclusos, qui aut prædictam tantum continentiam, aut ad summum, votum alterum emisissent: ac de his sane nulla prorsus controversia: cum tanti Doctoris opinioni, nemo refragari possit, ex proxime expensis rationibus. Contra vero, ex iisdem D. Thomæ fundamentis, quibus propugnavit ordinum militarium institutionem, è Christianæ Religionis tuendæ stimulis, perspicue evincimus, nullam ibidem differentiam hujusmodi ordinum memorasse, qua Regulares assereret, qui integram: excluderet è converso, qui conjugalem continentiam in professione despondissent: & tamen in tanta ejusdem status affinitate per emissionem trium votorum, generatim ab omnibus celebratam, nequaquam exponere omisisset sapientissimus Doctor, qui verè ex his ordinibus censendi Regulares essent, qui secus: non obstante, quod omnes, eundem sibi finem proponerent: quamobrem omnino firmandum de iis re vera sensisse, qui privatim pietate permoti, & ut firmiori vinculo, incontinentiæ labem declinarent, voto se servandæ conjugalis continentiæ, quoquo mo-

Quid Divus Thomas senserit.

modo obstringerent. Sed nec ego negarim tantam esse differentiam inter austeriores Ordines, & militares, ut collatis utriusque classis muniis, legibusque integra adhuc votorum obstrictione, militares ordines, & præsertim, conjugalis continentiæ votum delibantes, vix Regularium nomine in vulgi existimationem veniant; & perinde se habeant ac Seculares reliqui, tum cultu corporis exteriori; tum etiam cæterarum rerum communione: proximus autem horum ordinum finis cum votorum emissione, non ad vulgi, sed Sapientum solummodo captum expositus, Regularis Ordinis substantialia firmat; perspicueq; enuntiat alumnos nuncupatis votis verè Regulares. Quod si nonnulli ex adverso obstrepent, à cæteris Secularibus plerumque fere nihil eosdem dissidere, Seculi laqueis, & occasionibus irretitos, viderint, qui suo malo à nuncupata professione desciscunt.

Ordinum approbatio. XL. Religiosi status hucusque traditam institutionem, ac naturam proxime sequitur Canonica Ecclesiæ approbatio, sine qua in irritum recideret; non quasi vero aliquid de utriusque dotibus intime adjiciendum esset, aut subtrahendum, quò perfectione sua libraretur: sed quò quilibet ordo instituendus Christi Domini institutionem re vera consectaretur eo vitæ instituto, legibusque ad prædicti status naturam aptatis. Maximi momenti rem aggrediuntur, qui insuetum, novumque vivendi modum in Ecclesiam inferunt; & ut quisque judicio suo plus nimio tribuit, eo se acrius ad altiora extimulat, quo ab assuetis remotiora videt, optimæ quamvis spei plenus, suaque conscientia vallatus: sed cum hominum judicia sępe fallantur, verendum adhuc sępe, ne in sui, aliorumque perniciem blande labantur, & ne pravus Dęmon, qui juxta Apostolum Paulum, in nuntium cęlitus demissum se simulat, coelestem prope praxim in speciem ostentet, deterrimam verò animorum pestem, quæ sensim serpat, propius immittat: quapropter præclarè Bellarminus *lib. 2. cap. 4. de Monach. Duo siquidem*, inquit, *in omni Religione inveniuntur; essentia ipsa Religionis, & determinatio illius essentiæ ad certum modum vivendi: & quidem essentia Religionum in Evangelio*

fun-

fundamentum habet; proinde ex hac parte, non egent Religiones Pontificum approbatione. Modus autem ille varius, quo tria vota suscipi possunt, non ita perspicue in Evangelio elucet, & non parum ex prudentia, & directione humana pendet, quare Pontificis confirmatione indigere potest, & nunc reipsa propter jus positivum novas Religiones prohibens, omnino indiget. Totum igitur hujusce approbationis fundamentum in Ecclesiæ authoritate situm, tum potestate, qua in res Ecclesiasticas, atque Ecclesiarum Ministros absolute pollet, tum etiam judicii firmitate, ad errores deprehendendos, quemadmodum, & salutares institutiones in tuto locandas, simulque promovendas: quibus tamen gradibus hæc eadem approbatio in suum finem processerit, operæ pretium est, altius & ab initio usque repetere.

XLI. Et primis quidem Ecclesię temporibus, acceptam ab Apostolis regularem disciplinam, crediderim verius sponte ab alumnis arreptam, quam ulla alia ulteriori probatione discussam: modus certe ille vivendi simplex, Evangelicis Consiliis,& votorum substantia duntaxat constans, & privatim plerumque excultus, metum omnem, abigebat, ne errore aliquo detineretur, qui statum delegisset: Tyrannorum adhuc sævientium rabies vetabat, ne in hanc rem diligentius, quam aliàs par esset, Ecclesiastici Moderatores incumberent. At cum opportune licuit, Episcopi consensus, in cujus Diœcesi regularis vitæ cultores inerant, requirebatur. Is pro munere curabat singulorum mores, vivendi leges, studia reliqua: & ubi hujusmodi subjectio abeiat, non virorum regularium cœtus, sed hominum fere agrestium turba reputabatur, sylvis suopte ingenio, & caveis addicta, sacræ Herarchiæ leges abnuens: Hęc namque in Ecclesia ab exordio tradita est forma, ut Episcopi in suis Diœcesibus Ecclesiastici Principes agnoscerentur, suos subditos tanquam mystici corporis membra sibi devincientes, sibique tanquam capiti in rebus spiritualibus subjicientes. Episcopus Pastoris vices agit, ex disertis Servatoris nostri verbis, cujus sit, oves pascere, & pascentes sedulo curare, ne noxia pascua mandent, ne per abrupta, duce nullo, ferantur, ne prædones *Qua olim praxi.*

suffurentur, ne lupi tandem, dilaniandi opportunum tempus nanciscantur: quę omnia pro commisso sibi divinitus grege declinare Episcopus debet, maxime ubi vitę insuetum genus hujusmodi pericula portendere consuevit: itaque semper factitatum in Ecclesia, antequam Summus Pontifex constitutionem de novis Ordinibus à Sede Apostolica tantum approbandis, ferret, comperio, ut Episcopus, non modo Monachos sibi subderet, communi, authoritate, quam in cęteros Diocęsanos exercebat; sed strictiori quadam disciplina, qua nunc suis Moderatoribus Provincialibus, ac Generalibus subduntur, ut ex Concilio Niceno *cap.* 56. *& ex cap. Abbates* 18. *q.* 2. & proxime sequenti habemus: *Monasteria, & Monachorum disciplina ad eum pertineant Episcoporum, in cujus sunt Territorio constituta.* Si igitur jure suo Episcopus sibi subdebat olim Monachos, quos intra Monasteria ad Statum Regularem nuncupandum admittebat, & pro culpę modo, quos ejiciendos omnino existimabat, prompte dimittebat *ex Concil. Meld. cap.* 19. impensius curandum eidem fuit, ne ordo excitaretur intra suam Diocęsim, non probata antea vitæ Sanctitate, perspectisque antea legibus. Impensior hæc cura Episcopum urgere debebat, quod ut plurimum antiquissimi in Ecclesia Ordines non invecti pro universa Ecclesia fuerint; sed iis urbibus, aut viciniis, ubi commodum nacti Sanctissimi Institutores, eorumdem locorum Episcopis per omnia subjiciebantur; si vero in alia Diocęsi, eandem opportunitatem sua munia obeundi affeclæ obtinuissent, haud absimili subjectione, Episcopum alium venerabantur, & nova insuper approbatione indigebant. Qua de re controversiæ plures sępe excitatę inter Abbates, & Episcopos, & inter Episcopos adhuc ipsos, utque tollerentur, dissidiorum fomite sublato, cautum, ne Monachi sub unius Episcopi subjectione in Diocęsi aliqua viventes, in aliam migrare possent, inconsulto, ac renuente suo Episcopo: atque si secus faceret, pęnis subjaceret, ejusdem Episcopi arbitrio infligendis: quò spectat Generalis Concilii Chalcedonensis *Canon.* 4. in quo, hæc inter alia continentur: *Monachos autem in unaquaque Regione, & Civitate Episcopo sub-*

subjectos esse; & quietem amplecti; & soli orationi, & jejunio vacare, in quibus ordinati sunt locis, fortiter perseverantes, nec Ecclesiasticis, nec secularibus negotiis se ingerere, vel communicare, propria relinquentes Monasteria, nisi quandoque à Civitatis Episcopo permissum fuerit.

XLII. Non alia sane vivendi lege priores religiosos cætus, Ordinesque in Ecclesiam illatos accepimus. Prima Monachorum examina per Ægyptum effusa, Antonio, aliisque dein Sanctissimis Viris Ducibus, Alexandrino Patriarchæ per omnia subdebantur, qui amanter eos fovebat; sed totam vitæ rationem moderabatur, sacra omnia, & ipsam cæterarum rerum administrationem, ne quid inordinatum irreperet. Idem juris in Palestina servatum, ubi compleri passim Monachis cœpit, neque pervagandi, neque abscedendi, neque aliud quidquam suomet arbitratu Religiosis Viris faciēdi potestas facta. A Hierosolimitano Patriarcha in rebus fere singulis pēdebant: quemadmodum, & à suis Episcopis hujusmodi cœtus alii, in eorumdem finibus instituti, vel traducti, & nc quis subdubitare amplius possit de hujus disciplinæ fundamento, libet ex doctissimo Suario *Tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 15.* veritatem communire: *Antiquiores Religiones*, inquit, *quæ Innocentium III. præcesserunt, alium modum inceptionis, & propagationis suæ habuerunt: nam in principio, vel non fuit earum institutio generalis pro universa Ecclesia, vel non sub uno capite per modum unius corporis politici propagabantur; sed Religio incipiebat in uno particulari Monasterio, & sæpius, ut creditur, intra illud solum continebatur (ut de Monasterio Sancti Martini Turoni, & alio Mediolani, & aliis, quæ in Occidente, & pluribus, quæ in Oriente fuerunt, verisimile est). Interdum verò multiplicabantur Monasteria vel per imitationem, & exemplum, vel per diligentiam priorum Monachorum, qui interdum ab aliis populis, vel Principibus invitabantur, &c. In illis ergo temporibus, approbatio Religionis in principio non erat universalis, nec à Summo Pontifice immediatè fiebat, sed initium ejus ad illum Episcopum spectabat, in cujus Diœcesi primum Monasterium incipiebat: quod si aliud simile in alia Diœcesi erigendum erat, ad ejus Episcopum approbatio spectabat, qui non tenebatur alterius judicium sequi,*

Ad Episcopos olim Ordinum approbatio.

cum non esset in hoc superior, nec ejus approbatio esset, ut ita dicam, canonica, idest universalis: & ita procedebatur, donec tam generalis fieret Religionis approbatio, ut tacito consensu universalis Ecclesiæ approbata censeretur, quod maximè consummabatur, quando Romani Pontifices hujusmodi Monasteria facto ipso, vel tacito consensu approbare videbantur. Id unum, in hac materia, mihi pace tanti viri, persuaserim, Ordinem à quocumque Patriarcha probatum; nulla alia approbatione, quoad Ordinis substantiam, reliquasque leges ab aliis Episcopis eidem Patriarchæ subjectis, indiguisse: nam nullam controversiam in re hac moram legimus, nisi quoad Monachorum tantum dependentiam ab Episcopo urbis, in qua professionem emisissent: quousque à proximo vel Provinciali, vel Generali Concilio delatæ querelæ, & hujusce rei questiones dirimerentur. Verum quia plerumq; paucorum forte Regularium prætextu nescio quo, Monasteria ædificari jam ceperant, non servata subjectionis lege, in Generali Chalcedonensi Synodo, sancitum, ut sarctum, tectumque Episcoporum jus esset, in hujusmodi erectionibus, addita etiam excommunicationis pena in renuentes. Quę sequuntur verba sunt *Canonis 4. Quoniam autem nonnulli, prætextu monastico utentes, & Ecclesias, & negotia civilia perturbant; & temere citra ullam discriminis rationem, in urbibus concursantes; quin etiam Monasteria sibi constituere studentes visum est, nullum construere Monasterium usquam, ædificare, vel constituere, vel Oratoriam Domum præter sententiam ipsius Civitatis Episcopi.* Accessere deinde complures aliæ Sanctiones, prout temporum laxitas, aut Regularium nonnullorum licentia sibi arrogabat. Idem juris in Concilio Aghatensi *Can. 27. & 58. Cellulas,* inquit, *novas, aut congregatiunculas Monachorum absque notitia Episcopi prohibemus institui.* Statutum & idem in Concilio Arelatensi Tertio, & sæpe alias, ut mirandum non sit, Justinianum Imperatorem non tam novum hujusmodi jus cudisse pro Ecclesiastica disciplina, quod nequibat, sed Chalcedonensis Concilii Sanctioni obsequutum, eandem suis legibus rem inculcasse *Authenth. de Ecclesiast. titul. 5. si quis autem, & Authent. de Monachis,* & peculiari alia: *Ut nullus ædificet Domos Oratorii*

torii præter voluntatem Episcopi.

XLIII. Omnia hæc ex antiquiori Ecclesiæ disciplina; sed multa cursu temporis non tam abrogata, quam ut rerum ordo poscebat, salubrius constituta. Quoad omnimodam Episcopo subjectionem, moderatior insequuta est forma, quam suo loco, ubi de Regularium exemptionibus agendum, tradam: quoad Monasteriorum novam in Civitate quacumque molem, incorruptus Episcopis manet honos, viget adhuc authoritas. At in novis Ordinibus statuendis, opportunius visum, ut inconsulto Romano Pontifice amplius institui nequirent. Verebantur enim Pontifices, ne horum cætuum multitudine, Christiana Pietas defervesceret potius, quam studio intensiori excoleretur, haud inscii, vitio plerumque verti, quod primum Religionis augmento deputatum. Præterquamquod experimento probatum, vel paucorum Regularium scandala in totius Ordinis detrimentum cedere, quod ex ipsa Ordinis Sanctitate populis altius fixa, oriri ut plurimum videmus. Romani idcirco Pontifices antiquiores Ordines invectos conniventia potius, eorundem perspecta pietate, quam Sanctionibus initio editis, post canonicam rerum discussionem, definitionemque, probarant. Intra undecimum Seculum, discutiendum Ordinis finem, adjumenta, instrumentaque omnia, antequam excitaretur, suaque firmaretur authoritate, suscepere: præstititque fortasse, prior Urbanus Secundus cum Brunone Chartusiensium Authore: quemadmodum Paschalis Secundus paulo post cum Hospitalariis, itemque Templariis: & Alexander Tertius, cum Carmelitis, quos Almericus Antiochenus Patriarcha eodem tempore sparsim viventes in Carmelo Monte, ad Cenobitarum institutum devinxerat: ut tamen pacate magis hujusmodi potestas exerceri posset, citra Episcoporum querelas dolentium sibi præreptam hujusmodi facultatem, in Generalibus Conciliis, jus hoc peculiare reservandum sibi, curarunt: perviceruntque magna omnium adclamatione.

Quo pacto ad Romanos Pontifices.

XLIV. Potissima tamen causa ortum habuit à Vualdensibus Novatoribus, qui vulgo Pauperes de Lugduno

A Romano Pontifice Ordines confirmantur.

in

in Gallia nuncupabantur, quorum antesignanus ex eadem urbe, hypocrysis lue correptus, popularisque auræ captandæ præcupidus, divitiis, quibus affluebat, in vulgum erogatis, eo dementiæ delapsus erat, ut novum Ordinem instituendum jactaret, in speciem quidem Evangelicæ paupertatis, cęterum superstitionibus, ac erroribus à Catholica Fide deviis, refertum; atque, ut erat sacrarum litterarum omnino expers, Evangelii verba absque interpretatione Patrum ulla, accipienda suadebat. Dictu mirum est, quantam hominum multitudinem concitarit, atque in suam pravitatem pellexerit, novo eo Evangelii explicandi ad libitum excogitato consilio. Huic malo radicitus extirpando Alexander Tertius, proximusque eidem Successor Lucius item Tertius peropportune insudarunt: Verum ea erat mali vis, ut ferro, atque igne excindi debuisset: effectum tamen paulo post, ne in posterum saltem, idem ad novandas Fidei res, Religiosi Ordinis prætextu, neve ad alias laxitates, aditus pateret. In Generali igitur Concilio Lateranensi Quarto sub Innocentio III. *A.D.* 1215. novi in Ecclesia Ordines inhibiti Constitutione, cujus initium est: *Ne nimia*, & allegatur in postremo *Cap. de Relig. Dom.* in hæc verba: *Ne nimia Religionum diversitas, gravem in Ecclesia confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero novam Religionem inveniat: sed quicumque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat*. Qua lege, non modo privata authoritate, novum Ordinis cœtum instituere inhibitum, & antea fortasse indulgere, satius visum; sed sublata penitus Episcopis ipsis indulgendi facultas, ut nequirent in posterum utcumque id permittere, etiam si nulla alia authoritate, ac subsidio subnascentem Ordinem foverent: & indicant sane illa verba: *Firmiter prohibemus*: quæ cum nullo modo Romani Pontificis authoritatem infirmare potuissent, ad Romanum tantum Pontificem hujusmodi facultatem, evocarunt.

XLV. Post prædictam Sanctionem obrepsere fraudes ab jis, qui novos induxere, in Concilii legem committentes, emendicata verborum interpretatione, perinde, ac Mendicantium Ordinum nuper tunc invectorum institu-

Sanctio alia in Concilio Lugdunensi.

tum

tum proxime ęmularentur, in eorumdem communionem quodammodo adsciti. Insequutus inter alios est Flagellantium cætus (e Perusio malum), & initio quidem publica ea corporum asperitas á compluribus usitata, Italorum mores in licentiam prætervectos, mirè compescuit: inani deinde blandiente populari studio, in hominum ex utroq; sexu colluviem evasit; & quę Evangelicæ perfectionis, & fortasse austerioris speciem præsetulerat: compertum, huc illuc discurrentem turbam, flagris se cędentem, squalentibus adhuc macie genis, in eleemosinarum questum, & in cæcam vagandi libidinem prosiliisse. Gregorius Decimus eo tempore Summus Pontifex lascivientem hanc sectam, cæterasque alias perfectionem affectantes, post Innocentium Tertium, citra Apostolicæ Sedis Judicium subintroductas in altero Lugdunensi Generali Concilio *A. D.* 1274. rejecit ea Sanctione, quæ in *Cap. Religionem de Relig. Dom. in* 6. continetur. Firmat hic sane Pontifex Concilii Lateranensis Constitutionem, seu Innocentianam, atque in validiorem usum revocat, dum cætus Religiosos omnes abolet, qui post Innocentium, suapte quodammodo authoritate, fucato Mendicantium nomine, nec expectato Sedis Apostolicæ Judicio in recentiores Ordines emerserant: *Cunctas affatim Religiones*, inquit, *& Ordines Mendicantes, post dictum Concilium adinventos, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni subjicimus, & quatenus processerant, revocamus*. In hunc sane modum, coercita Ordinum multitudo, detrimentum Reipublicæ Christianæ allatura, quoties immaturo judicio gerenda per seipsos ducunt, qui sibi immoderatius fidentes, optima confestim pronuntiant, quæ proprio veluti Marte compararint.

XLVI. Iteratam hanc Sanctionem, de vetita recentiorum Ordinum institutione, non pręeunte Summi Pontificis consensu, maxime necessariam, nec minus proficuam in Ecclesia esse, quotidiano rerum usu discimus, & rationum momentis: manifestum quidem omnibus, Catholicam Fidem latissime per omnes Terrarum Orbis partes diffusam: & pietate complures ejusdem alumnos exornatos, nihil

Qua ratione Ecclesiæ proficua.

prorsus

prorſus omittere, quo ſtudioſius pro viribus in aliorum emolumentum amplificent Religionem ipſam: itum eſt ad Indos, & ad Regiones vel Solis radiis impervias, & quas immanis auri fames attingere quodammodo deſperarat, Religionis protelandæ zelus lynceis oculis detexit, & invicta virtute tandem ſubdidit, ut eodem pietatis æſtu, avidiſſime recentiorem quemcumq; religioſæ vitæ Ordinem foveret, dummodo Evangelicæ Perfectionis imaginem ſpecie tenus ſuſpiciendam referret. Probata ſatis vulgo eſſet, ſi, paucioribus tantum placeret, & laudibus extollerent, qui novarum rerum curioſitatem ad ſapientiæ famam captant: verum quia Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, robur, cujuſmodi eſt Regularis quicumque Ordo, non vulgi ſtudio penſitandus, ſed ejuſdem Eccleſiæ authoritate; neque leviorum hominum judicio; ſed Evangelicorum Conſiliorum trutina; haud alius, quam Summus Pontifex hujuſmodi rerum definiendarum poteſtatem ſibi jure vendicare poteſt; unaque Chriſtifideles omnes ſeriò monere, ut inſtitutum, vel Servatoris noſtri imitationem continens, ſanctè colant, vel tanquam adulterinum, & ex inferis evocatum reſpuant: quod ſane nequirent aſſequi Epiſcopi, quorum Juriſdictio ad invicem ſejuncta, nec ita comparata, ut eo ipſo, quod aliquis, recens invectum Ordinem tueatur, tanquam Eccleſiæ, & Sectatoribus utilem, teneantur alii ejuſdem judicium ſequi, nec ulteriorem operam in probando inſtituto commodare, quemadmodum proxime Suarius expendebat. Maxima hinc perturbationum, & diſſidiorum ſeges in dies matureſceret, quę Chriſtianum Populum, ex hiſce ipſis Epiſcoporum controverſiis, de Ordinis legibus diſputantium in diverſas ſententias jactarent, aliis tuentibus, aliis ex adverſo Ordinem improbantibus. Primis vero Fidei Seculis, utcumque ferenda erat, & munienda Epiſcoporum in tanti momenti negotio authoritas: nondum Chriſtiana Religio Orbem fere totum complectebatur; neque regularis vita in ampliſſima Regna ſe fundebat: concludebatur intra paucarum urbium fines, uni, aut alteri Epiſcopo ſubjectos, ab ipſo urbium ſtrepitu diſſita; & indigenis ignota: niſi

cum

cum eximia cultorum Sanctitas miraculis innutrita, in admirationem converteret hominum multitudinem, eodemque pertraheret.

XLVII. Illud etiam reputandum, è Catholicæ Fidei Legibus, maximum discrimen inter Pontificias,& Episcoporum definitiones intercedere. Pontifex in rebus Ecclesiæ saluberrimis decernendis,quæ Fidei dogmata,vel communem morum disciplinam spectant, judicio pollet certissimo. At Episcopus, nequit veritatem aliter attingere, quam quicumque alius humanæ prudentiæ consiliis fultus: unde error, qui hominum judicio plerumque subest, quam longissime ab universæ Ecclesiæ Præside abest.Mirandum vero si non Ordinis cujusque institutio ad Christianæ Perfectionis formam referenda sit, vel proxime accedat: semel probata, indistinctim, Christifidelibus ultro eandem amplexantibus, ab errore omni immunis proponitur: eademque securitate promptiores, alacrioresque candidati in Ordinem migrant. Ita nanque natura nos comparavit, ut libentius in mores eorum, quos vitæ professione, supra hominum multitudinem sublimiores videmus, vertamur, quam si nostro tantum ductu pergendum esset. Micant in Orbe Regularium Ordines, velut in Cœlo sydera, quæ præ aliis lucem fundunt ampliorem, atque intuentium oculos in se convertunt: quapropter, quo fides instituto major, eo certior debet esse approbantis authoritas, qua nulla in Ecclesia firmior, quam ubi de Summi Pontificis definitionibus agitur. Porrò definitionem hanc de Ordinum approbatione Theologi conferre consuevere, eandemque pene vim tribuere, quam solemni Divorum inaugurationi (Canonizationem, communi vocabulo appellamus) tribuunt. Siquidem ad eum modum, quo solemnis hujusmodi inauguratio dubitationem omnem à Catholicorum mentibus tollit, quo minus de eorumdem Sanctitate, deque Cœlesti Beatitudine jam parta, suspicari quis posset: etiamsi paulo ante, quibusdam suspicionibus in adversam partem, animum induxisset suum: ita pariter, accedente Sedis Apostolicæ Judicio ad recentioris Ordinis institutionem, subdubitationes omnes de saniori Ordinis *Ratio altera.*

disciplina, quæ perturbare mentem possent, sanius repelluntur: teste D. Thoma, qui in *Opusc. contra impugnat. Relig. cum aliqua*, inquit, *Religio per Sedem Apostolicam instituta est, manifestè se damnabilem ostendit, qui talem Religionem damnare conatur*.

Theologorum consensu firmatur. XLVIII. In quam sententiam conspirant Theologi omnes, si unum excipias Canum *Cap. 5. de locis Theolog.* qui opinatur, nec ad Fidei doctrinam, nec ad universæ Ecclesię mores pertinere, religiosi Ordinis approbationem; sed ad certum aliquem privatæ veluti familię vivendi modum, hominum gubernationis regulis, adeoque etiam hallucinationibus subjectum. Sed hic idem vivendi modus præfinitus quidem nemini, vitę honestatem, & Evangelicam perfectionem continet: valde autem absonum esset ejusdem Ecclesiæ integritati, perfectionem in eo statu designare, unaque definire, esto, lex adhuc daretur aliqua prudentiori regimini minime consentanea; una ea labes, universam propemodum Ecclesiam fędaret, Fidei, & morum integritate suapte natura, & nullo non tempore in expediendis controversiis præfulgentem: cum ritè pervestigatis legibus, & ad incudem revocatis novi Ordinis commodis, atque incommodis, oraculo tandem suo firmat, per ejusdem institutionem in saluberrimum vitæ finem, posse homines dirigi. Haud improbarim tamen fieri posse, ut quæ Pontifex salubriter facienda decerneret, aliorum precibus, vesano eorumdem spiritu, noxia disseminarentur, ac multi fortasse etiam pessum abirent, Pontificiæ approbationis, prætextu. Ita Fraticellorum secta, venenum hoc melle illitum aliquandiu Sectatoribus propinavit; nam cum, Sanctitatis larva, è Minorum Ordine Apostatæ quidam, in scenam prodiissent, Cęlestinum Quintum, Sanctissimum Romanum Pontificem enixe rogarunt, ut liceret eis, S.Francisci Regulam adamussim servare, adscitis aliis, qui idem vitæ propositum inire vellent. Anuit benignè Pontifex: & ea, qua excellebat morum innocentia, nihil subdolum inesse putavit. At hominum scelestissimi, ne dum in Minorum Ordinem, verum in ipsam Sedem Apostolicam tela intorquere nervis omnibus de-

decertarunt, deterrima quæq; edituri, nisi Bonifacius Octavus post Cælestinum Successor, malum in crepundiis ferro, flammisque extinxisset. Approbarat Cælestinus cœtum non quidem eorum, qui perniciosa dogmata disseminarent, sed eorum, qui se D. Francisci Regulam ad unguem servaturos spondebant; ex qua sane permissione, sperabat Cælestinus, Prædecessorum suorum exempla sectatus, plura se assequuturum, firmiorem nempe ejusdem Regulæ adversus obtrectatores, vel potius laxiores, potestatem; quasi vero eandem strictim, & ad literam servare, naturę nostræ vires excederet; ut multi obstrepebant: & hos insuper monere, ut aliorum petentium exemplo, Sanctissimi Institutoris disciplinam, nullis subterfugiis, declinarent. Sed quanta est pervicaciorum hominum temeritas? è Sanctitatis officina scelerum procacitatem cudunt; & Sanctitatis assertorem in terris maximum, in consiliorum suorum præsidium fraudulentissimè advocant: veritati tamen propugnatæ dissonum nihil. In authorem suum scelera recidunt; nec eo improbandus Legislator, quod optimas leges ferat, confestim violandas; improbandus violator, & acerrime puniendus, qui in suum exitium trahit, quod ad Reipublicæ securitatem, editum norat. Hæc si non semel expendisset Canus, vir cæteroqui doctissimus, nunquam in sententiam descendisset Theologorum omnium suffragiis improbatam: neque eò prætergressus esset, ut adjiciendum insuper existimasset audaciori ad minus verborum exaggeratione: *In hoc Sæculo, inquit, tam multæ sunt Religiones à Summo Pontifice confirmatæ, ut qui eas omnes tueri voluerit, tamque Ecclesię, vel utiles, vel necessarias, hic imprudentiæ, ne dicam stultitiæ nomine, jure optimo summis rationibus arguetur.* Rationes autem, quas idem Author exponit, ne mediocres quidem, dixerim, utpote quæ cavillationibus innixæ, leviora ingenia distrahunt, ac religiosi instituti molem, Pontificia authoritate septam, à pravo excipientium usu sejunctam nô agnoscunt. Veriora sentientibus, satis sit recolere, quæ in Vvicleph Concilium Constantiense *Sess.* 8. proscripsit, eo quod temere hæresiarcha Religiones approbatas damnarit, in hunc modum: *Sancti institu-*

tuendo Religiones privatas, *sic instituendo peccaverunt*: unde iisdem fundamentis, quibus Concilium, hominis temeritatem in improbandis Religionibus damnavit, corruunt rationes quæcumque Ordines adhuc singulos ab Ecclesia approbatos, improbantes. Pontificia namque authoritate omnes, & singulæ firmantur.

Religionis definitio. XLIX. E' rerum omnium, quas hactenus propugnavimus substructione, prodit tandem regularis vitæ definitio, quò in ulteriora, instituto operis respondentia, gradus fiat. Eam subnectere in hanc formam libet: *Ut Christifidelium in Evangelicam perfectionem tendentium, mediis Paupertatis, Continentiæ, ac Obedientiæ votis, status sit ab Ecclesia approbatus.* Porrò hæc definitio, ex communi Theologorum, & Juris Pontificii peritorum asserto, atque doctrina proficiscitur, reciditque in omnes alias ab iisdem traditas, vocibus quibusdam detractis, aut additis ad presliorem stylum, vel adhuc clariorem. P. Layman *Lib.4. Tract.5. Cap.1.* particulam addit: *Stabilem in communi vivendi modum*, quam non æquè probarim, cum abunde è superiori doctrina constet, vivendi modum, etsi privatum, posse suapte natura religioso statui congruere; nec multos olim defuisse, quibus hujusmodi solitarium vitæ genus arriserit, simulq; delegerint juxta primævum adhuc Ecclesiæ morem. Non omittendum hic quod D. Hieronimus in vita S. Pauli primi Eremitæ scribit: *Quicumque*, inquit, *in Christi servitute sibimetipsi prodesse cupiebat, non longè à sua villula separatus instituebatur*. Si igitur Eremitę olim solitariam adhuc vitam agentes, cum tribus votis, institutum regulare sectabantur, quamvis communem vivendi, cum aliis, morem, nequaquam ferrent: supervacaneam idcirco particulam illam definitioni affixam, dicemus, quæ Regulares omnes, & Regularium instituta non æquè, eadem adjecta, continet: seclusa vero, vitam regularem omnem prodit, & affine quamvis, dummodo aliud vitæ genus sectantes, protinus sejungit. Atque in primis sejungit, quos Divini Cultus studium, & Evangelicæ perfectionis stimuli etsi incendant, cursu acriori nunquam defatigatos, eoque religiosiores; quia vero prędictorum votorum professione cursum, nec

ag-

aggrediuntur, nec se devinciunt, in regulari statu nequaquam connumerandos comperio, sed eos tantum, qui se hujusmodi obstrictione manciparunt: sive quia obstrictio ipsa, nomen hoc Regulari, ac Monacho indidit, tanquam sacrum quoddam obsignaculum verius, quam insigne, sive quia ex D. Thom. 2.2. *q.* 186. *art.* 1. antonomasticę de jis usurpari debet, qui holocaustum hoc Deo longe gratius, Veteris Testamenti victimis, opimis licet, obtulerint, perinde ac antonomastice tribuitur, insigni aliqua, ac singulari dote prædito, quod latius cæteroqui, ac minus proprie compluribus aliis congruit: *Fortitudinis nomen,* subdit S. Doctor, *vendicat sibi illa virtus, quæ circa difficillima, animi firmitatem servat, quamvis complures adhuc fortitudinis laude extolluntur, qui nequaquam in maxime arduis rebus virtutem eandem exerceant*. Eadem religiosi status definitio sejungit, votis obstrictos viros, sed non eo arctiori nexu, quo par est, citra conditionem, exceptionem ullam: nam religiosa professio, absolute suos Sectatores arctat, ne post emissam eandem, quantum in voventibus est, resiliendi amplius potestatem habeant, traditionemque illam, qua Regularis Professus, Ordini se devovet, absolute seclusa quacumque laxioris vinculi conditione, incorruptam præstet: unde qui tria illa vota nuncuparet ad præfinitum aliquod, temporis spatium, per quinquennium videlicet, aut fortè per decennium, vel quousque capiendæ hæreditatis occasio subsit, vel nisi duriora corporis incommoda præpedierint, & si quid aliud hujusmodi occurrat, in religioso statu nequaquam is reponendus est: sed inter seculares alios homines. Hac plane de causa Innocentius Secundus Romanus Pontifex abrogavit in Concilio Lateranensi antiquiorem illum morem, quo fęminis permittebatur, votorum Regularium professionem, emittere, & detinere se simul in paterna domo: propterea quod obedientiæ votum, esto alia paupertatis, & castitatis, numeris omnibus absoluta peragerentur, imperfectiori quodam modo emitteretur; laxiori ad Episcopum obedientia nuncupata. Ita votum illud, voventem partim in Parentum, partim in Episcopi imperium, scindebat, ut nec Seculo, nec Ordini addicta ea Monialis esset.

Ab Episcopatu distat. L. Sed & Episcoporum adhuc status ab eadem definitione sejungendus; duplici quidem fundamento, nempe dignitatis, & instrumentorum; quæ non utrobique eadem sunt, ut proinde tum Religiosi Ordinis, tum etiam Episcopalis, idem status pronunciari, ac definiri debeat. Et ratione dignitatis, Episcopale munus à Regulari semovetur, longo prorsus intervallo. Alterum enim suapte natura dignitatem sibi vendicat, quæ in Ecclesia maximi momenti censetur, quo faciunt Patrum, & Conciliorum authoritates definientium sublimiorem hanc Episcoporum dignitatem. In *Cap. ex multa de Voto* statuit Innocentius Tertius, Episcopos uti Dignitate, ita, & Religione præcedere. *Clement.* 1. §. 1. *de Pænis*, dicuntur Episcopi Sanctissimi, Christi Legati, Spirituales Patres, Columnæ Ecclesiæ. Dionisius Areopagita *Cap.* 5. *de Ecclesiast. Hierarch. Pontificum*, inquit, *Ordo sacratur, primus est Divina speculantium Ordinum, idemque & summus, & ultimus*. Sed Pauli Apostoli effatum id abunde evinceret, si nullum aliud testimonium in medium proferretur: *Omnis Pontifex*, inquit *ad Hebr.* 5. *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat Dona, & Sacrificia pro peccatis*. Religiosus status vero, dignitatem omnem ita suapte natura excludit, ut potius demissionis, & infimæ subjectionis statum præseferat, & moribus, & legibus, & habitu tandem ipso: nam ut optimè Bernardus *Ep.* 87. dixit: *Humilitas est spiritualis fabrica fundamentum: humiliatio autem via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, lectio ad scientiam*. Sed instrumenta religiosæ vitæ fundamentum alterum solidissime firmant, quo Episcoporum munus à Regularium statu plurimum secedat. Religiosa vota, quæ Regularem efficiunt, produntque, Episcopis è statu ipso haud congruunt, nisi forte aliquod, non tamen, ut Episcopis; veluti continentia; sed ut Ecclesiæ Ordinibus Sacris iniatis. De Paupertate nulla prorsus difficultas, cùm manifestum sit paupertatis voto Episcopum non affici, ut Regularem: unde eo ipso, si cætera adessent communia, religiosus status ab Episcopali sejungeretur.

Differentia proprior. LI. Sed tamen, inquies, utrumque statum in Chri-

ſtiana perfectione collocatum Sapientes norunt, ut propterea in omnimodam propemodum communionem non immerito adſtruas. Et quidem cum negari nequit, quod Epiſcoporum ſtatus in ea perfectione ſtatuatur, ut optime componi poſſe cum ea religioſam perfectionem quis affirmaret, ſi, quamquam diverſis inſtrumentis, finis tamen proximus unus, idemque in utroque ſtatu decerneretur, eademque definitio; in eundem prorſus modum, quo diverſi Regularium Ordines, diverſa adhibent ad ſuum finem inſtrumenta, ſive ſubſidia aptiora; neque propterea ad invicem ſemoventur Ordines ipſi, ut non ejuſdem indolis prærogativas conſlent. Porrò dubitationem hanc, facile diſſolvendam Sapientes autumant, ſi eundem finem proximum in utroque ſtatu expenderint, qui addubitarint. Proximus ſane finis, quem Epiſcopi præfiniunt, non eſt, perfectionis, ut Theologi dicunt, acquirendæ, ſed exercendæ: è converſo autem Regulares, pro ſtatu, quem ſuſcepere, finem proximum intendunt, ſtatum perfectionis, non tam exercendæ, quam acquirendæ. Id enim perinde eſt, ac Regulares omnes, ſe huic vitę addixiſſe, ut Chriſtianam perfectionem adipiſci conarentur, per ea inſtrumenta, quæ Ordo præſcribit, ideſt per religioſa vota, legeſque alias ibidem ſtatutas: verum Epiſcopi, utpote munere perfectiores, ejuſdemque Chriſtianæ perfectionis proxime participes, in ulteriora gradum promovent, ut qua perfectione, ſatis inſtructi cenſentur, in alios referant, exemplo præeuntes, doctrina, monitis, legibus, eoque tramite perfectionem exerceant jam comparatam. Ex ipſa nanque inſtitutione Epiſcopalis muneris, uſuque ipſo, ac fine, quo Epiſcopi tendere debeant, patet; cum eodem trahantur, quæ Chriſtus Dominus, Diſcipulis ſuis, eoque etiam Epiſcopis, qui Apoſtolorum loco ſucceſſuri paulo poſt erant, ſæpius inculcavit iis verbis: *Vos eſtis Sal Terræ: Vos eſtis Lux Mundi*, Matth. 9. *& nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt*. Hanc ſane differentiam præclariſſimè attingit D. Thom. 2. 2. *q.* 184. *art.* 5. & Epiſcoporum perfectionem referendam ad proximorum ſalutem affirmat;

Re-

Regularium ad ejusdem perfectionis enixum studium, quo se in dies, quodammodo perfectiores reddant.

Perfectionis studium quousque Regulares obstringat?

LII. De quo Regularium ad Perfectionem studio, illud maxime discutiendum, ne conscientiæ stimuli acriores Regulares ipsos angant, si à scopo fortasse, remissius aberrent: An laxior Evangelicæ Perfectionis cura lethalem culpam se sola inferat, ac eo ipso Regularem arguat negligentiorem eadem noxa, qua reliqui Christifideles in gravi Præceptorum trangressione! Controversiam sæpissime pro praxi recurrentem, Theologi fere omnes agitant, acerrimis concertationibus, sed affini aliis disceptationibus diversitate. Plura secernit Cajetanus è mente D. Thom. *q.* 186. *art.* 2. & putat abesse lethalem culpam, ab eo Regulari, si is firmiter secum statuat, nolle se præstare, quæ Regularis Perfectio, suique Ordinis leges inculcant, nisi tantum, ubi votorum violatio, sacrilegii reum proderet. At si ex ejusdem perfectionis, & legum contemptu faciat, nullo pacto à mortali noxa excusari, obfirmato ad malum animo. Quod, si inquiras rursus, quid pressius contemptum hujusmodi efficeret? excipit Sylvester in *Summa v. Religio*, illud, ipsum apud se statutum, consilia omnia, & regularis vitæ leges prætermittere, nihilque aliud curare, quam, ne Decalogi Præcepta, & vota emissa violet: *Hoc enim*, inquit, *est quod ait S. Thomas consilia contemnere, nam Regularis, quatenus talis est, debet in perfectione progredi, idest in animo habere ad perfectionem progressum, & gradum facere, quamvis in perfectione minime proficiat*. Mihi vero quid in hac re sentiendum sit, paucis exponam. Atque in primis pro comperto habeo mortalis culpæ periculo propius se expositurum Regularem, qui obfirmato prorsus animo perfectionis subsidia respueret, legesque Ordinis fere omnes remissius negligeret. Tantumdem id esset, ac delinquendi occasiones aucupari, & naturæ suopte vitio ad cupiditates procliviori, frænum solvere: qua de re quemadmodum arduum foret, sibi plurimum indulgere, & Divinam Legem diutius incorruptam tueri: ita Regularis, serius ocyus in exitium properaret suum, in eam vitæ laxitatem solutus, & suarum quemadmodum legum contemptor. Non ita

ita tamen protinus damnare eundem auderem, mortalis noxæ fontem, eo animi proposito nude spectato: nam si lethalis culpa abest, ubi præceptum, aut votum nullum violatur, multo magis abesse par est, ubi propositum idem fixum, ratumque manet, ne unquam violetur, quod graviorem divinæ offensæ labem secum trahit: cum vero in rebus ceteris perfectionem tantum spectantibus, nullam sequi hujusmodi culpam, iidem ipsi oppositum sentientes fateri debeant, fateri adhuc debent in prævio rerum earumdem proposito, lethale peccatum haud admitti. Et sane, si admitteretur forte, Regularem graviter delinquere, quoties votorum, & præceptorum violatione semota, Evangelicæ perfectionis, aut sui instituti leges prætermitteret; & quod à fine suo longius recederet, in perfectionem videlicet, eniti; & legum contemptus interpretativus saltem, ut vulgo dicitur, adesset; gravioribus semper conscientia angustiis urgeretur: & paucissimi fortasse etiam Regulares essent, qui non quotidianis hisce noxis deturparentur: miserrima omnium regularis vita duceretur, utpote quæ non tantum libertati, sed & conscientiæ tranquillitati compedes injiceret, à voventium nemine in sua Professione, non alia conditione susceptos, quam ut in regulari instituto pacatissime ageret, instrumentis moderatius ferendis: hinc externi Regularium actus, quemadmodum & aliorum hominum, probitatis, aut malitiæ specimen ab animi proposito haurientes, cum culpam lethalem in hujusmodi prætermissione non imbibant, propositum ipsum prætermittendi, lethali adhuc malitia, vacuum pronuntiant. Præterea, si recolatur potissimum fundamentum Evangelicæ perfectionis in tribus consiliis voto communitis, patebit profecto, Regularem quemcumq; ceteroqui laxiorem à fine suo non adeo aberrare, ut in noxæ mortalis statu sit statuendus; salvo enim prędictæ perfectionis robore, cætera alia, quæ accedunt, statum regularem perficiunt, quidem, sed non conflant, animos currentibus addunt, facilioremq; viam sternunt, at non penitus intercludunt; à quibus sane recedere, neque à fine ipso, neque à potissimis status subsi-
K diis,

diis, seu verius partibus, quam longissime aberrare est, ut contemptus proinde inductus videatur: contemneret certe, atque is propriè, qui consilia, subsidiaque tanquam futilia, nulliusque momenti statuta in ordine suo existimaret; aut quia vota minime Deo grata esse pravo animo firmaret, quo regulare institutum despiceret, non vero, qui animi tantum levitate, & affectione aliqua irretitus, eam vitæ austeritatem declinaret, abstinentias, jejunia, silentium, ceterasque ab instituto suo afflictationes injunctas.

P. Castri Palai judicium.

LIII. In ejusdem sententiæ robur P. Ferdinandi de Castro Palao judicium subdam è doctissimorum virorum placitis adhuc excerptum *Tom. 3. Tract. 16. disp. 4. p. 3.* *Existimo*, inquit, *per se loquendo, peccatum mortale non committere Religiosum, qui careret intentione servandi regulas ad culpam mortalem non obligantes, illasque passim violaret: imo esto haberet expressam intentionem illas non servandi: sic late docuit Suar. Tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 4. Ratio est, quia non est propositum transgressionis alicujus obligationis sub mortali, cum omnes regulæ non excedant obligationem venialis culpæ, neq; item in hoc proposito est periculum morale, & proximum transgrediendi aliquam regulam sub mortali: siquidem compati potest cum illius observatione firma. Neque item infertur, te hac prava consuetudine, regulas propriè contemnere: alias quoties velles aliquam regulam violare, censendus esses illius contemptor, & peccati mortalis reus, quod falsissimum est. Requiritur ergo ad contemptum, ut regulam violes tanquam inutilem, frivolam, & nullius considerationis, vel eam violes animo determinato, ob illius transgressionem, non te pœnæ subjiciendi, sed prælato resistendi. Seclusa ergo hac intentione, nec propositum violandi regulas, neque illarum violatio contemptus formalis est, ut latius dixi tract. 2. disp. 2. par. 9. c. 2. Nec denique ex hoc proposito, pravaque consuetudine fit, Religiosum desistere à via perfectionis incepta in necessariis, qualia sunt, observatio votorum, & præceptorum Religionis: tametsi deficiat in accidentalibus, & levem obligationem inducentibus. Neque enim sub gravi culpa tenetur his mediis perfectionem procurare, dummodo observatione votorum, & præceptorum Religionis illam procuret, ut latius prosequitur Sanch. lib. 6. Summa toto cap. 5.* Hactenus Auctor, in hanc materiam cum aliis uti-

utique accersendus, ut tantorum virorum authoritate sententia muniretur non eo fine, ut Regulares delinquendi occasiones captarent: sed ne conscientię in quotidiana rerum praxi, plus justo scrupulis exagitatę, & se gravius deliquisse dolentes, ad delinquendum deinceps callum sensim obducant, desperatione quadam regularis vitę blandius ferendę, & suadendę adhuc aliis.

LIV. Demum, ut faciamus satis D. Thomę authoritati loco laudato, adducere libet verba, quę in hunc modum se habent: *Et ideo ille, qui statum Religionis assumit, non tenetur habere perfectam charitatem, sed tenetur ad hoc tendere, & operam dare, ut habeat charitatem perfectam. Et eadem ratione, non tenetur ad hoc, quod illa impleat, quæ ad perfectionem charitatis consequuntur; tenetur autem, ut ad ea implenda intendat, contra quod facit contemnens; unde non peccat, si ea prætermittat, sed, si ea contemnat.* Ex qua certe primum authoritate gravior illa obligatio, lethale peccatum inferens in sui instituti negligentiores, non ita perspicue elucet, nisi quatenus Regularis contemnat. An verò contemptus legum è mera omissione, & ex proposito omittendi in Ordine leviora, tantum malitię secum trahat, quantum re vera traheret, qui inanes prorsus duceret leges ipsas ab Institutoribus latas, adeoque quodammodo proculcandas, non è mente D. Thomæ, sed è delicatori Interpretum conscientia, manasse potius, putandum. Exemplo res magis patebit. Proponat Secularis, Divinam se Legem adimpleturum; sed simul abnuat, eadem constantia, Evangelica Regularium Consilia vel singula sectari. Quod is pręcepta adimpleat, laudandus jure est; non eo ipso tamen improbandus, quod consilia complecti recuset, multoque minus damnandus, tanquam consiliorum contemptor; non enim contemptor dicendus, quia hujusmodi onus subire recusat; sed forte aliis infirmior, quia totius Christianę Disciplinę minus cupidus. Contemneret sane, cum eadem consilia tanquam inania respueret, & nihil facienda esse obstinato animo affirmaret. Quid igitur? Ad mentem Angelici Doctoris non isthęc consentanea? An contemptum in transgressione omni, sive potius in transgressionis pro-

Quæ D. Th. ment.

posito adhuc propugnabunt, qui prędicta verborum ambage D. Thomam interpretantur? Alterutrum profecto ex his consequetur; aut consilia, consuetudine ipsa & de industria pręteremittentes perinde, ac contemptores, damnare haud verebuntur, aut contemptum, pertinacissimi vitii notam, sua turpitudine, magna ex parte, imminutam dabunt; quamobrem rectè Azorius *Lib. 11. Instit. moral. Tom. 1. Cap. 25. Mihi*, inquit, *in primis videtur subobscurè S. Thomas locutus, sicut etiam B. Antoninus, Angelus, & Astensis locuti sunt. Deinde juxta sententiam quorumdam Cajetanus, & Sylvester, mentem S. Doctoris, non satis certo, & explorato sensu, videntur assecuti, dum docent Religiosum in prędicto animi proposito peccare, quia vi, & ratione sui status debet in vitæ perfectione procedere, contra quod agit, dum eo animo est, ut nullum consilium sequi, & implere velit, præter ea jam ante à se suscepta vi voti, instituti, & regulæ. Nam S. Thomas, inquiunt, secularem hominem similiter peccare testatur, si præceptis tantummodo servatis, consilia contemnat: & tamen secularis, vi sui status non debet in vitæ perfectione proficere.* Debet sane Regularis in perfectionem tendere: sed si firmius apud se statuat pręter pręcepta, & graviores Ordinis leges, missa facere reliqua, idipsum inquirimus, an eo proposito aspernator lethaliter contumax prodeat, quod è mente adhuc D. Thomę refelli potest, exemplo à seculari ducto: nam secularis, nisi aspernetur consilia, non peccat mortifere: unde S. Doctor perspicue sejungere videtur consiliorum omissionem quamcumque, ne dum animi duntaxat propositum, ab ea pravitate, quę in contemptu reipsa statuitur.

De substantiali Ordinum inter se communione.

LV. His igitur rebus omnibus ad regularis vitæ indolem, definitionemque expensis, proxime dimanat, eamdem semper, quoad ejusdem vitæ substantialia, in Ecclesia fuisse communionem, inter recentiores, & antiquissimos Ordines: quod si tamen diversitas ulla designanda esset, depræhenderetur in legibus tantum aliis, externisq; ritibus, quos singuli Ordines ad præstitutum finem, gentilitium veluti stemma, sibi proprios faciunt, unumque ab alio internoscere, vel aspectu ipso, cunctis licet. Spontaneæ enim paupertatis, continentiæ, subjectionisque leg s,

quas

quas summe à Servatore nostro celebratas, & mirum in modum in seipso insculptas, hactenus recensuimus: & quas Apostoli haurientes, in alios etiam effuderunt, exhausta, postmodum, haud unquam, vena, ex eodem fonte in singulas ætates complures ebibere. Vitæ quoque firmitatem è votis, antiquissimi Patres testantur, quemadmodum & traditionem ipsam à Regulari factam, in qua major fortasse difficultas. Sed & hanc vetussimis temporibus usitatam, opportune admodum Augustinus admonet in illud *Psal.* 75. *Vota mea Domino reddam*, sic enim ait: *Nemo positus in Monasterio Frater dicat: recedo de Monasterio: neque enim soli qui sunt ad Monasterium, perventuri sunt ad Regnum Cælorum: & illi qui ibi non sunt, ad Deum non pertinent: Respondetur enim ei: sed illi non voverunt, tu vovisti, tu retro respexisti*. Unum omnium Regularium semper fuit votum, una cujuslibet instituti summa, in Perfectionem tendere, & ad eum modum, quo Pythagoras nunquam se sapientem, sed philosophum, idest, sapientiæ studiosum, ejusdemque amore captum, aliquando se dixit, eo nomine quod sapientiam addiscendam verius, quam paulo gloriosius in se affectandam, admonuerit; ita & Regularis sive primævę Ecclesię, sive jam adultæ veram Sapientiam in Christi Domini imitatione contemplatus, perdiscere, ac callere contendit, pro sui instituti ratione. Hæc religiosi status summa, hoc nostræ sapientiæ ærarium, hi totius disciplinæ nervi, nunquam ab Ordinibus sejuncti: nec secus, quam à corporis compage, nervorum series, ad ejusdem firmitatem, motionumque omnium diversitatem à natura aptissimè disposita; quibus instrumentis quoquo modo ex parte saltem subductis, religiosus status concidit: quod Catholicis nefas est credere, ab Ecclesia unquam excidisse. Nam, ut apposite Suarius *Tom. 3. de Relig. lib. 3. cap. 4.* pressius eandem veritatem inculcans ait: *Si status religiosus, qui nunc est, quique antea fuit, est substantialiter diversus, vel uterq; est à Christo institutus, vel alter tantum: primum dici non potest, quia ex Divina Scriptura, non habemus à Christo Domino, nisi unum modum quærendi perfectionis viam, scilicet per sui abnegationem, Seculi, & temporalium bonorum abrenuntiationem, & ca-*

castitatis observantiam ; neque ex traditione Patrum, aliam Christi Doctrinam, vel Institutionem elicere possumus, &c. Si autem dicatur, alterum tantum statum Religionis fuisse à Christo Domino institutum, & illum excidisse, posteaque alium inventum esse ab hominibus in substantia diversum, duo plane absurda in tali assertione continentur, unum est, aliquam Christi Institutionem, ad Ecclesiæ perfectionem maxime pertinentem, & prorsus excidisse, & periisse, quod est contra Ecclesiæ & institutionem, & integritatem, ac puritatem doctrinæ ejus. Aliud est, religiosum institutum, quod nunc est in Ecclesia, esse purè humanum inventum, & non à Christo Domino; oppositum enim demonstratum, &c.

De legibus aliis. LVI. Cæteræ aliæ Ordinum peculiarium sive leges, sive ritus, statum non integrant, sed exornant, atque ad summum, commodius in finem suum, alumnos communiunt. Principum potentiam amplæ ditiones, constant, eoque potentius augent, quo ampliores; at vestes auro intextæ, sumptuosa supellex, & ultro commeantium multitudine stipata aula, dignitatem tantum exornant, ostentantque. Haud aliter religiosum statum, per quas sæpè diximus leges, integrat divina institutio : leges verò aliæ à Fundatoribus suis adjectæ, ornamenta, unaque decus præstant : quanquam & quod in iis ipsis, potiores, cum omnibus fere ordinibus consensionem, nunquam hactenus intermissam, habuerint, alias patebit : pauca hic attingere ad argumenti fidem, satis duco. Publicam illam regularis vitę professionem, ab Ecclesiæ crepundiis, Sancti Dionysii Areopagitæ testimonio celebratam, scimus, ubi è Libro de Cęlesti Hierarchia *Par.* 2. *Cap.* 6. superius delibavimus aliqua : addam nunc ejusdem verba de Regularium initiatione : *Stat quidem Sacerdos*, inquit, *ante Sacrum Altare, monasticam imprecationem psallens, ille autem post Sacerdotem adstat, &c. Ea vero finita, Sacerdos ad eum accedens, interrogat primum, an renuntiet divisibilibus omnibus, non solum vitiis, verum imaginibus quoque, ac phantasiis : deinde exponit illi perfectissimam vitam, illud aperte contestans, oportere illum medio longe antecellere. Ubi vero ille ista omnia intente promiserit, consignans eum Crucis Signo Sacerdos, tondet, Trinas Divinæ Beatitudinis Personas inclamans ; exutumque veste omni, aliam in-*

induit, & cum Sanctis aliis, qui astant, viris, illum salutans, Divinorum Mysteriorum participem efficit. Et quidem veritati, isthæc tunc temporis initiatio, sive emittendæ professionis ratio, valde consentanea: non enim Apostoli, cum primum Regularium disciplinam traderent sanctissimam, omisere aliquid, quod ardentius candidatos excitaret, & quid religiosius, in ea novæ vitæ auspicatione, sentiendum esset, peropportune non antea monuerint. Sacræ illæ ceremoniæ, non meras preces, solemnem in morem institutas solum continebant, sed penitiora adhuc mysteria de eadem Servatoris nostri imitatione, enuntiabant, quas singulari propemodum sapientia prosequitur, paulo post, idem Dionysius. Frequentiores rerum cęlestium meditationes, & sacrarum literarum lectionem religiosæ vitæ instituto congruere, ex ejusdem quodammodo natura, liquet, ut nemini dubitandum sit, quin usus apud Regulares omnes, constantissimus manserit, suadente, ne dum Ordinum disciplina, verum, & rationali facultate ipsa, animum earumdem rerum pabulo reficiendum. Quid vero de spontaneis corporis macerationibus? consuetudo prorsus eadem; nisi, quod, juxta Ordinum leges, modus non ubique idem, aliis, atque aliis muniis præ oculis semper habitis.

LVII. Religiosi status institutioni, ac naturę adnectendum hic aliquid, de Regularis Beneficii indole, quod alteri inhæret, & à quo indivisim pendet: sed ut imbecillitatem meam ingenuè fatear, ejusdem Beneficii definitionem, audirem libentius, quam traderem. Usitatam, ut plurimum Theologis ęquè, ac Juris Pontificii consultis, video, Ecclesiastici Beneficii, tritam illam distinctionem in medium afferri, in Beneficium seculare videlicet, & in Regulare; & insuper Regulare Beneficium esse, quod conferri moris sit, in Regulares: cæterum, quid pressius ejusdem Beneficii potestas, ac natura sit, prætermitti consuevit. Etenim, cum Ecclesiastici Beneficii ratio postulet, ut secum invehat, jus quoddam percipiendi fructus ex Ecclesiæ reditibus, perpetuum, Ecclesiastica item authoritate constitutum, minus congrue de Regulari Bene-

De Regulari Beneficio.

neficio fortasse pronuntiaretur, cujus possessori, jus proventuum nullum, è paupertatis voto; adeoque alterutrum asserendum esset, aut Regulare Beneficium juris percipiendi fructus Ecclesiasticos, omnino particeps, aut Ecclesiastico item Beneficio omnino dispungendum: sed alterum à statu regulari, alterum à veritate ipsa alienum. Posterior hæc pars omnium consensione evincitur, è bimembri illa Beneficiorum divisione, quæ regulare Beneficium non minus, quam seculare, esse reipsa Ecclesiasticum comprobat, repugnante nemine. Altera tantum superest, ut affirmemus hujusmodi Beneficio congruere fructus percipiendi rationem, eo tamen modo, quod idem regularis status proxime percipere valet; & dubitatio in hac materia evanescit, si advertamus, quæcumque Ordinum bona, sive immobilia, sive se moventia sint, ex Christifidelium eleemosynis, diętim, aut aliter, in proventus annuos, erogatis, ut Mendicantium, & non Mendicantium Ordines complectar, ad Ecclesiam jure suo, & ad Christi Domini Patrimonium proinde referenda, quo Ecclesiastici Ministri alantur; & hinc sane fit, ut Regulares, utpote ejusdem Ecclesię ministerio addicti, professione ipsa, sustentationis jura, Ecclesiæ nomine, ab Ordinibus exigant, juxta instituti suscepti leges, nam & illa proventuum perceptio, quæ numerata pecunia mensatim, aut in annos singulos, aliis Beneficiariis contingit, ad congruam sustentationem, & paulo fortasse largius, quam iisdem competeret, Beneficii Ecclesiastici rationi fere nihil addit, pręter illud peculiare commodum suapte voluntate expendēdi, à vitę libertate deductum: unde quemadmodum, antiquitus, Canonici Ecclesiarum, vitæ communionem profitentes, eodem commodo carebant; nec propterea hoc percipiendi jure frustrabantur: ita Regulares, dummodo sustentationem congruam habeant jus sibi idem percipiendi, proprium quodammodo faciunt. In hac latiori igitur significatione, eo ipso, quod Regularis professionem suam nuncupat, regulare Beneficium obtinere, putarim; verum, quia, communiter, & apud omnes tum Theologos, tum Canonistas strictim tunc solum, eo nomi-

mi-

mine dignum, cum gradus potestatis aliquis accedit. Prę-sides Regularium omnes, Beneficiarii censentur, & religiosarum domorum præfecturæ, Beneficia Regularia; de quibus tamen fusissime suo loco agendum erit. Sufficiat interim nosse eorumdem vim, ut hinc definitio prodiret, in omnimodam Beneficii Ecclesiastici rationem tendens, à Beneficio seculari nihilominus sejuncta: propterea quod ipsa fructuum Ecclesiasticorum perceptio, quæ in seculari paulo commodiorem Beneficiario usum indulget, arctiorem quodammodo in Regulari ad congruam sustentationem, juxta Beneficiarii institutum, accomodet.

LVIII. Ad uberiorem, utilioremque simul religiosi statūs naturę indaginem, addendum etiam de eodem capessendo votum, quod à plerisque pręmitti consuevit. Inter utrumque enim, mutui quodammodo amoris vinculum, & cognatio intercedit. Alterum altera vicissim commendat, atque, ut eo libentius vovens, se tradat, internoscendam se exhibet, arctissimo vinculo ob oculos posito. Hoc sane votum, apud Orthodoxos omnes, maxime probatum, peculiare nihil in se habet, ut rite perficiatur, ac religiosius prodeat, quam, quod votum quodcumq; aliud monet, maturè præstandum, quod sanctè promissum est: Divino Oraculo segniores urgente, *Ecclesiast. Cap. 9. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis, & stulta promissio*. Satius nanque esset, ex eodem Divini Spiritus ore, nullum nuncupare votum, quam post nuncupationem, debitum non persolvere: aut persolvere quidem, sed segnius, & serius. Age igitur, percurramus in hac materia, primum, ejusdem voti firmitatem, deinde reliqua, in praxim frequentia. Hujusmodi firmitatem, libera sibi cujusq; facultas inducit, quæ sit rationis usu pollens, simulque percipiendæ in rebus probitatis, dolique capax, post exactum fere ætatis septennium; qua de re *Cap. 2. de Voto*, validum pronuntiavit Pontifex, peregrinationis Hierosolymitanæ votum, in puerili ætate emissum, in quo inesse poterat judicii facilitas, immaturo cæteroqui ad saniora consilio: nihilominus exploratum habemus, ex eadem definitione, quemadmodum, è communi Theologorum sen-

De Voto Religionis.

tentia, eam voluntatem in quacumque ætate, post rationis usum, sufficere ad edendum strictim votum, quæ ad mortiferam culpæ pravitatem concipiendam, admittendamque, animum despondet. Salvo meliori in hanc regulam judicio, excipio, voluntatem tantum indirectam in sua causa, à qua, culpa quæcumque alia minime abesset, sed tamen ab obligatione votum adimplendi, abesse fortasse posset. Exemplum in ebrio statuamus. Potest nanque accidere, ut quoties, quis, immodicè vinum haurit, mente dimotus, confestim, è consuetudine gladium arripiat, & evaginatum, in alium, stringat lethaliter feriendum. Theologi sentiunt, haud rectè à lethali culpa excusari, hominem posse, ebrietatis vitio deditum, etiam si ebrietas, nullam alioqui labem in se includeret, quin patratum homicidium revera tribuatur, ratione quamvis semoto: etsi enim nunquam is lethale vulnus sponte deliberasset, & ne gladii quidem, in illo æstu, evaginationem; attamen, homicidii reus dijudicandus, è pravo largius bibendi usu, qui mente exturbaret nihil non tunc audentem, ea voluntate, qua mero se ingurgitare consuevit. Verum, eadem voluntate excusaretur ebrius, votum quodcumque emittens, & utcumque sibi, de faciliori ea vovendi in ebrietate, consuetudine, conscius: discrimen profectò oritur, tum ex ejusdem voluntatis, dispari in utraque re, modo: tum etiam ex ipsamet rerum diversitate. Modus quidem voluntatis in homicidio patrato, adeo ad hujusmodi facinus comparatus erat, ut non aliter evitari potuisset, quam causæ subductione, efficacitate sua in furorem erumpentis; quamobrem, subducendum penitus ebrietatis vitium erat, præpotens tanti mali stimulus, unaque origo omnis; comprobata apud Theologos, & in foro adhuc conscientiæ Juris regula: *Qui causam damni dat, damnum dedisse videtur*. Contra vero, modus voluntatis in vovendo, perturbata, è nimio potu, mente, inefficax quidem est, & nullum propositum deliberatè concipit; non aliter, quam somnians, diurnis imaginibus sibi invicem occursantibus, ejusdemque phantasiam vellicantibus, è causa quidem ad vovendum, aut aliquid aliud omnino devium, indifferenti. Ita etiam

res

res ex ebrietate productæ discrepant quam longissime inter se, homicidium videlicet, & vovendi actus: prior nanque ab æstu concitato, in imaginativa facultate, emergit, naturalique efficacitate, è vino, proxime prodit: non item vovendi actus, qui nullam cum largiori haustu, connexionem habet, nullamque virtutem, cum firmo voti proposito, ne indirectè quidem per somnium, præter specierum in phantasia infixarum, commixtionem.

LIX. Eodem tendit Sanchez *Lib. 1. de Matrim. disp. 8. punct. 20.* cum eandem sententiam ad sponsalia revocat: An firmitatem haberent, in ebrio, & demente: *Qui tempore sanæ mentis*, inquit, *voluntatem habuerunt contrahendi sponsalia, aut matrimonium, eamque tempore ebrietatis, aut dementiæ exequantur*. Collatis hinc inde diligentissimus Author rationum momentis, de Baptismo eodem tempore collato, qui validus esset, ob præcedentem voluntatem, & de homicidio nuper exposito, in hæc verba subdit: *Dicendum tamen est, non sufficere eam voluntatem; nec est simile de Baptismo; nam in matrimonio, & sponsalibus, ipsi contrahentes sunt ministri, & actus ministri necessario debet esse humanus, &c. Non obstat etiam, mala prævisa imputari tunc ad culpam; tum quia bonum ex integra causa, malum autem ex singulari defectu, teste D. Dionysio Cap. 4. de Divinis Nomin. &c. Tum præcipue quod, cum homo teneatur vitare homicidia, & alia peccata, eo ipso quod sciens, se in ebrietate illa admittere, & cum posset, non curat, ea evitare; indirecte & virtute, ea vult: at, cum non teneatur vitare sponsalia, & matrimonium, non censetur voluntas virtualis circa illa*. Hactenus Sanchez, cujus verbis accedit nostræ rationi robur. Eatenus enim sponsalia vim ullam haberent, si verior adhuc esset opposita opinio; quatenus præcessisset, antequam in dementiam, vel ebrietatem aliquis incideret, spontanea animi deliberatio, de contrahendis nuptiis, & cujus virtute dementia, vel ebrietate non obstante, idem propositum persisteret: in priori autem vovendi actu, de quo sermo, cum nulla præcesserit hujusmodi voluntas de voto, nullam inferre exinde potest virtutem, ex qua mente adhuc semotus, votum reipsa ederet. Ea tantum intentio, virtute quadam, post interjectam aliquam moram

Confessio Sanchez.

perseverat adhuc, quam comitantur, vel subsequuntur plura eodem spectantia. Vulgatum, in administratione Sacramentorum, prærequiri in Administrante intentionem, non quidem, dum peragit, summe necessariam, sed, ut peragat, virtute quadam contentam. Ita Sacerdos sacra operaturus, prævia voluntate, in Ecclesiam pergit; subsistit deinde, nec ad priorem intentionem ulteriori actu remeans, se vestibus sacris apparat, ad Altare accedit, rem omnem rite perficit. Quid interea? intentio sane nulla, dum sacrum offerret? nequaquam, sed quę prioris virtute, fuit reliqua: illa omnia in finem collimantia, & à Sacerdote usurpata perinde se habent, ac si perspicua intentio semper adfuisset.

Ab intentione, & verbis Voti interpretatio. LX. Ad innumeras fere, gravioresque in voti materia, difficultates enodandas, solertissime inspiciendum, qua intentione, & quibus verbis eidem intentionis subjectis, votum sit conceptum. Sępe hominum mentes, in votis edendis, sui compotes, in persolvendis torpent, hærentq; anxię, cunctabundæ, sibi ipsis diffidentes, nec minus, sanioribus aliorum consiliis excipiendis, impares. Exploratum apud omnes, promissionem quamcumque Deo, vel homini factam, ultra verborum vim, haud extendendam; nec verbis majorem vim inesse, quam, quæ fuerit promittentis intentio, cum verba proferret: unde si quis voti peculiaris vim ignorans, voveret externe quidem, sed ad ejusdem obligationem, animum nequaquam adjiceret, is sane nullo pacto voveret, nec explendi obligatione adigeretur; nam voluntas ad ignota, affectione aliqua, è rationis imperio, non movetur, adeoque error circa promissionis substantiam, intervenit, multoque magis, quam si rem alteram, pro altera, errore ducta nosceret: qui error, ex certa Theologorum, ac Jurisconsultorum doctrina, actum quemcumque vitiat: quemadmodum in voto adhuc affectio omnis, judicium, usumque rationis perturbans, quo nequeat affirmari idem votum ritè emissum. Doctrinæ hujus fundamentum, ex ipsa voti definitione liquet, vulgaturque in Promissione deliberate Deo facta, de meliori bono; unde nisi, in ea, adhibeatur animi judicium, rem nun-

nuncupandam expendentis primum, mox tamen nuncupantis, deesset ex hac parte potissima voti lex: & deesset item alia de latioribus, aut contractioribus ejusdem voti finibus, si voti obligatio excurreret, magis minusve, quam ipsemet animus deliberate sibi statuerit: id quod summus Justitiæ vindex nequaquam exigere videtur: quin potius perspicue notescit, ex Sacris Literis, à populo olim expetivisse, ut promissionem expleret eodem modo, quo se antea obligarat, in hæc verba: *Deuteron. Cap. 23. Facies, sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo, sicut locutus es*. Quid, si addubitari contingat, de voti emissione, vel saltem de latiori, aut arctiori vinculo? & ne diutius distineam Lectorem ad alia properantem, depromam, quod P. Layman congerit ex aliorũ Doctorum placitis, *Lib. 4. Tract. 4. Cap. 3. de Voto. Voti*, inquit, *sicuti & juramenti stricta interpretatio facienda est, quatenus & materia subjecta, & verborum usus, aut proprietas permittit, à Doctoribus communiter traditur, ea ratione: quia cum agitur de obligatione, stricta interpretatio facienda est. L. quidquid adstringendæ ff. de verbor. obligat. Votum autem, & juramentum, gravissimam obligationem continet. Ergo, &c. Neque est contra voti favorem, aut juramenti reverentiam: siquidem & juramenta eo facilius, ut frequentius, observabuntur, si benignior eorum interpretatio fieri soleat: & ad vota in honorem Dei emittenda, magis provocabuntur homines, si eorum exactio benigna potius, quam rigida fuerit, sicuti judicatur in Cap. ex parte de Censibus, ubi habetur, de qua mensura, majore ne, an minore, vota edita sint: Volentes solvere ad minorem, cogendos non esse ut ad majorem persolvant: quoniam cum hujusmodi vota, gratuita fuerint ab initio, benignius sint à Viris Ecclesiasticis exigenda, ac tanquam exactores videantur lucris temporalibus inhiare*. Ubi *Glossa dit: Ideo pro eis fit interpretatio, ne ipsorum munificentia, erga Ecclesias, retardetur*.

LXI. In rem igitur nostram: voventes, se regularem vitam complexuros, nec ullum Ordinem in voti nuncupatione statuentes, verosimilius censendum, haud posse facere satis, per militaris ordinis susceptionem: esto Divi Joannis fuerit, quem revera Regularem, Theologorum fere nemo, inficiari audet. Ratio petitur, non ex hujusmodi in- *Ad Votum Religionis deducta.*

institutis, quatenus Regularia ducantur: cum abunde è superiori doctrina, quid sentiendum, quidve propugnandum sit, constet: sed ex ipsa voventium intentione, quę ut plurimum vitæ propositum suscipiendum, secum statuunt, ab hominum strepitu, curisque dissitum, tranquilliorique statui dicatum, quam militares ordines patiuntur. Huic sententiæ, plerique adstipulantur communi praxi, claustralem ordinem, vi voti, deligentes: rati, nihil aliud præ oculis habuisse, cum votum emitterent, quam impensiori studio in divinum famulatum properare, quam longissime semotis, secularis status, insignibus. Nec desunt Doctores, facem doctrinæ traditæ præferentes, in qua ducem sequor Sanchez, loco superius laudato: non exinde tamen inferri posset, voventes ad arctiorem ordinem, adigendos, eo ipso, quod impensius Divinum Cultum excolendum, proposuerint; nam interpretatio hæc, communi adhuc praxi dispungitur; & quæ à communi aliorum usu abhorrent, animi propositum, non utcumque conceptum, sed matura deliberatione firmatum, prærequirunt. Liberæ voventium facultati usque adeo favendum, quousq; integra sit voti substantia, sincerus animus, genuina verborum interpretatio; quæ omnia, cum in Regularium claustrali quocumque Ordine reperiantur, non est cur, ad austeriorem tantum, sint trahenda. Concepti voti substantia, è communi, & usitatiore voventium consuetudine, evincitur: subterfugiorum latibula declinare videtur animus, qui Ordinem sectatur, votorum substantialia, & vitæ communionem tuentem, abacto omni secularium vivendi more. Demum, genuina verborum interpretatio, sanius percipitur, cum nihil amplius desiderari posse videtur, ad eorumdem potestatem, ut in re nostra, ex aliorum voventium consuetudine, inductam: si prætermittatur interim, doctrinæ proxime traditæ, de benigniori voti interpretatione, ratio, quæ in seipsa spectata, difficultatem omnem absorbet.

Quam diligenter Votum sit explendum.

LXII. Par quoque in explendo voto impendi debet, ac in exquirendo, studium, & idem prorsus, quod in gravioribus negotiis, ad Opus nos passim urgere solent, cujusmodi

modi est fides, ac sponsio summo Regi præstanda, obsignandaque, eodem per Prophetas suos, non semel admonente: *Redde Altissimo vota tua*, & rursus: *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. Psal.* 49. Et pro securiori hujus diligentiæ indagine, subjicio hanc regulam: Aut vovens religiosum statum indefinite suscipiendum, designavit, aut certum aliquem, Dominicanum videlicet, Franciscanum, vel quemcumque alium. E priori voto, obstringitur adire, plures diversorum Ordinum familias, & in singulis bona fide curare, ut admittatur; detecta etiam si opus esset, voti religione, quo Moderatores pro conscientia definiant, nec animi levitatem ullam, in petente subesse: sæpe enim accidere posset, ut iidem, si cætera adsint, eo vinculo, petitioni justæ indulgeant, quod alioqui negarent, aliis in eandem admissionem, absque vinculo, conspirantibus, & aliqua insigni dote fortasse prælatis. Sententia hæc Theologorum omnium, maximeque Divi Thomæ 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. *ad* 2. authoritate fulcitur, atque conscientiæ sanioris legibus innititur, quæ suffragium adhuc conferunt, ut sit à voto liber vovens, si ab Ordinum Moderatoribus repulsam passus fuerit. Idem judicium esto de eo, qui peculiare institutum vovisset, & ab illius Ordinis Moderatoribus, quos singillatim adiit, rejectus pariter esset. Nodus certè apud Doctores difficilior petit Ordinum, aut Moderatorum, certum numerum, à vovente explorandum, quorum dein refutatione, extingui illa obligatio valeat. Omissis hic aliorum opinionibus, arridet mihi Soti sententia *Lib.* 7. *de Just. q.* 2. *art.* 1. *ad* 3. qui generatim voventem, regularem vitam, voto exolutum pronuntiat, si aditis quinque, vel sex diversorum Ordinum Moderatoribus, quibus tamen jus liberum sit, admittendi, æque ab omnibus eandem repulsam tulerit; uti etiam, qui emisso voto designati alicujus Ordinis, à singulis ejusdem Ordinis, & recensiti numeri, admittendi in eo potestatem habentibus, in eandem reciderit frustrationem. Et sane nemo fortasse dixerit, ulterius, & ultra quam dici possit, protendendam hujusmodi diligentiam, quæ cum à prudentum consilio pendeat, quibusdam legibus præfiniri debet,

bet, voventis intentioni accomodatis. Voventis autem animus, nisi secus constaret, haud unquam se cum tanto onere obstrinxit, ut in exteras adhuc regiones abiret, quo voti compos redderetur: circumscripsisse sibi quodammodo fines explorandi, videtur, per eam virtutis suę industriam, quæ aliquas passim occurrentes, at non omnes expugnaret difficultates, exquisitissimæ hominum diligentiæ, & post ingentes, ut ita dicam, exanthlatos labores, tandem subjectas. Hæc enim potissima prudentiæ lex, ut non maxime ardua, sed usitatiora, in finem suum, sectetur.

Ad quid teneatur simpliciter vovens Religionem.

LXIII. Stricta adhuc, eoque suavior voti interpretatio, ad professionem emittendam, voventem non arctat, si regularem is quidem vitam spopondisset, omissa in proposito, professionis nuncupatione; nam voti fines attingeret, religiosi habitus, vitæque inchoatione per menses aliquot, vel integrum fere probationis annum: quod si nequeat progredi, nisi reluctante semper natura, & virium imbecillitate, ratione ve alia prudentiorem virum permovente, liberum illi erit, sine conscientiæ piaculo, in Seculum redire. Censendum, cum ea conditione vovisse, ut experiri vellet, an Ordinis institutum, legesque omnes sine magno incommodo ferre posset, prius, quam arctiori professionis vinculo se manciparet. Si vero commode posset, vel cum jis duntaxat naturę difficultatibus, quæ communes omnibus, detrectant asperitatem quamcumque, eademque cæterorum Regularium constantia subduntur, haud ambigendum, nequire libertatem suam tueri, ad mutandum amplius, vel retrahendum voluntatis propositum à suscepta regulari disciplina: & priorem dicti partem tuetur D. Thom. 2. 2. *q. ult. art.* 4. his verbis: *Obligatio voti ex voluntate procedit; nam vovere voluntatis est, ut Augustinus dicit. Intantum enim fertur obligatio voti, inquantum se extendit voluntas, & intentio voventis. Si ergo vovens intendit se obligare non solum ad ingressum Religionis, sed etiam ad perpetuo remanendum, tenetur perpetuo remanere: si autem se intendit obligare ad ingressum Religionis, causa experiendi cum libertate remanendi, vel non remanendi, manifestum est, quod remanere non tenetur. Si vero in vovendo, simpliciter de ingressu Re-*

Religionis cogitavit, absque hoc quod cogitaret de libertate exitus, vel de perpetuitate remanendi, videtur obligari ad ingressum Religionis secundum formam juris communis, quæ est, ut ingredientibus detur annus probationis; unde non tenetur perpetuo in Religione permanere. Sapientissime S. Doctor circumstantias prorsus omnes rimatus, quibus voluntas, Religionis votum elicit, ut è singulis, obligationis modum dimetiretur. Partem vero alteram assertam inculcat idem voti nuncupati vinculum, ac natura, arctius, seipso, voventem ad promissionem, urgens, quam cæteros regularis disciplinæ Candidatos, suapte voluntate, ad eandem vitam ductos. Hi nanque nullo voto devincti, & cum causa, & sine causa prorsus ulla, pro suæ voluntatis arbitrio potestatem in utramq; partem habent, susceptum institutum aut deserendi, aut retinendi, cum perpetua sui traditione, & impune quidem, nisi natura forte voluptatibus assueta, animi incostantiam, quæ alioqui venialem culpam non excedit, argueret. At qui vovit, recedendi à status proposito, facultatem nullam aliam habet, nisi rationabili suadente causa, quæ tanta sit, ut promissionem Deo factam dirimere jure possit, absque mortali noxa, & voti effracti, Religione: & ne corporis incommoda terreant potius, quam excrucient, natura, semper in deteriora, vergente.

LXIV. Verum voto peculiaris Ordinis excipiendi, non fit satis per laxiorem alium, multoque magis si vovens designarit austeriorem: quia voti fines non attingeret: suscepto tamen in Ordine alio, quamvis, laxiori, habitu, & emissa professione, delinqueret graviter, ex ea promissionis diminutione: at nequiret amplius propositum mutare, & laxiorem deserere, ut austeriori hæreret. Illud enim prioris voti vinculum obstabat, ne alium Ordinem, vovens amplecteretur, quam austeriorem, at dirimere non poterat, professionis nuncupatæ vinculum, quod robustius arctat, utpote solemne, relate ad aliud simplex. Sed neque gravis culpa, in arctiorem Ordinem vovente, & professionem deinde, in laxiori, emittente, adesset, si cum eo animo, suum Ordinem amplexus esset, atque ea conscientia, propositum firmarit, quod norat Privilegio *Ad quid vovens peculiare institutum.*

Pontificio, munitum Ordinem, recipi in eo posse etiam, eos, qui, hujusmodi voto strictioris Ordinis, se ante obligarint: eo casu propugnanda esset Pontificia dispensatio, sive commutatio potius, quę derogare proinde videtur illi obstanti regulæ: nequire, minus prȩstare, qui longe majus aliquid promisit; idemque prorsus evinceretur adhuc, si ordinem militarem, in quo religiosa possessio reipsa emittitur, vovens utique selegisset, cadem profecto ratione: professio religiosa in militari, solemnis adeo est, ut simplicis voti vinculum omne dissolvat, & colligitur *ex Cap. qui post. de Regular. in 6.*

An Episcopatu fiat satis. LXV. Potissima in hac re difficultas petit voventem, qui post editum votum Ordinis complectendi, per ingressum, aut per professionem, Episcopale munus suscipit, ea intentione, ut putet eidem voto, fecisse satis. Fundamento is niteretur, nec infirmo, nec contemnendo, propterea quod satis constet, commutari posse votum quodlibet, in aliquid prȩstantius, suapte adhuc voventis, authoritate. At vero cum Episcopale munus, omnium Theologorum consensu, præstantius, perfectiusque censeatur religioso statu, dubitandum idcirco non esset, nullam extitisse in eo, voti violationem, neque dispensationem ullam, amplius prærequiri. Eodem plane fundamento se communiunt, qui sententiam hanc tuentur, quemadmodum Abbas *in Cap. Per tuas, de Voto,* & Henricus, *Lib.* 10. *de Sacram. Ordin. Cap.*32. Communior tamen sententia in adversum militat, ex eodem *Cap. Per tuas*. Ibi enim Innocentius Tertius, Pontifex, respondet Episcopo, ante Episcopatum hujusmodi voto obstricto, qui à Pontifice petierat dubitationis hujus solutionem, in hęc verba: *Consulimus, si tuam sanare desideras conscientiam, regimen resignes Ecclesiæ, ac reddas Altissimo vota tua*: quibus verbis perspicuè patet, Episcopum voto obstrictum, graviter deliquisse, Episcopalem dignitatem acceptando, cum potius, vi prioris voti, religiosum institutum suscipere, par fuisset, ut suæ conscientiæ faceret satis: neq; propterea eo onere, liberum pronuntiavit Pontifex, Episcopatu suscepto; sed enixe consuluit, ut eidem dignitati vale dicto, regularem vitam iniret: ne tamen consilium

ve-

verius, quam arctiorem conscientiæ legem servandam, aliquis dixerit, occurrit ratio, oppositam sententiam infirmans. Ea est, ipse status Episcopalis, regulari perfectior, non spectata utriusque natura, quoad excipientis perfectionem, sed quoad subditos, quos Christianis moribus imbuat, Verbi Divini prædicatione, cęterisque Ecclesiasticæ Disciplinæ legibus. Regularis autem status suapte natura perficit, quem excipit, regularem ipsum, quamvis è proximo sui instituti fine, in alios etiam opem suam referat. Perfectior itaque comprobandus, religiosus status, prę Episcopali, probitate propria, non aliena, vel ut verba D. Thomę usurpem, *probitate passiva, non activa*; Episcopalis vero, regulari potior, perfectione aliorum, non propria, nisi aliunde idipsum habeat. Unde deducendum non fieri satis, Ordinis suscipiendi voto, per Episcopatum; quia cum dē comparanda perfectione agatur propria, in vitę religiosę voto, exquiruntur subsidia peculiaria, aptiora reipsa, quam, quæ, in Episcopali statu, reperiuntur alienæ saluti propius consentanea.

LXVI. Prædictum religionis votum, iisdem modis solvitur, quibus & cætera alia, nempe irritatione, dispensatione, & commutatione. Prior sane modus multiplicem rationem habet, ætatis primum, si vovens impubes sit: nam impuberum vota, à parentibus relaxari possunt; irritatione proprie dicta, & ea authoritate, quam his natura, & Ecclesia tribuunt, quarum altera politicum regimen, altera, spirituale habet, utraque in suo genere, ut ita dicam, in terris summum: ne verò, in nomine hęreamus; impuberes, jure antiquo, & ad contrahenda matrimonia, nondum idonei, dicuntur, qui, infra primos quatuordecim annos, in ætate versantur: quibus expletis, jam puberum nomine veniunt, si de masculis agatur; nam fęminæ puberes, quę duodennes; & ante hoc tempus expletum, impuberes. *Cap. ex literis. Cap. Puberes, de desponsf. impuber.* Utriusque igitur sexus impuberes, voto religionis, si forte emiserint, liberantur, parentum imperio; non quod re vera, hujusmodi votum impuberes, non afficiat, ut paulo ante delibavimus; verum quia Ecclesia, infirmiorem

De Voti Irritatione.

ætatem, nimia, ut plurimum, argui morum facilitate videt, præstetque idcirco graviorem hanc rem, totius videlicet vitæ, mancipationem, à pubere verius, quam, ab impubere deliberari, naturæ ductum sequuta, impuberum vota omnia, parentibus irritanda, subjecit. Naturalis nanque ratio edocet, e o usu rationis, quo pollet filius, primo ętatis septennio exacto, ad decimum quartum usque annum, nisi à parentibus integre regatur, tanquam ejusdem facultatis novalia, morum normam perverti, atque, in degeneres brutorum affectiones, migrare. Puberum autem vota, adeoque religionis, parentes irritare, nec debent, nec possunt, etsi patriam adhuc in illos potestatem exerceant, & , hujusmodi filiorum vota improbent, ex unanimi Theologorum consensu, teste D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. & cavetur in *Cap. Si in qualibet*, & *Cap. Puella* 20. *q.* 2. Suffragatur & ratio dominii insiti, in pubere filio, ad sui ipsius regimen, pręsertim cum, de divino obsequio exhibendo, deque meliori vitæ statu deligendo, agitur, in quo passim parentes, nimia domus amplificandæ cupiditate victi, cęcutire videntur, nec aliud, quam nobilitatem, patrimonium, ampliorem in contrahendo matrimonio, dotem, affectant. An autem impuberum filiorum vota, ante pubertatem nunquam à parentibus irritata, irritare jidem possint postmodum, in disceptationem cadit; sed existimo nihilominus cum Cajetano, 2. 2. *q.* 8. *art.* 5. cum Navarro *Cap.* 12. *Summæ*, cum Suar. *Tom.* 3. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 6. aliisque, eandem protendi posse parentum potestatem, ad infirmanda in pubertate vota, quæ antea fuerant emissa, dummodo nec filius puber jam expresè firmasset, quod perinde esset, ac in adulta ætate emisisse: nec pater eodem tempore, rata etiam habuerit: eo enim casu, elapsum esset prædictum parentis dominium, ad hanc, quam diximus, infirmandi potestatem. Voventis impotentia, ad voti executionem, aliena authoritate, non eget, ut protinus extinguatur; re ipsa, ne dum Ecclesiastico Jure, irritatur. Verum, si explorata non esset, sed dubia, nequiret vovens suapte voluntate, se expedire: petere deberet religiosi habitus susceptionem, indicata voti explendi difficultate,

quo-

quousque Prælati Regulares, de impedimento opportune moniti, quid voto, & ordini salubrius faciendum esset, voventem pariter monerent. Illud generatim advertendum, & pro irritatione, & pro voti exclusione quacumq; alia, ob materiæ mutationem, votum, extingui, si votum transeat de possibili ad rem impossibilem, de licita, ad illicitam, de indifferenti saltem, ad impedientem sanctiora, juxta *l. pluribus* §. *etsi placeat ff. de verb. oblig. Obligatio extinguitur, si in eum casum incidat, à quo incipere non potest*.

LXVII. Solvitur adhuc votum dispensatione, qui est modus alter, Romano tantum Pontifici affixus, ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, ut habemus *in Extrav. Etsi Dominici de Pœnitent. & Remiss.* Verum, quia non deerant Theologi, docentes, idem religionis votum, posse à Regularibus relaxari, virtute suorum privilegiorum, quibus à Sede Apostolica indultum erat, inter alia, privilegium hoc, tum casus Pontifici, tum vota quæcumque alia, eidem reservata, absolvendi, dispensandi, commutandi, Clemens VIII. motu proprio declaravit, huiusmodi privilegium non habere amplius locum, intra Italiam ad minus, quoad quinque vota Summo Pontifici penitus affixa, scilicet, trinæ peregrinationis, Jerosolymitanæ, Compostellanæ, & Romanę, perpetuæ continentiæ, insuper & voti, de quo hic sermo. Affinis exceptio urget casus alios, & atrociora crimina, Bullæ Cęnę, &c. de quibus non est hic locus. Prædicta vota ita excipit Pontifex, & arctiori nexu, ut tunc adhuc, cum plenarium Jubilęum indicitur, atque absolvendi, dispensandique, Confessariis, amplissima facultas conceditur, inhiberi simul plerumque consuevit, ne excursus, aut ejusdem facultatis extensio, in hæc maxime, perpetuæ continentiæ, & Religionis vota, ullo modo sequatur: optimo sane jure. Etenim ex his alterutrum, gratissimum Deo munus exhibet, & voventem in divinum obsequium perpetuo despondet: quapropter nisi adsit necessitas dispensandi, vel commutandi gravissima, faciliori eo aditu, ad dispensationem obtinendam, impertiendamque simul, enervaretur voti vis, & neque vovens vinculum arctissimum, quo Deo obstringebatur, satis perspiceret;

ret; neque Sacerdos in dispensandi, commutandive frequentiori exercitio, iterum atque iterum recolere posset, quibusnam aliis pietatis operibus, compensatio fere adamussim statueretur. Contra vero, arctata hac eadem potestate, qui vovet, maturius se, ad præclarissimum opus disponit, & qui dispensationem aliquando obtinet, aut perraro, delegatione quadam, concedit, officii, & obligationis suæ memor, onus subire cogitur, quod præcedenti oneri respondeat, ęquis compensationis legibus.

Circa Votum, Episcoporum facultas.

LXVIII. Isthæc omnia, nequaquam obstant, quin Episcopus cum Subditis suis dispensare valeat, circa ejusdem voti circumstantias: Harum prior, esset de arctiori, in laxiorem Religionem, voventis transitus, quo casu potest Episcopus, citra dispensationem ullam Summi Pontificis, indulgere laxiorem Ordinem voventi, sua dispensatione, ut hujusmodi transitus liceat. Opinionem hanc probabiliorem censent, ac propugnant Sotus *Lib. 7. de Just. q. 4. art. 3.* Rodrig. *Tract. 1. de Regul. Privil. q. 25. art. 6.* Sylvester *v. Votum*, Lessius *Lib. 2. Cap. 40. dub. 13.* pluresque alii. Cum enim modus, seu circumstantia sub hujusmodi dispensationem cadat, neque votum simpliciter emissum relaxetur, non videtur ullo pacto infringi Summi Pontificis Præceptum, de non relaxando Religionis voto, per potestatem quamcumque aliam, sua inferiorem: secus dicendum esset, si prohibitio manasset, de eadem circumstantia, nullatenus relaxanda. Idem juris, Episcopo tribuitur, circa pęnale votum, cum in pęnam sibi, aliquis decrevisset, ingressurum se Regularem Ordinem, si unquam mortiferam labem admitteret, perjurii, e. g. vel adulterii, non modo, ubi vovens, pęnitentia fortasse ductus, confestim dispensationem ab Episcopo peteret: ante patratum delictum, ex metu ejusdem pęnæ, sed post admissum adhuc, prędicta obligatione, urgente. Sa *v. Voti irritatio*, Sanchez *Lib. 8. Summ. disp. 10.* Egregiam sane rationem, pro tuenda sententia, dat Suar. *Tom. 1. de Relig. Lib. 1. Cap. 23.* petitam, è ratione ejusdem pęnalis voti; eo quod minime emittatur, ob insignem, ęrga rem promissam, animi propensionem, qua vota omnia emitti solent, sed potius ob aver-

averſionem quādam, qua quis, ut criminis proximam occaſionem, à ſe depellat; tanquam pęnam, ſibi votum illud ſtatuit: qua de re, cum promiſſio non referat proxime voventis voluntatem, Divino Cultui dicandam, diminuit quodammodo, voti ſincerioris, dotes. An eadem diſpenſandi facultas, Epiſcopo competat, in voto Religionis, conditionato, ſicuti & in cæteris aliis, eodem modo, affectis, Theologi inquirunt, & cum Layman. *Lib.4. Tract.4. Lib.8.* Ego ſentio, poſſe Epiſcopum, relaxare votum emiſſum ab alio, in ſua ægritudine, e. g. ſi forte convaleſceret, fore, ut efficeretur regularis; non tamen generatim, & ante, & poſt conditionem adimpletam; ſed, ſi diſpenſationem petiſſet, antequam convaleſceret; cęterum conditione in votum ſuum, deducta, votum eſſet reſervatum, ex ea generali contractuum conditionatorum regula, ut effectus obligationis prodeant, poſitis conditionibus, perinde, ac ſi ſine conditione ulla, contractus inirentur, *L. potior ff. qui potiores in pignore*. At votum, contractus quidam initus, cum Deo eſt, ut perinde vovens, voti compos, teneatur explere abſolute votum, tanquam ſi abſolutum eſſet, adeoque etiam Summi Pontificis reſervationi affixum. Qua vero ratione, diverſimode votum conditionatum ſe habeat cum pęnali, accipe ex eodem P. Layman, ibidem laudato, qui etiam adducit Suarium: *Quia in voto*, inquit, *mere conditionato, affectus voventis per ſe tendit in rem promiſſam, ſub conditione, tanquam bonam, & ſalubriter præſtandam, in Dei honorem: at vero, in voto pœnali, affectus voventis per ſe tendit, in rem promiſſam, tanquam pęnam, adeoque malam, & afflictivam, quam mallet evitare, quam incurrere*. Accedit demum, prędictam diſpenſationis facultatem, Epiſcopo hærere, quoties vel votum eſt alternativum, ut ajunt, & cujus pars, ſub reſervationem, re vera, non cadit: ſi quando cum religionis voto conjungeretur, particula alia exolvendæ certæ alicujus ſummæ, niſi religionem, idemmet vovens, amplectatur; in quo caſu favet Juris regula 70. in 6. *In alternativis debitoris eſt electio, & ſufficit alterutrum impleri*; vel votum reſervatum, in opus aliud, commutatur: nam tunc, juſta ſuadente cauſa, poſſet Epiſcopus uti jure ſuo,

suo, è mutatione materiæ, quæ, reservationem Summi Pontificis, amplius non attingit.


De Commutatione.

LXIX. Quo ad commutationem vero, nescio an locus alius supersit, præterquam, cum Romanus Pontifex, hujusmodi delegationem peculiarem commiserit, alicui inferiori Prælato, aut Confessario, ex approbatis; & tum certum est, commutationem faciendam, juxta generales commutationis leges, in cæteris aliis votis commutandis, nempe ut Religionis votum migret in opus, quod prudentum judicio æquale existimetur, aut affine aliquid referens: quamobrem, cum votum hoc, si reipsa adimplendum esset, totius vitæ cursum divinis rebus addiceret, curandum proinde in ejusdem voti commutatione, ut vovens etsi in alium statum migraret, v. g. conjugii, quoad viveret, quotidianas aliquas preces funderet, sacro quotidie adesset, aliave pia exercitia, certis, per hebdomadas singulas, diebus, excoleret. Porrò hujusmodi piorum operum æqualitas, non mathematice prorsus expendenda, ne scrupulis, tam petentis commutationem animus, quam concedentis angatur, sed quæ, pensitatis circumstantiis omnibus, in voventis conditione, dotibus, infirmitate, eademque commutationis, aut dispensationis causa, bona fide, quę Divinum Cultum promoveat, justior æstimari possit: etiamsi non, per totam vitam arctet, sed ad tempus, per plures annos, pro operum præstantia, & Divini Cultus augmento: Hinc quia æqualitatis rationem attingere in rebus moralibus, omnino arduum: non nisi bona fide judicanti, cui scientia opituletur, & maturum in affinibus rebus judicium, arbitrium omne deputandum; non obstante adhuc, quod dubitationem aliquam deponere in decernendo, nequeat. Verum, quo tutius commutationem hanc præscribant Confessarii, & alii, quibus de jure, audiendus est hic Suarius, *Tom.3. de Relig. lib.4. cap.9. Dico ergo*, inquit, *ut votum Religionis commodè commutetur, debere in primis commutari in votum Sacerdotis, vel continentiæ perpetuæ, additis aliquibus operibus religionis, & misericordiæ, quibus suppleatur, si quid deerat æqualitatis, debent autem illa opera, aut imponi, ut perpetuo etiam durent, aut talia esse, ut eorum magni-*

tu-

tudine, duratio compenſetur. Et hæc quidem injungenda exiſtimat hic Doctor, quando ageretur de Religionis arctioris voto commutando; cæterum habenda fere ſemper prę oculis pręcipua Ordinum ſtudia, & quæ jiſdem reſpondeant, in ſtatu quocumque exercitia, ut pro voventium ſtatu, ac diverſitate, pro nuncupati item Ordinis vinculo, æqua proportione definiantur in commutatione. Porrò definiendę auſteritates, cum commutandum forte eſſet auſterioris Ordinis votum: diurnę & paulo productiores preces, qui, Ordinem contemplativæ vitę addictum, vovisset.





DE REGULARIUM INSTITUTIONIBUS


LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

Religiosus Ordo, reddita Ecclesiæ tranquillitate, mire amplificatus, ac in tria primum genera distinctus. Diversa studia, è quibus Ordinum diversitas prodit, commendantur. D. Augustinus, & D. Basilius Regularium disciplinam, ordinatiorem tradunt: sed paululum labefactatam D. Benedictus in Occidente suo Ordine instaurat. Nova priorum Ordinum reformatio; & aliorum accessio, quemadmodum & Mendicantium D. Francisci, D. Dominici, & cæterorum intra decimum tertium Seculum. Exponuntur Mendicantium dotes, & Suavii commenta refelluntur. Clericorum Regularium, Mendicantium, & Monachorum Ordines, complures excitantur, & Regularibus propiores alii. Monialium, & Militarium Ordinum institutiones, & quæ iisdem affines. Abolentur nonnulli Ordines, &

qui-

quibus de causis? Ordines ad invicem inter se conferuntur, & è fine potissimum probantur. Vota Cœnobitica solitariæ præferenda, contemplativa actuosæ; alterutri vero mixta. Unde desumenda cujusque Ordinis Sanctitas? &, an licitus de uno, in alium Ordinem, transitus? Complures demum Ordinum differentia.

1. 
Peris suscepti ratio postulat, ut post Regularis Status naturam, ac primordia, priori traditam, provectũ, molemque fere omnem, suis partibus cõcinnatam, altero hoc Libro, ob oculos ponam; non pro rei dignitate, sed pro compendiaria quadam ejusdem Operis ratione, in Geographorum morem, qui vastam terraquei Globi magnitudinem, in exigua tabula, & intra paucas lineas spectandam concludunt. Illud primo loco recolere hic libet, Christianam Fidem, & religiosum statum, genuinam Christi Domini uno partu sobolem, eodem lacte in crepundiis educatam, eadem prorsus Tyrannorum rabie ad necem conquisitam, iisdem adhuc gloriæ gradibus, in celsitudinem hanc, quam videmus, crevisse. Odium, ultra modum, in utramque, ubi sæviendi potestatem, sibi ethnici, fecere, ex oppositis moribus, ac legibus, quibus se, à Christifidelibus, plurimum abesse, perspexere. Verum, discussa sensim densiori errorum caligine, præfractisque barbarorum viribus, Christianæ modestiæ argumentis, pervicit aliquando Costantini Imperatoris pietas, effecitque, ut uno eodemque impetu Maxentium Tyrannum, è Ponte Milujo, cum Idololatria mergendum, in Tyberim dejiceret, Fidemque Christianam altius proveheret; quo arcano Divinę Prudentiæ consilio, factum, ut quo tempore, universæ Christi Ecclesiæ pax, religiosorum virorum quoq, cætus, Antonio Sanctissimo Viro Duce, mire amplifica-

Prior Religiosi Ordinis amplificatio.

retur, & Munimentum Christianę Fidei pararetur maximum. Consummata quidem illius Viri Sanctitas, miraculorum vi obsignata, innumeros fere homines undique acciverat, quorum plerique, qua oris majestate, atque eloquii dulcedine, qua operum admiratione permoti, Seculo abrenunciabant, ut sub tanti Pręceptoris disciplina reliquum vitæ insumerent. Eo tamen vita functo, in eandem plane perfectionem insudarunt Julianus, Hilarion, Macharius, compluresque alii, qui religiosam disciplinam, nullo temporis cursu interjecto, felicissimè propagarunt, eoque res brevi provecta, ut eodem Seculo reparatę salutis quarto ad finem vergente, tota ferè Ægyptus, & Palestina religiosis viris exundarent. Mira quidem dictu sunt, quę de ingenti hac Monachorum multitudine, illius ævi Scriptores omni exceptione majores nobis vulganda tradiderint: D. Athanasius in Antonii Vita describit, ejusdem Monasteria sibi invicem propius extructa, *tanquam Tabernacula plena Divinis Choris Psallentium, Lugentium, Orantium*, qui infinitam Regionem quandam, & Orbem alium, à mundana conversatione sejunctum videbantur incolere: & de Hilarione affinia his habet Hieronimus, in ejusdem Commentariis, innumera videlicet per totam Palestinam, ejus exemplo, Monasteria excitata, ejusdemque tantam fuisse comitatem, ut interdum usque ad duo millia hominum congregaret. Idem quoque S. Doctor scribit in Epitaphio Paulæ Viduæ, eam, lares eosdem, studio visendi, deserta lustrasse, turbasque innumerabiles Famulorum Dei vidisse, tanto gaudio perfusam, ut sui sexus oblita, inter tot Monachorum millia, quoad viveret, versari commodius duxisset. Vulgatum vero est, quod de Pachomio narrat Nicephorus *Lib.9.Eccles. Histor.* complures habuisse alumnos per classes, Gręci Alphabeti ordine comprehensos, sub aliqua litera, tanquam, sub vexillo aliquo Sacræ Militię, nomen dedisse. At sub annum quinquagesimum supra trecentesimum ipsa etiam Græcia, novo ejusmodi Sapientię studio exarsit, atque avidissime Sapientes hos excepit, fecundiori pietatis semine innumeros alios paritura.

II. Ve-

II. Verum antequam in Græciam iidem se effunderent, tria tantum Monachorum genera, teste D. Hieronimo *Ep. ad Eustoch. de custodia Virginit.* per Ægyptum, & Palestinam diversabantur, primum Cænobitarum in communi viventium quorum erat, majores revereri, statis horis Psalmos vicissim canere, Orationes fundere, Scripturas Sacras de more recitare, opus aliquod propriis manibus exercere, sobriè admodum prandere, leguminibus, & oleribus, quæ sale tantum condiebantur, quotidie semel vesci; divinis alloquiis exaturari. Alterum Anachoritarum, qui post diutinam in Cęnobiis commorationem, vitæ austerioris, & ad rerum cęlestium meditationem aptioris cupiditate incensi, Superiorum, quibus obtemperabant, facultate, ad id obtenta, inhospitales regiones adibant; ibidemque cellulis sibi in tuguriorum formam constructis, seorsim vivebant, longis jejuniis corpus macerabant, meditationes in plures horas, diętim protrahebant, hominum conspectum, & contubernium omne vitabant, nisi, cum seniores fortasse, adire aliquando contigisset, ut vitæ suę rationes redderent, clandestinas Demonis insidias tutius declinaturi, & quibus præsertim mediis in Christianam perfectionem altius assurgere possent, eorumdem exemplo, monitisque efficacioribus. Ne tamen Cęnobitis, atque Anachoretis deessent sua monstra, accedebat, tertium genus in plerisque eorum deterrimum, quod Remoboth, sive ut aliis, Sarabaitę appellabantur. Hi suo arbitratu vivebant in urbibus bini, vel terni: inordinata fere omnia peragebant, & jejunia etiam ipsa; quæ continuo sequebantur commessationes, earumque famulitium frequens, scilicet mulierum visitatio, frequens detractio Clericorum, corporisque cultus quidam scrupulosior fastum verius, quam maturitatem morum repręsentans. Haud tamen deerant inter eos, qui morum innocentia eminerent, conjunctis animis, institutoque contubernio, ut se invicem ad altiores Christianæ perfectionis gradus excitarent, provocarentque maxime ad sublimem illam, ac jugem de divinis rebus contemplationem, nihil quidquam de illecebris Seculi, deque aliorum Pseudomonachorum moribus quærentes.

Antiquiorum Monachorum genera.

III. Tria

Contemplationi vacabant.

III. Tria hęc antiquorum Monachorum genera in unum tantum finem tendere videbantur, nempe in rerum cęlestium contemplationem, ad quam secessum, totiusque vitæ rationem referebant; & quanquam ex jis non deessent, qui aliquando infidelium conversioni, atque proximorum saluti prospicerent, nihilo tamen serius id præstabant, certis quibusdam occasionibus oblatis, cum videlicet ab jisdem infidelibus adigerentur, controversias de Christiana Religione publice, aut privatim inire, ut eorumdem errores detegerent, vel cum erudiri alios oporteret, circa Fidei Mysteria, & quæ Animarum salutem propius attingerent. Exempla multa prostant in Historiis Ecclesiasticis de Divo Antonio, deque aliis probatioribus Monachis, ex eremi recessibus, in hunc finem eductis, ut lascivientem Philosophorum Ethnicorum turbam, haud minus, quam imperitam plebem, qua solidiorum argumentorum jaculis, qua prodigiorum potestate confoderent. Hinc manifestius deprehensum, institui posse Ordinem, omnia sane in Divinum Cultum referentem uberiori tamen cum fructu, quam si illud vitæ genus capesseretur, quod spectaret tantum, solitariam vitam, & otiosum, ut ita dicam sęcessum. Verum quia Christi Domini vitam, moresq; quoad possunt imitari Regulares contendunt, plurimum emolumenti inde proficisci, manifestum, si quemadmodum Christus Dominus non modo suavem meditationibus vitam egerit, sed actuosam adhuc proximorum saluti dies, noctesque insistens, ita religiosi Ordines dentur, communicatis vitæ muniis, qui contemplativæ, & actuosæ vitæ munia feliciter satis obirent.

Diversa Ordinum studia.

IV. Ea propter, ex præcipuo fine Divinæ Charitatis, Christiano Orbi illuxere tria ejusmodi Ordinum genera: Aliis enim in sola cōtemplatione immorari placuit ab omni curarum secularium solicitudine sejunctis. Aliis contra in exteriori operum, quę proximis juvandis inservirent, ministerio. Aliis demum, in utriusque vitæ communione, sociatis sibi, & comparatis ad utriusque commoda instrumentis: & quanquam difficile prorsus sit definire vitæ genus aliquod è triplici hoc, ita solitarie acceptum, quin

con-

contineatur de reliquis conjunctum aliquid: nihilo tamen minus, advertere Sapientes, quid præcipuum in unoquoque sit, & num alterum ab altero plurimum distet, aut proxime communione vitæ accedat, ut præcipua inde ratio haberi possit. Triplicem hanc differentiam tradunt unanimiter Theologi, eamque tum è Sacris Literis, in quibus utriusque vitæ rationes distinguuntur, & præsertim Lucæ *Cap.* 10. ubi Magdalenæ, & Marthæ studia ad vivum repræsentantur, tum etiam è Patribus eruunt, in quorum numero, ut hic unam, aut alteram authoritatem attingam, est Gregorius Nazianzenus, qui graphicè prorsus utramq; vitam in D. Basilio exprimit his verbis, *Orat. de Laud. Basil. Preclarè*, inquit, *inter se reconciliavit, ac permiscuit Pietatis nimirum Gymnasia, & Monasteria extruens, ut nec contemplatio communicationis expers esset: nec actio contemplatione careret: sed quemadmodum terra, & mare: ita etiam hæ duæ vitæ commoda sua, inter se communicantes, ad unicam Dei Gloriam concurrerent*. D. Augustinus quoque utramque commendat pluribus in locis, sed *Lib.* 10. *de Civit. Dei Cap.* 19. *Nec sic*, inquit, *quisquam debet esse otiosus, ut in eodem otio, utilitatem non cogitet proximi, nec sic actuosus, ut contemplationem non requirat Dei*. Innuisse tantum hic juvat, triplex hoc vitæ genus, ut exploratum habeamus ex iis, quæ dicenda latius erunt, suis locis affixa, Ordines Regularium omnes, hactenus in universa Ecclesia institutos, & si qui alii in posterum instituendi reservantur, in certam aliquam è triplici hac laudata differentia, revocandos.

V. Porro hanc Ordinum diversitatem, multiplicemq; prolem, Christianæ Religioni, & certum in Ordine vitæ genus amplectentium commodo, maximè opprtunam fuisse, & ratio, & experientia ipsa comprobant. Ratio quidem evincitur ex hominum ingeniis, studiisque, quibus, iidem diversimode afficiuntur. Ut enim rerum parens natura haud una, eademque humorum miscella, homines efformavit, sed alios, præ aliis sanguine, aut humore alio copiosiori; ita etiam sua singulis pro eorumdem temperamento studia indidit, ut ad quæ se quisque natura comparatum magis nosset, cupiditate vehementiori, *Commendatur Ordinum diversitas.*

tan-

tanquam alarum remigio, ferretur: quamobrem haud mirandum, si hos hilaritate, & sociali aliorum convictu maxime detineri, alios contra, ab aliorum societate refugas, solitudinis tantum, & quietis amore incendi videris, alios novandis rebus, componendis alios & natura, & arte promptiores: sunt quos tubarum extimulant clangores ad arma è vestigio capessenda, ad militares labores hilariter ferendos: sunt quos liberales artes, & sapientiæ tantum, amor allicit: atque in hac etiam parte, multiplicem cernere est animorum propensionem, ut alii amæniores, sublimiores alii, disciplinas affectent, desudentque pervigiles ut assequantur, & ne longius excurram, difficillimum dixerim inter innumeros sane homines, vel paucissimos reperire, ingeniis moribus, naturæ dotibus adamussim sibi invicem consentientibus. Cum vero Divinæ Gratiæ ea sit natura, ex indubitata Theologorum doctrina, ut suavissimè homines pelliciat, eorumque propensiones perficiat potius quam convellat, ubi æquè commode ad Christianam perfectionem comparandam expedire iis posse perspicit, sequitur profecto, ut magna Ordinum diversitas, ac multitudo fuerit excitanda. Ita nanque hominum ingenia excoluntur uberius, & fructuosius Gratiæ Divinæ vis, suis sanctissimis legibus obsecundat. Qui enim natura ad socialem vitam, gerendasque res proniores, eadem hac naturæ indulgentia saluti suæ consulere exoptant: expeditius quidem sibi provident in eo Regularium Ordine, ubi Animarum salus totis viribus, Sacramentorum, & Verbi Divini pabulo curatur: qui vero secus, moribus, austeriores, solitariæ vitæ, commoda sectantur; suos, & hi recessus habent, quo confugiant, seu verius se condant, rerum cœlestium contemplationi affixi; & quo intensior ex hujusmodi naturæ facilitate, animi ardor ad religiosæ vitæ munia accederet, in singulis Ordinibus, quid magis sibi expedire videtur, propensiori animo, secum quisque decernit.

E studiorum varietate. VI. In eandem sententiam conspirant Theologi, cum quibus Bellarminus *Lib. 2. Cap. 3. de Monach.* in hunc modum suffragium suum confert; *Jam vero; quod hæc varietas in-*

institutorum, in eadem Fidei consensione, nihil Christianæ Religioni obsit, sed potius valde prosit, hinc intelligi potest, quod hac ratione provisum est, omni hominum generi, ut nemo sit, qui velit ad perfectionem tendere, & non possit. Unus diligit solitudinem, alius gaudet frequentia, unus libenter orat, alius libentius legit, vel operatur, &c. Si ergo omnis Religio requireret solitudinem, vel omnis communionem, & frequentiam, aut si omnis Religio, abstinentiam à carnibus indiceret, vel nulla indiceret, &c. pauci admodum Religiosi esse possent. Nunc autem in tanta varietate Religionum, potest omnibus satisfieri. Eodem referenda in veritatis hujus robur, quæ generatim Patres de vitæ actuosę, ac contemplativæ sive seorsim, sive simul junctis muniis, deque aliorum procliviori, in alterutram partem, studio, summis præconiis extollunt, & currentibus stimulos ex hujusmodi naturæ proclivitate, vel verius, exigentia, addunt. D. Gregorii *Lib.6. Moral. Cap.* 26. judicium subdam: *Nonnulli namque hominum*, inquit, *ita otiosæ mentis sunt, ut si labor eos occupationis accipiat, in ipsa operis occupatione succumbant, & nonnulli ita inquieti sunt, ut, si vacationem laboris habuerint, gravius laborent, quia tanto deteriores tumultus tolerant, quanto eis licentius, ad cogitationem vacat. Unde necesse est, ut nec quieta mens, ad exercitationem se immoderati operis dilatet, nec inquieta ad studium contemplationis angustet.* Tradit Cassianus *Collat.* 14. *Cap.* 40. Regulares suo temporis, & proprie è Monachorum instituto, (quod erat tunc paulo infrequentius) alios contemplationi penitus addictos, curando Xenodochio alios, nonnullos alendis pauperibus, ac miseris quoquo modo possent, juvandis, operam strenuam navasse.

VII. Rationem alteram de multiplici hac regularis vitę in Ecclesia propagine, suggerit humanæ naturæ conditio, quæ inconstantiæ morbo laborans, vitium in homines transmittit, ne diu eundem vitę statum immotum servent. Blande pervadit, & quod deterius, animorum labem, in temporum, aut posteritatis mores refert, quo honestiore quodammodo mendacio, decipiat: sed re vera, ea est affectionum nostrarum vis, quarum pondere, seu mavis, blandimentis, mortales pressi, quo altius Divinæ *E Divinæ Providentiæ efficacitate.*

O Gra-

Gratiæ afflatu à terrenis cupiditatibus tolluntur, gravioris ponderis instar, secius ocyus in deteriorem naturæ suæ partem redeunt, & in imum delabuntur: non tam Christianę perfectionis, quam humani generis infortunium, putandum est, nolle posteros majorum suorum vestigiis insistere, & sibi potius assentiri, quam recta sequi. Veritatem dicti adstruit, regularis Ordinis institutum, cujus crepundia, sanctissimis alumnis exculta, posteros dein excipit paulo fidentiores, qui vitę austeritatem sensim detrectantes, multa in ordine convellunt, eandemque libertatem in aliorum exemplum, aspectu ipso, trahunt: quo inducto, cæteri in posterum, contagione quadam corripiuntur; atque disciplinæ enervatio, in consuetudinem tandem valescit, pro lege adhuc roboratam: quo tabifico sane morbo, correptus Ordo Christianam perfectionem fere animam agentem, intuentium oculis exhibet, cum Regularium, ac exterorum detrimento; Verum, quia Divina rerum Providentia, consuevit, è malorum seminio, glorię segetem adhuc, amplissimam, sibi parare, alios proinde institutores excitat, qui, fere intermortuam alicubi religiosam disciplinam, vivaciorem revocent, novi ordinis accessione, & fecundiore virtutum propagine. Si enim in naturalium rerum serie, Summus naturæ Author, id efficit, ut naturam semper integram servet, reciprocis rerum corruptionibus juxta ac generationibus, itaque verissimum comprobetur, diuturnis experimentis, Philosophorum vulgare effatum, *corruptionem unius rei, generationem alterius esse*, multo sublimius, sublimiorem suæ sapientię sobolem propagandam existimavit, ut quæ hominum vitio collaberentur, opportunioribus reviviscerent instrumentis, fatiscente nunquam in Christiano Orbe, religiosiore, Christianæ perfectionis, imagine. Eandem etiam rationem indicavit Bellarminus paulo ante laudatus in hæc verba: *Altera ratio esse potest, quia cum omnis Ordo initio ferveat, ac multos homines excitet ad pietatem, paulatim autem postea fervorem illum remittat; Deus subinde novos Ordines excitando, quasi perpetuo fervorem in Ecclesia sua, nunc per hos, nunc per illos conservat*. Qua vero opportunitate, qua ope,

qui-

quibus subsidiis Divina rerum Providentia se gesserit, in novis semper Ordinibus excitandis, inferius patebit. Sufficiat interim nosse non tantum ad privata, cujusque Regularis commoda, peculiarem Ordinem excitatum, sed ad universę adhuc Ecclesiæ utilatem.

VIII. Eadem nanque Providentia singulos Ordines excitasse visa est tum potissimum, cum novis emergentibus pravorum dogmatum, aliorumque seminum feralium causis, haud dubitari posset, hanc Ordinum diversitatem, ac multitudinem divino consilio profectam. Quandoquidem cum, morali quadam necessitate, ita ferente mundanarum vicissitudinum orbita, & paulo liberioribus hominum ingeniis, veniant scandala CHRISTI DOMINI verbis. *Matth.* 18. multiplex proinde hostium genus occurrit, quibus Ecclesia Dei exagitetur, oportet, quousque *hic à Domino peregrinari* juxta Apostolum 2. *ad Corinth.* 5. tempestatibus objectam navigantium more, contingat, multiplex quoque propugnantium Ordo pro temporum necessitate divinitus adesse debet, ut ita tranquillitatem, securitatemque perveniat ex iteratis CHRISTI DOMINI ad eandem Ecclesiam, dilectissimam alioqui Sponsam, pollicitationibus, cujusmodi est illud. *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, quo sane referre videtur Bernardus in *Apolog. Guill. Abb.* & illud *Psal.*44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Nec mirum*, inquit, *si in hoc exilio peregrinante Ecclesia, sit hujusmodi pluralis unitas, & una pluralitas, cum in illa quoque patria, quando & ipsa regnabit, futura sit aliqua dispar æqualitas*; *cum scriptum sit, in domo Patris mei mansiones multæ sunt*. Hæ quidem mansiones, singulorum meritis respondent, & meritorum gradibus, quibus charitas augescit; & quanquam in unione potissimum sita virtus sit, & quoad perfectionis substantiam, semper eadem; multiformis tamen, suis muniis, suoque inserviendi, pugnandique pro Ecclesia, multiplici instituto.

E publica item utilitate.

IX. At quibus rerum opportunitatibus tanta tot Ordinum varietas emerserit, paulo fusius exponendum. Devicto primum, per Christianam Religionem sub Costantino, perque eundem Imperatorem, tanquam fidissimum

Juxta temporum necessitatem.

ejusdem Ducem, Idolorum cultu, nihil ad eandem Fidem excolendam efficacius offerebatur, quam Idolis adhuc immolantes, aliosque nuper conversos, nec paucos item nutantes, paulatim non tam disputationum aculeis, hominum ingenia plerumque obstinatius asperantibus, quam operum admiratione mulcere, reque ipsa ostendere, Christianam Philosophiam, heroicarum virtutum cumulo, atque corporearum voluptatum contemptu potius constare, quam egregio verborum apparatu: quæ res quam ardua per se in praxim deducenda esset, terrarum Orbis in omni retro ætatum serie, palam significarat, inter innumeros homines paucos admodum computatos, qui terrena proculcarint, eosdemque fastu quodam verius, quam morum maturitate, & rerum cœlestium assequendarum studio factitasse. In hunc plane finem opportune admodum innumerabilis fere Monachorum multitudo emersit, ut Seculi delitiis vale dicto in sylvis delitescerent, non jam amplius Tyrannorum metu, sed cęlestis vitæ amore impellente, quo vegetior ibidem animus, eoque securior, in altissima excitaretur. Circumjacentes Ægyptum regiones idcirco, & quæcumque alia, quæ paulo ante sensibus obsita, ferarum periculis extimescenda, iter agentibus invia, rerum omnium sterilitate horrida deserta, ad delicias dehinc animorum exculta, frequentissimo cultorum delectu, Divinas Laudes personantium, Salomonicum Templum referebant, atque Isaiæ vaticinium trigesimo quinto Capite adnotatum comprobabant: *In cubilibus, in quibus prius Dracones habitabant, orietur viror calami, & erit ibi semita, & via sancta vocabitur*; eo tamen proximorum proventu, quo major exprimi nequit. Primum enim irridentium olim fortasse animos admiratio distinebat, horror deinde, sed qui ad salutem conducit, subibat, de Fide Christiana, deque ejusdem instituto par reverentia, atque ubi cesserat veritati, mentis obstinatio, consequebatur libertatis cohibitio, ejusdemque Fidei professio.

Catholica Veritas de Ordinum utilitate. X. De Fide igitur statuendam, & à Catholicis mordicus propugnandam Veritatem hanc, circa Ordinum appro-

probatorum diversitatem, video, è proxime superiori doctrina, eandemque non modo detrimentum nullum, legumve inordinationem nullam in CHRISTI Ecclesiam inferre, verum id agere, ut Divinum Cultum augeant, propugnaculis Ecclesiam muniant, ejusdemque singulare decus, magis magisque suspiciendum, vera sectantibus, objiciant. Summorum Pontificum definitiones singulos Ordines, vel initio probantes, vel precedente ejusdem Ecclesię per plura Secula, consensione, firmantes, saniorem eorumdem doctrinam, ad Christianam perfectionem tendentem produnt. Multiplex illa institutorum ratio, metam unam alumnis præscribit; penes media, sive subsidia tantum diversitas, in qua, & pergendi adhuc par securitatis affinitas: nam instituta, quę paulo commodiorem in certis rebus vitæ usum ministrant, aliarum asperitate compensant; ut difficile sit recta æstimanti dijudicare, inter Cęnobiticos maxime Ordines tum Monasticos, & Mendicantium, tum etiam Clericorum Regularium, quisnam asperitate omni ex parte jure sit præferendus. Ubi usus vestium, vel sustentationis commode alioqui ferendus, tanta fortasse austeritate voventium voluntates inhibet, ut si cum austeriori integumento conferatur, quo operiuntur Ordines alii, minus incommodi subire hi præ reliquis videntur. Psallendi ritus in plures horas, interdiu, noctuque, levius onus putant, qui indefesse in studia incumbere ex instituto coguntur, viribus, & naturalium spirituum parcitate propemodum exangues. Sed omissa nihilominus collatione hac, quamvis Ordines, inter se, in legibus, subsidiis, ritibus dissiderent, facto veluti agmine cuncti in finem suum enitentes, Ecclesiam opportune tueri, institutis ipsis exornare, hæresum monstra, Fideique hostes quoscumque adoriri, temeritatemque saltem compescere, nullo non tempore, omni ope decertarunt. Adnotanda duco, quæ in Bulla, confirmationis nostrę Societatis, initium faciente ab jis verbis *Ascendente Domino* Gregorius XIII. de aliis Ordinibus, oraculo suo pronuntiavit, & in hunc plane modum se habent: *Cum Divina Providentia pro temporum necessitate, varia, & salutaria*

Or-

Ordinum instituta, in Ecclesia sua produxerit, novisque in ea nascentibus morbis, nova remedia, novisque emergentibus hostium impugnationibus, nova Regularium Ordinum auxilia excitaverit, & cuique illorum, juxta cujuslibet peculiaris gratię vocationem, peculiares quasdam notas, peculiaria insignia, & opportuna ad finem, quem intendunt, media suggesserit, &c.

In Idolorum cultu profligando.

XI. Ut vero eidem argumento è re nostra, & pro viribus incumbamus, plurimum ut paulo ante indicatum adjumenti Ecclesiæ Dei, regulare institutum primis Seculis attulit, cum parta, per Constantinum Magnum, Fidei tranquillitate, ab Ethnicorum insectationibus, haud satis fuerat,efferos animos duntaxat exarmasse,nisi & mitiores, & in Christianam Religionem propensiores fierent: atque in eandem professionem traducerentur. Imperatores ipsi, Fidei quanquam amplificandę studio permoti, ad Imperii tamen securitatem, subditorum voluntates liberas esse ad avitas superstitiones sinebant, ne Religionis prætextu, perduelliones, & desperationem juxta cierent: peragenda res potius erat monitis, colloquiis divinis,sanctissimis moribus, quorum exemplis, potentius in imitationem homines pelliciuntur. Et è voto quidem, illius ęvi Monachorum vitæ sanctitas in alios se cumulatissime effudit, & quia Ægyptus præ cæteris aliis Provinciis quarto Seculo, quemadmodum etiam Palestina, Monachorum agmina exceperat, præcipuam hanc Christianæ Professionis, & publicè nuncupatæ gloriam adscribere è Monachis potest. Excursiones ab Eremo, Nilo contigua, in qua complura tunc fuisse Monasteria memorat Severus Sulpitius in Vita S. Martini hi faciebant frequentissime per Ægypti urbes, & oppida, eoque vitæ austeritate, & rerum omnium contemptu, superstitionibus plurimis contaminatam, cæteroqui gentem permoverunt, ut ipsum Serapidis simulacrum in maxima olim veneratione habitum apud exteras adhuc nationes, quod ferebant, ab exoriente Sole consalutatum, cum os, & labia,templo ita extructo, primis radiis lamberet,explorata rei novitate, in frusta comminuerint, Templumque ipsum celeberrimum incenderint: eodem Fidei propagandæ ardore,in regiones alias Monachi irrupere, moribus sanctissimis præeuntibus, vitęque aspe-

ri-

ritate suppari, adeo ut, cum Angliam ad Fidem convertendam ex Idolorum cultu, animum, viresque omnes intendisset Gregorius Magnus Pontifex, Monachos in eam sacram expeditionem destinasse, & misisse, uberrimo cum animarum postea proventu, vulgatissimum sit. Sed quantum Monachi, & Regulares quicumque primis Seculis desudarint, in Ethnicorum conversione, patet ex uno hoc Juliani Augusti impii Imperatoris argumento, qui, ut refert Baron. in annum ejusdem imperii alterum ex illius ętatis Scriptoribus, cum acriter insectaretur Christifideles omnes, omnium maxime aversabatur Clericos ęquè, ac Monachos, eo quod Christianam Fidem, omnibus, quibus possent, viribus propugnare, & amplificare niterentur. Sperabat Religionis desertor, iis de medio, omni suppliciorum haud minus, quam blanditiarum genere sublatis, profligari facilius posse Religionem ipsam, eorumdem sudoribus, prædicatione, vitę demum austerioris exemplis, excultam.

Ad prava Arrianorum dogmata debellanda D. Basilii, & D. Augustini instituta.

XII. Cessere impii Imperatoris artes, minæ, ac cædes, in Authoris caput; dum paulo post, in expeditione Persica, consertis cum hoste manibus, divina verius ultione, quàm hostili ferro transverberatus, inter ejulatus, & impias adhuc voces, occubuit. Terrorem antea, tormentorum metu compluribus in Fide nutantibus, incussum excussere protinus eadem hæc Divinæ Providentię instrumenta, Clerici scilicet, & Regulares, quorum ope, ubi, licuit, Idolorum cultus, in Oriente fere toto, abolitus. Verum quia fœdissima hæresum, quæ in dies exoriebantur, contagio serpebat: maximeque per Orientem Ariani, per Aphricam non tantum Donatistæ, sed Pelagiani etiam de Divina Gratia temere, impieque sentientes; exorti statim intra idem quartum Seculum, duo amplissimi Ordines, quorum alter à D. Basilio in Oriente, alter à D. Augustino in Africa originem suam sunt auspicati. Ambo hi Duces Doctrina, & Sanctitate eximii milites suos armis instruxere, Fidei hostibus profligandis. Etenim præter austerioris vitæ incommoda, præter voluntariam rerum pauperiem, castigationesque alias corporis, cæteris

ris hactenus Monachis communem: jugem Scripturarum lectionem, artium quoque liberalium usum, Thologię Polemicæ inservientium, provexere, quo eorumdem in posterum Sectatores, superbientes, distentosque inani sua doctrina Hæreticos, è proximo peterent, ne sibi hostes blandirentur, cum imperito quodam, & rudi hominum genere agendum esse, ut Monachi jam pridem audierant. Per Orientem fere totum, è D. Basilii Ordine Monachi, Arianam sectam, Nestorianam, & Eutychianam, penè ad exitium labefactarunt. Per Africam vero, atque Italiam D. Augustini alumni parentis sui exemplo, atque singulari institutione, Pelagianismum ad internecionem singulari cum laude profligarunt. Alia quoque Ecclesię universæ subsidia prædicti Patriarchæ addidere: & Basilius sane Monachorum institutum aptissimis legibus instruxit, & quæ instituti servandi munia essent tam in vita solitaria, quam in Cęnobitica: nam utrunque genus D. Basilii Ordo complexus est, admirabili quodam Sanctitatis, prudentięque specimine præstitit, & lucem Ordinibus aliis, qui postea insequuti sunt, prætulit puriorem. D. vero Augustinus Clericos otio, luxuque diffluentes, magna ex parte reformavit, suisque etiam legibus obstrinxit, ut in regularem prorsus societatem coirent, communi omnibus mensa, cæterisque religosæ vitæ muniis.

Clericorum Regularium Disciplina.

XIII. Sed cum per idem tempus Eusebius Vercellensis Episcopus Clericos Ecclesiæ suæ reformasset, ut Regularium legibus viverent, & Monachis cæteris per omnia suppares essent, non propterea peculiarem Ordinem Clericorum in Italia ab eo institutum crediderim; sed è cęteris, qui eo tempore vigebant, Monachis, institutum hausisse, suisque subditis Clericis, eandem vitę communionem complectendam præstitisse. Mira tamen sunt, quę de ejusdem in hac re, solertiori cura peregerit. Narrat D. Ambrosius *Serm.* 15. de ejusdem Eusebii laudibus: *Ut cætera taceam*, inquit, *illud quam admirabile est, quod in hac Sancta Ecclesia, eosdem Monachos instituit esse, quos Clericos, atque jisdem penetralibus, Sacerdotalia Officia contineri, quibus, & singularis castimonia conservatur, ut esset in ipsis viris contemptus*

re-

rerum, & accuratio Levitarum, ut si videres Monasterii lectulos, instar Orientalis propositi judicares: si devotiones Cleri perspiceres, Angelici Ordinis observatione gauderes. Quamobrem, Eusebium quidem primum omnium in Occidente, & in Italia potissimum, Clericalem Ordinem invexisse, non tamen eundem institutorem Clericalis Ordinis, existimarim, perinde quasi, tunc primum Regulares Clerici prodierint, ad instar Canonicorum Regularium D. Augustini, verum totis viribus contendisse, utque in Oriente è Basiliano Ordine Monachi profitebantur; profiterentur etiam in sua Vercellensi Ecclesia Ministri fortasse omnes è Clero, in communi viventes, religiosisque votis obstricti. Accedit deinde, post ejusdem Eusebii obitum illam vitæ communionem, aut penitus extinctam, aut paulo post ita relaxatam, in eadem Ecclesia, cujus fines ulterius non pretendebat, ut nulla deinde mentio, aut parcior fere à Scriptoribus Ecclesiasticis sit habita.

XIV. Ut autem aliquantò pressius Basilii, & Augustini instituta attingam; D. Basilius monasticam disciplinam, ex Ægypto, vel verius è Palestina haustam, in Græciam effudit, atque ut ea Sapientiæ, & Sanctitatis celebritate apud omnes pollebat, complures Græcorum, & Cappadocum, in idem vitæ genus traxit, tanta omnium adprobatione, ut Monachorum quodammodo parens merito sit appellandus. Siquidem regulari instituto leges præclarissimas addidit, & vivendi modum, contemplativæ simul, & actuosæ institutioni congruentiorem. Etsi enim, præcipuum suo instituto finem in contemplationem monastici proprium pararit: quia tamen saluti etiam proximorum, uti dixi, prospexit, ordinatiorem, in temperamentum hoc, methodum præscripsit, ut qui exinde institutum mallent, proferrentque actuosum, commodius sibi aliisque propositis ab eo adjumentis consulerent. Et saluberrime quidem statutum dixerim, sive quia Regularium Clericorum disciplinam solutiorem sua ætate viderit, ac sedulo proinde cogitarit, in Monachorum communionem, inserere, ex utiliori ejusdem vitæ perspecto usu; sive quia, Antonii, atque Hilarionis institutum, non satis eidem

De Divo Basilio.

P uti-

utilitati prospexisse crediderit, propterea quod leges monasticæ hactenus editæ ferè nihil, ad utrumque vitæ genus, præstiterint, sed quæ tantum cælestes meditationes, & secessum solertissime commendarent: quæcumque tamen sapientissimi viri mens fuerit, compertum, Divino Spiritu eundem edoctum, perinde ac divinando, has leges sanxerit, maximæ utilitati in Ecclesia, insequuturis temporibus, futuras. Plurimum adjumenti regulari vitę accessit, è votis in Professione emissis, & solidissimè ab eodem Doctore propugnatis: non ex eo quod, prior, emittenda hujusmodi vota asseruerit, è Novatorum in vulgum opinione, sed quod sapientissimus Institutor Apostolicum morem firmandum ratus, non aliter regularem statum, nisi nuncupatis votis, & scriptis suis, & immota praxi, constare, constantissime propugnarit. Qua de causa, Suavii effatum priori libro adnotatum, haud redarguendum autumo, in hac parte, monasticæ vitæ amplificationem, à D. Basilio prospere satis gestam. Id quidem Suavius è communi antiquorum Scriptorum sententia firmat, atque utinam reliqua omnia, quæ scribit eodem modo, obsignaret. Vereor tamen, ne quod subdit, Religiosum Ordinem Divi Basilii per Orientem, in eadem forma, qua olim institutus, hodieque ibidem persistere, eandem præseferret veritatis lucem, si non Ordinis corticem, sed medullam, hoc est Sanctitatem respectat. Tantum abest; ut in Græcia, & in Oriente toto, ille Ordo, è pluribus Seculis Sanctitatem ullam exercuerit, ut potius, præcipuos Schismatis in Oriente Authores, aut fautores saltem tenaciores, eosdem Monachos in Historiis Ecclesiasticis, ut plurimum fuisse, legamus. Neque ex eo quod nunc etiam jejunia, ad menses plures protrahant, eremi asperitatem æquo fortasse animo ferant, manibus victum quærant ut olim Monachi in Ægypto, rudem amictum, cæterasque ceremonias in speciem, hominum admirationem captantes servent adhuc, antiquioris idcirco Sanctitatis formam exprimunt: si id innuit Suavius, cum Schismaticis sentire videtur; si secus & nudum tantum virtutis corticem exhibet; ferendus utcumque est, ne singulis plane ejusdem verbis succenseam.

XV.

XV. Quod vero D. Athanasium spectat, equè veritati consonum est, monasticas leges eundem Romam detulisse, neque Italos tam facile, ac Græcos, easdem complexos, sed nullum puto præjudicium, nec Romanis, nec Italis exinde comparatum. Multa sane sunt, quæ rerum ipsarum novitate admirationem verius, quam imitationem, primo obtutu, pariunt; ea præsertim, quæ asperrimam vitæ conditionem, suadent. Sciendum igitur D. Athanasium, cum Arrianorum immanitatem refugeret, ad Romanum Pontificem confugisse, multumque temporis Romæ egisse, quousque pacatiorem Ecclesiæ suæ Alexandrinæ statum perspiceret. Antonii Abbatis vitam à se conscriptam ibidem publici juris, exemplique fecit, ut Religiosum illum Ordinem in Occidente excitaret; non ideo tamen evicit, ut complures, ad easdem leges pertraheret: sive quia seipsa quælibet rei novitas, cautiores homines reddit, sive quia instituti austeritate deterrerentur, ut plurimum Itali, librata Cęli, in quo vivebant, temperie cum Ægypti solitudine, peregrinisque ejusdem regionis moribus, quamvis haud peregrina, aut ignota iisdem esset, Religiosi Ordinis disciplina: non tam enim de religiosa vita disceptabatur, ut nova omninò excogitari potuisset, aut in Italia probari primum, tanquam propior Christi Domini imitatio, quam de severioribus ejusdem vitæ legibus, de austeriori, intra inhospitales saltus, contubernio, de frequentissimo jejuniorum usu, aliisque corporis afflictationibus supra, quam dici possit, in praxim, ab Antonii asseclis, eodem Duce, deductis, à quorum consuetudine paulo longius aberant Romanorum, & Italorum mores: sed percrebescente postmodum ejusdem sectæ celebritate, quę secum in Oriente complures ad imitationem incenderat, effectum paulatim, ut pressius Itali iisdem vestigiis insisterent, & vel ipsam Thebaidis austeritatem ad Apennini fauces deducerent, feliciori quidem exitu, & numerosiori Monachorum, qui deinde insequuti sunt, sobole. Memorasse hic tantum juvat, & innuisse de Athanasio aliquid, ne quis Suavii ejusdem opinioni adhæreat, qui, ut Monachatus primordia, in humanum adin-

De Divo Athanasio.

ventum referret, trecentesimo circiter instaurato Orbis anno, addit, in Italiam paulo serius à D. Athanasio delatam institutionem, tanquam rem prorsus obscuram, Romę, aliisque circumjacentibus in locis, à paucissimis arreptam, sed inconditè. Ad propositum igitur revertamur.

De D. Augustini institutione.

XVI. Eadem sane ætate, qua D. Basilius tam impense Monasticum Ordinem per Græciam, atque minorem Asiam amplificabat, moliebatur adhuc in Africa singulare aliquid, ad Clericorum Regularium disciplinam tuendam, D. Augustinus Valerii Hipponensis Episcopi Coadjutor, proximusque successor, quem proculdubio latere non poterat; Ecclesiæ Ministros nonnisi Religiosiores ab Apostolis, delectos, Christianæ perfectionis æquè participes, ac in reliquos Christifideles sibi subjectos, propagatores, è quorum vita subjectorum mores pendeant; nec rursus latere poterat, naturæ infirmitate Ecclesiasticæ Disciplinæ nervos sensim remissiores fieri, maxime cum Africana Ecclesia, tunc temporis sævissimis jactaretur procellis, & fere decumanis Manichæorum, Donatistarum, & Pelagianorum fluctibus. Tanto igitur viro de universa Ecclesia, ne dum de Africana optime merito nihil opportunius videbatur, quam Clericorum Regularium Ordinem, ab Apostolis inchoatum, sed non tam vetustate temporum, quam morum indulgentia collabentem instaurare: quam ob causam scribit Possidonius, in ejusdem sapientissimi Doctoris Vita *Cap.* 5. Augustinum, Presbyterum factum in sua Ecclesia, Monasterium eidem adhærens condidisse, ibidemque cum multis aliis Ecclesiasticis Viris instituisse vitam, juxta modum, & Regulam à Sanctis Apostolis constitutam: de qua sane Apostolorum institutione, ad Ecclesiasticorum Ministrorum præsertim disciplinam, nihil est quod hic addamus, ut regularis re vera ducenda fuerit. Magnę notæ Authores affirmant, non institutorem proinde dicendum Augustinum, sed ejusdem Ordinis reformatorem. In hanc sententiam propensior est Navarr. *in Comment.* 4. *de Regular. Vincent. in Specul. doctrin. lib.* 19. *cap.* 16. & D. Antonin. *in* 2. *part. Chron.* Verum ego tantorum virorum pace, præclarissimum Institutorem, cum

cum aliis Ordinum Fundatoribus conferendum, acerrimè semper assererem. Nam si propterea Institutorum laurea alii donandi, quod Ordinis substantialia à Christi Domini institutione arrepta, legibus aliis apposité adnexis, observanda tradiderint, prçclarissimum, eadem de causa, Institutorem Augustinum dixerim, in eundem finem, haud minus industriæ, sapientiæ, & laboris, prç reliquis Fundatoribus, contulisse. Extant adhuc, regulæ suæ monumenta, quç tanti Doctoris sapientiam juxta, & Regularium simul disciplinam, singulari moderatione exornatam, demonstrant. Viget & communis illa per manus hucusque tradita sententia, Canonicorum hujusmodi Regularium Ordinem prodiisse ex Augustino, quem & parentem veluti alterum, antiqui item in Ecclesia Ordines alii venerantur, Carmelitarum scilicet, & Dominicanus, quorum Institutores prima disciplinæ rudimenta ex Augustini Ordine agnovere, jure sibi adplaudentes, de sapientissimi Doctoris patrocinio: unde, nisi eo tempore, quo iidem Ordines prodiere, consedisset in omnium animis, & in omnium ora pervulgata fuisset de Augustini institutione, ac legibus conscriptis, veritas, haud unquàm suorum Ordinum leges ab eodem hausisse, & eodem Duce militare alumnos suos, obsignassent. Demum Augustini monumenta scriptis suis omnia, quicumque legerit, Theologica dogmatica, ascetica, expositoria, tam insigni regularis vitæ disciplina, ac praxi redundant, ut sanctissimum vel certi Ordinis Institutorem, vel communem quodammodo hactenus invectorum Ordinum, Ducem deprçdicarit.

XVII. In hunc sane modum, & his, quos diximus, Ordinum Institutoribus regularis vita per Orientem ferè totum, & per Africam provectus senserat suos, post Christianæ Reipublicæ tranquillitatem, ad Seculi VI. ferè exordium. Italia, & reliqua Europç Regna, Grçcia excepta, ab ejusdem vitç cultu, non abhorrebant sane; sed nec vehementius, ut par fuerat, in imitationem exarserant. Institutum sane nullum ardentiori studio arripuerant, Institutorem adhuc nullum ediderant. Multi quidem Re- *Serius in Italia Ordinum Institutores.*

Regulares sparsim vivebant, incertis sedibus, & in Anacoritarum potius, quam Cęnobitarum morem, & si quos extimulabat religiosę communionis vitæ amor, in Palæstinam trajiciebat, ubi commodum nacti, ibidem considebant, ut Marcellam Matronam Romanam apud D. Hieronimum fuisse comperimus: quę sane de arctiori Monachorum instituto dicta velim: quandoquidem, de ea vitæ communione, quæ inter Ministros Ecclesiasticos vigebat, secus dicendum esset, usitatam fere semper scimus, *ex Cap. Scimus* 12. *q.* 1. ubi inter alia hęc habet Clemens I. *Epist.* 5. *Communis vita omnibus necessaria est, & maxime his, qui Deo, irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum, eorumque Discipulorum imitari volunt*. Et laudato nuper capite Urbanus Pontifex *Epist.* 1. sic ait: *Scimus vos non ignorare, quia hactenus vita communis, inter bonos Christianos viguit, & adhuc gratia Dei viget, & maxime inter eos, qui in sortem Domini sunt electi*. Pręcipua tamen parcioris hujus Regularium usus causa præsertim in Italia fuit, vastitas, per id temporis ab exteris Nationibus, & à Catholica ad minus Religione deviis, Vandalis, Gothis, Herulis, Ostrohotis illata, quæ præsentium malorum, atque impendentium metu, animos perculerat, adeo ut nihil aliud, quam se, suosque quomodocumque tueri, cogitarent. Bellis bella, non, ut clavi, trudebantur, sed calamitatum accessiones Italis erant: ita ne induciæ quidem dabantur: Vvandalos immensâ præda onustos, Herulorum metus depulerat, Herulos Gothi exterminarunt, Gothos Græci, quorum in Italia imperium Longobardi pene totum, primo impetu irrumpentes, occuparunt, & de retinendo soliciti paulo mitiores Cœli temperie effecti, barbariem seposuere. Ineunte igitur, Seculo VI. ab Orbe instaurato, Italia paululum respirarat, imperantibus ibidem Gothis, cum Equitius vir morum probitate insignis, aliquot in societatem adscitis, monasticum institutum Orientali affine auspicatus est; & fama statim provulgata, ad eundem multis frequenter convolantibus, intra Latium, & Valeriæ Provinciæ fines, plura Monasteria construxit, suisque alumnis, suaque disciplina communivit. Post Institutoris obitum,

tum, amplificatio Ordinis fere nulla, intra easdem Provincias stetit, ibidemque desiit brevius, quam initium spoponderat.

XVIII. Ordo tamen, qui in Occidente cæteris aliis eadem tempestate præstantius inclaruit, & maximo Ecclesiæ Dei ęmolumento, è D. Benedicto prodiit. Is sane Nursiæ ortus; genere clarissimus, è Romana Nobilitate, elegantissimis moribus ad pietatem compositis, adolescentior, & in prima adhuc juventà, prima regularis disciplinæ rudimenta, & tanquam sacræ militię tyrocinium, sub Romano Monacho, in spelunca Sublaro contigua, eodem Duce egit, delituitque donec Sanctitatis fama percrebrescente, Ordinem instituendum curavit miro virtutum concentu, moderatiori item austeritatis lege, eoque temperamento Italiæ, ac Europæ Populis gratissimum. Jejunia nec crebra, nec rara indixit, ciborum delectum rejecit, diurnæ sustentationis modum statuit, certa panis, ac vini ratione in legem inducta, contemplationi quamvis affixus Ordo, doctrinę comparandæ horas reservavit, ut validius cum Fidei hostibus, & cum vitiorum monstris congredi alumni valerent, quos exemplo instruxit, cum Cassinum Montem adiit, Apollinis simulachro protrito, & superstitione prorsus omni, in vicinia deleta. In psallendo, modos musicos permisit, ad ampliorem Psallentium juxta, & populi adstantis devotionem proliciendam, quorum frequentiori usu effectum postmodum, ut ex eodem Ordine Monachus, ad suaviorem concentum, notulis interstinctis, pro momentorum numero, novos excogitarit. Secessus placuit, sed qui morum ruditatem non pararet, & externus amictus, cujus asperitate, non deterrerentur intuentes, sed Regulares ipsos ad serietatem componeret. Ordo hic, absit verbis assentatio, divinitus institutus fuisse videtur, ut Occidentem totum illustraret, Sanctitatis, doctrinæque munimentis: nullum penæ literaturæ à septimo ad undecimum usque salutis Seculum superfuisset, in Europa, & ne Latini quidem Sermonis Romani ipsi gnari fuissent, nisi Benedictinus Ordo scientias omnes ut ut poterat, fovisset, cujus adhuc ope novus Occi-

Divi Benedicti Ordo.

ci-

cidentalis Imperii instaurator Carolus Magnus literaturam è cineribus suis redivivam fecit, accitis, qui soli aderant, ad Academias excitandas, Alcuino, aliisque hujusce Religionis Regularibus. Idem Ordo per ducentos ferme annos Romanos Pontifices Ecclesiæ dedit, & innumeros Ecclesiis inferioribus Prҿsides, periculosiori tunc, quam unquam alias Reipublicæ Christianæ, Romanæque Ecclesiæ statu. Nec omittendum, non paucos item Principes, Regesque depositis suæ potentiҿ, Regnorumque insignibus, ad Cassinum Montem tanquam ad sacram ancoram confugisse, ut eidem Ordini nomen darent, effeceruntq; in primis Carolomannus, Caroli Magni patruus, Pipini Regis germanus frater, & Rachisius Longobardorum Rex, qui teste Ostiensi *Lib. 1. Cap. 8. Chron. Casin. Relicta Dignitate Regia, ab ipso Sedis Apostolicæ Præsule Sancto Zacharia attonsa coma, Clericus factus, monastico etiam habitu, una cum uxore, ac filia indutus est. Moxque ad hoc Sancti Benedicti Monasterium, eodem Apostolico jubente perveniens, ac sub regulari magisterio se instituendum tradens, &c.*

Ordinum disciplina relaxatur. XIX. Post Benedictinum Ordinem, recentiorem alium institutum per quadringentos ferme annos, in Ecclesiasticis monumentis haud legimus: quin verius à primæva disciplina, nec parum, invectos jam, descivisse, eadem monumenta passim testantur: ita ferente humanarum rerum vicissitudine, ut nihil fixum in rebus, sanctissimis licet, sit, quod non in dies dilabatur: & eadem corporum nostrorum conditione, stare diu, nesciat. Plurimum insudarunt, in regularis disciplinҿ firmitatem Carolus Magnus, & Ludovicus cognomento Pius, coactis Provincialibus Conciliis: sed paulo post ad damnatos mores natura rediit. Et primum è Sectatoribus D. Augustini, qui Canonici Regulares dicti, æmulationibus plerumque, cum Clero Seculari decertantes, in vestium luxum solvebantur, sed deterior per eadem tempora Divi Basilii Monachorum conditio in Oriente erat: nam patria arrogantia, odioq; in Latinos æstuantes, Græcorum Schismati addicti, à Romani Pontificis subjectione defecerant, fomitem in primis Photio Constantinopolitano Pseudo-Patriarcha, dein Mi-

Michaele Cerulario, ministrante. Exagitabat adhuc Benedictinum Ordinem nimia interdum Moderatorum potentia verius, quam præscripta legibus authoritas, urgebatque adeo, ut in partes scinderetur Ordo, ob immodicam eorum ambitionem, qui Monasterii gubernationem præter jus, fasque affectarent, advocatis non semel in injustæ causę subsidium, Principum studiis, unaque armis: ut in Cassinensi Monasterio pluries accidisse Leo Ostiensis *Lib.* 4. testatur. Ad eandem Ordinum laxitatem inducendam accesserant nono, & decimo Seculo, Christiani Orbis calamitates, Romanorum Pontificum dissidia, Regnorum mutationes, & crassa ubique litterarum imperitia, ut merito Ecclesiasticarum rerum Scriptores, ruditate, ferrea, eadem tempora appellarint; è quibus sane causis perturbatus, ut plurimum Regularium status, cum, nullo fere Duce, legibus impune præfractis, pravorum hominum exemplo cuncta susque deque ferrentur, haud aliter quam navigium fluctibus jactatum sine velis, sine remige, sine gubernatore.

XX. Affulsit tandem auxiliaris Numinis Providentia, & ea temporis opportunitate, qua Regularium Ordines Christiano Orbi invexerat, ut Orbem Idolorum impietate, hæresum labe, & Seculi illecebris magna saltem ex parte, purgaret, eadem prorsus, Ordines ipsos reformaret; exorti intra undecimum Seculum novi Ordines, morum innocentia, vitę austeritate, proximisque item juvandis apprime salutares, quibus adhuc antiqui Ordines in pristinam disciplinam revocati. Priora reformationis studia è Romualdo Benedictini Ordinis, qui asperioris vitæ, & rerum divinarum ardentiori contemplatione incensus, circa decimi Salutis Seculi finem in asperrimum Appennini Montis verticem Camaldulam in Thuscia dictam, secessit, ibique aliis suæ disciplinæ alumnis adscitis, Ordinem instituit, corporis afflictationibus, divinis meditationibus, & secessu ab urbium, turbarumque omnium strepitu fere singularem: subsequutus paulo post ejusdem studio ductus Petrus Damiani undecimo Seculo ineunte, sedemque præcipuam, qua affine in-

Antiquiorum Ordinum reformatio.

institutum ordiretur, delegit in Monte alio, quatuordecim passuum millibus, Eugubio distante, haud minus ad austeritates accomodatum. Ejusdem prorsus edomandi corporis spiritu, & cœlesti nutu, è Christi Domini Cruci affixi Imagine recreatus Joannes Gualbertus Benedictini Ordinis novam sobolem in Valle arboribus densissima, haud procul à Florentia, principe Thusciæ urbe, protulit, Vallis ombrosæ Monachos vulgo dictos. Parabantur interim è Benedictina adhuc Familia, duo alii Ordines, qui Basilianorum Regularium damna, in Oriente Catholicæ Fidei infl.cta, in Occidente perquam abunde reficerent. Horum alter è D. Brunone Carthusiensium parente prodiit, qui solitariæ vitæ, atque cænobiticæ miro consensu copulavit, ut nec eremi secessus intra monasterii septa deesset, nec intra domesticos eremi recessus Cœnobitarum virtutes ablegarentur. Alter ut legibus, ita & ætate proximus Cisterciensium, à Valle Cistercio in Diœcesi Cabilonensi apud Burgundos. Authorem ferunt Robertum Monachum, qui ad solitariam, atque in communi degentium vitam, actuosæ simul leges addidit, tanta cum proximorum commendatione, ac fructu, ut vel Bernardus solus Christianum Orbem, ne dum recentiorem suum Ordinem Divinæ Charitatis stimulis ad pietatem urgere potuisset.

Benedictini Ordinis reformatio.

XXI. Eadem ferme ætate, Ordo Benedictinus in priorem amplitudinem, & majori fortasse cum accessione restitutus est. Ipsa nanque novorum Ordinum excitatio plurimum valuit, ut æmulationem pareret, quæ cum ex Aristotelis sententia in rebus optimis optimos exerceat, ad primævam disciplinam instaurandam, nervos omnes intendit, & stimulos sane efficacissimos, operamque haud absimilem addidere complures Pontifices ex eodem Ordine in summam dignitatem evecti, qui, adhortationibus, subsidiis, authoritate ipsa in officio continere, laxiores revocare, de religiosa disciplina solicitos, studiosoque viros provehere non destiterunt. In jis fuere Gregorius Septimus Sanctitate juxta, & Ecclesiasticæ Dignitatis tuendæ zelo spectatissimus, Victor Tertius prudentia, mo-

morumque suavitate pergratus, aliique optime etiam de suo Ordine meriti alumni, simulque parentes; sed sive ex his, sive ex aliis fortasse rationibus adducti, in hujusmodi disciplinam insudarunt sapientissimi viri, in moderatores adlecti, cujusmodi evasit nuper laudatus Victor Pontifex. Hic in Cassinensi Monasterio, è Marsorum Comitibus, tanta morum probitate, tantaque in religioso cætu administrando, solertia enituit: ut sua ætate Ordinem ipsum ornaret, magnosque Principes ad suæ virtutis venerationem devinxerit: unde publica omnium adclamatione, Romanus Pontifex renunciatus, in ea temporum perturbatione, cum Henriciani Romanam Ecclesiam sævissime dilaniarent, & jura omnia pervertere niterentur. Eodem etiam referunt Oderisium seniorem desiderio Abbati, qui in Victorem evasit, non modo origine, sed moribus, atque existimatione persimilem, institutique sui pervigilem custodem, & domi, forisque acerrimum propugnatorem. Quo item tempore Cluniacense Monasterium in Diœcesi Matisconensi, quamvis sublimiorem quandam induxerat jam instaurationem, ad imitationem complures ex Benedictino Ordine Monachos incendebat, in diesque magis, magisque extimulabat.

XXII. Canonicorum Regularium disciplina eandem felicitatem nacta, suos quoque habuit Instauratores: inter quos mire eluxit Northbertus Sanctissimus postea Archiepiscopus Magdeburgensis, in Germania Primatis partes agens, collapsam fere Clericorum, & Canonicorum maxime Regularium, in Gallia, Germania, atq; Italia disciplinam, ex Imperatoriis partibus, quæ Christianum Orbem eo Seculo dilacerarant, & fœdissime a Pontificia Authoritate sejunxerant, rursum invexit. Præmonstratenses asseclæ dicti, non tam à novo parente, quam ab eo secessu, unde primum instaurati instituti primordia Orbi illuxere, à Præmonstrato videlicet in Diœcesi Lugdunensi, Romanam Sedem in Pontificatu tunc temporis Calixto Secundo administrante Anno à Partu Virgineo vigesimo supra millesimum centesimum. Quæ potissimum curavit, præstititque divino zelo incensus

Canonicorum Regularium reformatio.

Northbertus in novo cætu provehendo, fuere, In Ecclesiis cultus eximius, & devotio par, habitus, qui Cultui Ecclesiastico responderet, modestior, Psalmodia suis horis distincta, frequens Sacramentorum administratio, Divini verbi quotidianum fere pabulum. Quod legibus præscripsit, exemplo tamen longe ante alios prævivit. Cęlibatus costantissima assertio, & à negotiis secularibus, quemadmodum, &, à turbis, invicta semotio. Pro voto succesfere quæ voluit; habuitque Calixtum operis assertorem, ut non addubitatum ex eo tempore fuerit, Canonicorum Regularium amplitudinem per Galliam maxime, & Germaniam sanctissimo huic viro deberi.

Divi Augustini Ordo alter.

XXIII. De Divi Augustini Eremitarum, quos vocant Ordine, nihil explorati ex antiquis Scriptoribus habemus, quo primum tempore in religiosam familiam coaluerit. Controversiam hanc disquirunt complures, atque in utramque partem disceptant, incerta adhuc veritatis trutina. Id solum ratum, fixumque est. *Cap. de Relig. Dom. in* 6. memorari hujusmodi Ordinem, & Lateranensi Concilio, sub Innocentio Tertio, antiquę eremi; unde consentaneum veritati duco, adstrui tuto posse, religiosum hunc cætum è Divo Augustino re vera institutionem suam auspicatum, certasque vivendi leges accepisse, cum post susceptum Baptismum, monasticam vitam (fatetur Augustinus ipse) coluerit, ædificatis multis in Africa monasteriis, quibus verosimilius est, vivendi etiam leges tradidisse, ab jis paulo semotas, quas peculiares pro suis Ecclesiæ Ministris, intra urbis męnia detentis, præscripsit. His monasteriis paulo post à Vandalis vastatis, Monachi in Italiam, potissimum trajicientes, Divi Augustini Eremitę passim appellati, ea de causa quod ejusdem Sanctissimi Doctoris sectam imitandam sibi, aliisque in posterum alumnis, proposuissent. Hinc factum putant, nonnulli suspiciendi nominis Authores, ut Guhelmus Aquitaniæ Dux à D. Bernardo ad sanam, sanctamq; frugem traductus Augustiniani instituti habitum, vitamq; susceperit, & pro viribus, ut Ordinem amplificaret, institerit, legibus quibusdam adjectis, quibus Ordo non se-

çus

cus ac antiquiores alii, illustraretur in Gallia, ubi tunc temporis sanctissimè agebat; unde Gulielmitis nomen a Gallis inditum: sed haud multo post, Innocentii Tertii authoritate dispunctum, & Eremitas Augustinianos, quo exploratius instituti Author patesceret, appellandos decrevit, ut Consalvus Igliescas *Lib. 5. in Innoc. III.* tradit. Affinem nominis celebritatem Ordini, in Italia Joannes cognomento Bonus præstitit; ex quo multa monasteria ejusdem Sanctitate, ac prudentia longe, lateque apud Italos crebrescente munifice extructa: sed munificentissimum, & Italiæ totius Princeps, Mantuanum, ubi Sedem delegerat, ab eodemque, Monachis aliud item nomen defluxit. Post Innocentium vero Tertium clariora Ordinis fundamenta, legesque; & nihil amplius in eo desideratum, ubi Innocentius Quartus, & Alexander item Quartus ejusdem legibus probationem, dederint, unaq; in Ordinum Mendicantium retulerint cætus, ętati, qua jidem Pontifices vixere, valde congruentes.

XXIV. Eodem etiam referenda est Carmelitarum Familia, quam Alexandri Tertii Pontificis authoritate firmatam; Libro primo attigimus. Solitariæ vitæ instituto asseclas sparsim coluisse religiosum Ordinem, ut Augustini eremitas, putant aliqui, sed origine antiquiores, ut pote qui ab Helię Prophætæ disciplina, suam hauserint, propagato, ut tempora ferebant, severiori vitæ secessu, quousque Christi Domini Religione in Orbem invecta, nihil antiquius duxerint, quam antiquissimos Testamenti veteris ritus in Christianos prorsus mores commutare: quam opinionem nec probare ausim, nec refellere, ut pote, qui probatissimos Authores hinc inde disceptantes, neque certum quid definientes comprererim. Id satis exploratum, sacra Palestinæ loca, ubi olim fortasse insederant, juxta Jordanis fluenta, & per Carmeli Montis crepidines incoluisse, à Patriarchis Hierosolymitanis leges accipere jussos, non tamen à Joanne Pseudo-Patriarcha verius, qui quinto Seculo ineunte easdem infulas obtinuerat, ut quidam sentiunt: sed male: nam constat Joannem hunc Origenistam fuisse, & à Patribus ejusdem ęvi, scrip-

Carmelitarum Ordo.

scriptis acerrime, ob eandem causam, exagitatum, maximeque à D. Hieronimo, proindeque indignum, qui eximium Carmelitarum Ordinem, suo veluti lacte sustentarit. Priori ea vitæ forma in Palestina perdurarunt, ad duodecimum usque Seculum, quousque Saracenis irruentibus, & ferro, flammisque cuncta devastantibus, Aimericus, sive Almericus Antiochenus Patriarcha, Ordinis hujus alumnos, Barbarorum metu trepidos, palantesque benignè excipiens, instituti leges, & probavit ipse, &, ut ab Alexandro III. tum Summo Pontifice probarentur, obtinuit; quo tempore Ordinis fama in Italia primum increbuit austero sane vivendi usu, & præcipuo erga Deiparam cultu, quo sibi nominis venerationem, ac celebritatem, hereditario quodam jure, peperit: unde Fratres S. Mariæ de Monte Carmelo, passim nuncupati. Verum legibus aliis paulo post communitum institutum ab Alberto Hierosolymitano item Patriarcha, Innocentius III. iterum probavit, & Innocentii Successor Honorius III. Quartus deinde eadem appellatione Pontifex, paululum reformatum, enixe fovit, & privilegium amplissimum indulsit, in suscipienda à Seculari quocumque ejusdem Ordinis tessera, Scapulare vulgò vocant, quam Deipara Virgo, B. Simoni Anglo Carmelitæ, usurpandam diurnis aliquot precibus recitatis à Christifidelibus, tradidit, & re diu, è Christiani Populi pietate, divinisque insuper beneficiis affluentibus agnita, majora in dies incrementa Ordini, & Summorum Pontificum privilegia accessere.

Vitæ mixtæ Ordinum origo.

XXV. Prædicti Ordines, &, si qui alii fuerint è Cœnobitis ad Seculi usque duodecimi finem, in Ecclesia hactenus instituti, potissimum sibi finem statuere in Charitate Dei, quam divinis contemplationibus, ac solitudine parabant, ablegatis actuosæ vitæ exercitationibus. Verum, si aliquando Ecclesiæ graviores res secus ferebant, celebriores Ordinum viri, haud gravate hos labores subire interdum annuebant, ut de antiquioribus etiam Monachis paulo superius dixi: quia tamen generatim Regulares nequibant à suis legibus semoveri, quin pariter suę regularis disciplinæ habenas laxarent, diverticulis, à proposito vitæ

vitæ

vitæ cursu, sæpissime oblatis, è maximo Christiani Orbis commodo curandum fuit, Ordines alios, proximorum saluti ex instituto vacantes instituere, qui utrumque vitę contemplativę, & actuosæ genus complecterentur, Christi Domini, & Apostolorum morem propius sequentes, D. Basilio teste luculentissimo, qui idem prorsus argumentum, in constitutionibus monasticis *Cap. 2. & 5.* perstringens sic ait: *Quid Apostoli, nonne & ipsi quoque Dominum suum imitati, nonne assidui in laboribus erant? Animadverte Paulum, indivulsè laborantem, contenteque itinera facientem, navigantem, pericula adeuntem*. Demum sic paulo inferius concludit: *Quamobrem praclare is facere existimandus est, qui cum Domini, & Discipulorum, atque adeo Apostolorum ipsius, & animi virtutem, & corporis exercitationem sibi imitandam proposuerit, haud quaquam otio marcere corpus sinit, sed assidue in optimis officiis continet*. Subjiciam, & libentissime authoritatem alteram Bernardi, compluribus aliorum Patrum omissis, ut, sanctissimi hi viri in divinis contemplationibus defixi, quanti vitam mixtam in Regularibus fecerint, pateat. Bernardus igitur exponens illa *Cantic. 2.* verba: *Surge propera Amica mea. Vel ad scientiam Scripturarum*, inquit, *vel ad Ministeriorum notitiam, quorum alterum propter nos oblectandos, alterum propter ædificandos proximos reor dari, &c. Post hunc tantæ dignationis, ac miserationis respectum, sequitur vox blandè, & leniter, Divinam insinuans Voluntatem, quæ non est alind, quam ipse amor, qui otiosus esse non potest, de his, quæ Dei sunt, solicitans, & suadens. Hoc siquidem vera, & casta contemplatio habet, ut mentem, quam divino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo, & desiderio acquirendi Deo, qui eum similiter diligant, ut otium contemplationis pro studio prædicationis libentissime intermittat, &c.* Vitæ hujus exercendæ perfectioni accedebant populorum vota, & par, erga Regulares Ordines, veneratio. Officiis omnibus Provinciæ, & Christiani Orbis Regna prosequebantur eos: certatim urbes, regulare aliquod institutum expetebant, atque ubi obtinuissent, largioribus proventibus ditabant, ut pene incredibile videatur, quod Trithemius, aliique de uno Benedictino Ordine tra-

tradiderint, ejusdem Ordinis Abbates per Europam fere universam, exemplo Odilonis Cluniacensis permotos ad duo Monasteriorum millia reformasse, antiquiore disciplina restituta. Omitto Principum, Regumque munificos sumptus in extruendis Monasteriis, amplissimèque ditandis, quorum singula complures alere possent alumnos. Horum numerus in aliquibus tantus excipiebatur, ut in plures frequentes adhuc classes distingueretur, & per vices, suis horis aliæ aliis succedentes Divinas Laudes interdiu, noctuque canerent: qui ritus, laus perennis olim dicta, an hodieque alicubi supersit, ignoro. Unum id, ad argumentum usurpatum velim, Christianum Populum suis elargitionibus, opem in divinis rebus excolendis, maximi semper fecisse, & exorasse à Regularibus.

Et Mendicantium. XXVI. Effusam hanc Christiani Populi largitatem, parciori usu excipere debebant Regulares, quo gratiæ plus in ferenda ope inesset, divinasque res non ullo rerum temporalium commodo æstimandas, deferendasque, sed cœlesti propemodum alienæ salutis stimulo, eodemque nuncupato in sua professione, Seculi contemptu, afferrent: migrantes plane, puriori hoc juvandi proximi zelo, ut Dionysii Areopagitæ verbis utar *Cap. 3. de Cœlesti Hierarch. In perlucida specula, & omni labe pura, dignaque, quibus, principalis illius, ac divinæ lucis suavissimus radius influat, &c. Quæ ubi indultum, si sacratissimum jubar affatim hauserint, hoc ipsum postmodum absque invidia, sequentibus fundunt, atque in hoc ipso Divinis obtemperant Legibus*. Jis nimirum legibus, quibus Christus Dominus suavissime præmonuit suos, instruxit, ac sanctissimis exemplis prȩivit, oppida Judeæ ferè singula, indefesse lustrans; nullisque parcens laboribus, divinæ prædicationis munus obibat, citra ullum aliud remunerationis percipiendȩ studium, quam de aliis optime merendi, iniquo licet animo beneficia rependentibus. Maxime autem opportunȩ videbantur, recentiores hujusmodi institutiones in abdicandis annuis proventibus, ea ætate, in qua priorem Ordinum laxitatem, ex eo largitionum fonte, fluxisse, pro comperto habebant Sapientes: quȩ amplificando Ordini accedebant sæpe commoda in

in privatos quandoque ministrantium usus migrabant: unde & cupiditates, quæ blande irrepunt, intuentium adhuc animos corripiebant, eodem æstu percitos tandem, quo æstuantes torvis oculis antea aspexerant. His votis peropportunè in proxime insequenti Seculo XIII. obviam itum, plurium Ordinum subsidiis, & eodem institutionis temperamento, quo proximorum saluti consuleretur, & quæ ad vitæ sustentationem paranda de necessitate essent, Mendicantium more, vicatim, atque ostiatim quærerentur, sublato prorsus certorum redditTuum usu.

SS. Dominicus, & Franciscus Institutores.

XXVII. Sublimioris hujus institutionis auspicia, è duobus Sanctissimis Viris Dominico, & Francisco, quorum alter Hispanus ex insigni Gusmanorum Familia, Italus alter & Assisii honesto genere natus, moribus ambo conjunctissimi, licet nunquam alterum alter nosset, & ne vidisset quidem; in Apostolicam vitam conspirantes, Summum Pontificem eodem fermè tempore deprecaturi ambo, Romam adiere, in qua sane urbe D. Dominicus, ut Franciscum inspexit, cognomentum ipsum à patria mutuatum, ne quidquam sibi in terrenis rebus reliquum faceret, molemque omnem Evangelicæ paupertatis, quam aggrediebatur, in eandem institutionem vehementius exarsit, palamque in primis Comitiis Generalibus sui Ordinis Bononię anno 1220. habitis professus est, se ejusdem paupertatis amore succensum nolle annuos redditus in suo Ordine, & si quos forte domicilia jam instituta parassent, confestim dimittendos, decreto sanxit, paupertatemque obsignavit illam, qua naturæ quidem necessitati remedium adesset, quotidiana Christifidelium stipe, ratus Divinam Providentiam defuturam nunquam, quibus morum sanctitas, & inconcussa in Deum Fides animos attolleret: sed quamvis Provincię Tholosanę Patres ex adverso reclamassent, proventibus quibusdam jam sibi comparatis, eademque de causa adstrepentes, ad Romanum Pontificem provocare deliberassent, pervicit Sanctissimi Fundatoris constantia, egitque ut provocantes pęnis coercerentur, suæque paupertatis leges in Ordine nullatenus nutarent. Hinc ejusdem virtutis quanta fuerit in

R Divo

Divo Francisco substructio, liquet. Is in suis alumnis excipit nihil, quod non summam fere paupertatem referat: omnium pauperrimum Fratrem Minorem pronuntiaveris ubi aspexeris, qui ne dominium quidem in rebus usurpare valet, usu ipso, aut necessitate alioqui consumendis. Paupertas sola certissimum Ordinis patrimonium, & inexhausta hæreditas ab Institutore Sectatoribus testamento, nedum latis legibus legata, qua destituti fortasse, quod avertat Deus, tanquam in communi naufragio, rerum omnium suique patrimonii jacturam iidem facerent: & comprobatum cursu temporis, primævam hanc institutionem, ubi remissius aliquando à nonnullis observata fuerit, robustius paulo post integritati pristinæ restitutam, alacrius multiplici prole sui Institutoris paupertatem instaurante. In utroque Ordine par paupertati Religionis amplificandæ ardor. Martyrio æstuans Franciscus se, suosque non semel inter Barbaros immisit, ut sudores pro ea, aut sanguinem profunderet. At Dominicus nactus opportunitatem apud Tholosates, maximas res pro Catholica Fide gerendi, totum se in id operis devovit. Eruperant in ea Provincia paulo ante Albigenses, sive Albienses, nova Etherodoxorum secta, quæ ut ad se complures traheret, consepultas fere hæreses evocarat Manichæorum, Arianorum, proximeque coercitorum Vvaldensium, pestilentiori quorum aura venenum adhuc hauserant, ut proinde mirum non sit, si à Scriptoribus modo Ariani, modo Manichæi, interdum etiam, tanquam Vvaldenses suggillentur. Actum fuisset de Gallia, Hispania, atque aliis Europæ Regnis, si antequam adolevisset malum, exitium suum non maturasset, excitis adversum se Christianorum Principum, maximeque Romanorum Pontificum, armis: sed profuere plurimum Dominici adhortationes, præsentia, invictumque robur, quo se obarmavit, sanctas precationes, & pervigilem industriam, in eam expeditionem felicissime adducens.

Sapientia in utroque Ordine exculta.

XXVIII. Uterque item Ordo Sapientiam, vili quamvis tunica contectam, sine pompa, & fuco ullo, eoque etiam illustriorem, in singularem Ecclesiæ utilitatem, è

suis

suis Institutoribus enixe commendatam habuere, præstiteruntque semper uberrime, Fidei hostibus undique petitis. longius fortasse excurrerem, quam mihi in opere propositum habeo; sed ne omisisse videar, quod proxime argumentum attingit; in ipsa fere utriusque Ordinis institutione, quantum emolumenti Ecclesia universa ceperit, paucis me expediam. Averroes Cordubensis, summus sua ætate Philosophus, & Aristotelicę philosophiæ addictissimus jactare frequenter solebat, se ejusdem Philosophi telis, confodere Christianam Religionem posse, ac luculentissimis probationibus inanem, nulliusq; prorsus roboris in Sapientes, vulgare. Ingenti sane adclamatione, à Mahumetanis auditoribus exceptum tumidissimum dictum, atque ut ea erat etiam apud exteros, nominis celebritate, multorum animos exagitabat potissimum, quod Theologi, & Patres Platonem potius, quam Aristotelem sectati fuissent. Accedebat Philosophi hujus obscuritas, sive penitiores doctrinę recessus, quos intentatos hactenus nostrates reliquerant, sive quia verebantur, ne præter vulgatos de Mundi æternitate, de necessitate Divinæ Voluntati in agendo asserta, affinibusque rebus, errores, plures alii notescerent, perturbandis animis obnoxii; sive quia scitum illud Attici, apud Ciceronem, insederat, Aristotelis scripta cum sepiæ piscis atro liquore conferentis, ne deprehendi posset, qui de industria, ob eandem rationem effuderat: sed periculum rursum erat, ne ventosum, & mendax dictum silentio valesceret. Ea propter, eadem ferme ætate, qua isthæc jactabantur, utriusq; Ordinis doctissimi viri, Albertus Magnus ex Dominicano Ordine, & Alexander de Ales, è Franciscano, Aristotelis scripta omnia evolventes eò adegerunt, ut sublatis illis, paucisque aliis Philosophorum Fidei lumine destitutorum placitis, cætera omnia, in Philosophiæ Christianæ communionem asseruerint, & D. Thomam quantus quantus est, Alberti Magni olim auditorem, Scotum in philosophando acerrimum, cæterosque in Academiis disertissimos viros Peripateticos mordicus omnes effecerint.

XXIX. Demum utriusque Ordinis institutionem Cęlo

Cœlesti Visione à Pontifice Ordines approbantur.

teste probatam, prodigia indicarunt. Ubi namque Romam accessere prædicti Institutores confirmationem Ordinum, à Summo Pontifice Innocentio III. deprecaturi, operam fere omnem, & tempus perdiderant. Multa secum reputabat Pontifex, quæ illum ab Ordinum aliis institutionibus abalienarent, institutorum multitudo, multorum laxitas, Vvaldensium cicatrices, eadem de causa nondum obductæ, Purpuratorum, quibus ea cura demandata, aversio, & proxima in Concilio Lateranensi lata constitutio, quam superius memoravimus, de novis institutionibus inhibendis, severiorem in hujusmodi dispensatione custodiam inculcarat. His curis distentus Sapientissimi Pontificis animus, haud facile acquiescebat petentium precibus; sed cunctabundus, & anceps, operis molitionem laudabat, ita tamen, ut moras executioni nectendas duceret, & ipsa temporis protractione, quid salubrius expediret, maturè decerneretur. Tradunt horum Ordinum Chronistę Pontificem è vestigio sententiam mutasse, & quod in aliud tempus differendum saltem, statuerat, maturandum potius opus curasse, vulgatissima ea in somnis visione, oblatam Basilicæ Lateranensis speciem, ruinam minitantis, & jam jam casuræ, ni protinus accurrissent viri illi duo, quos non semel viderat de instituendis Ordinibus sollicitos, deprecantesque, suis humeris collabentem Basilicam suffulcientes: quo cœlesti monito recreatus Innocentius, in sequenti die, ad se vocatos Fundatores, bono animo esse; & strenue inceptum opus urgendum jussit; nihilque amplius cunctatus, vivæ vocis oraculo, potestatem jisdem Ordines suos instituendi fecit. At quod nequivit Innocentius constitutione peculiari eosdem Ordines approbare, è vivis paulo post sublatus, perfecit Successor Honorius III. prope incredibili Christiani Orbis plausu. Sunt qui scribunt, visione alia pręmonitum Innocentium, de Divi Francisci institutione, cum exorantem, exponentemque instituti summam, ab usque Ann. 1209. voto destitutum dimisisset, palmam vidisse inter sua genua vix enatam, quæ brevi suspiciendo incremento, in pulcherrimam creverit arborem; quæ ideo dixerim,

rim, ut hos Ordines cęlitus quodammodo comprobatos ad Ecclesiæ amplitudinem, non tantum ex diuturno rerum eventu, sed etiam ex ipsamet Ordinum institutione.

XXX. Hic me locus admonet, quoniam Mendicantium institutiones memoravimus, ut aliquanto fusius naturam, dotesque expendamus. Mendicantium Ordines stricti dicti, quibus ex sua Regula sejunctim, aut ex Constitutionibus pariter Pontificiis omnino vetitum, bona immobilia, certosque proventus tum in communi, tum etiam in particulari possidere; sed eleemosinis Christifidelium vivere sponte oblatis, vel quoquo modo ostiatim petitis. Hæc vivendi ratio Apostolicæ propior, terrenarum rerum contemptum suspicit, & sublimiores in Divinæ Providentię subsidium spiritus, animosque attollit. Nihil sibi in Terris expetendum arbitratur, qui sibi necessaria tantum ad vitæ sustentationem, exquirit, eaq; adhuc pudore quodam, & magna demissione quæsita. Institutionis hujus eventus, summe cæteroqui commendandus diu certiori Ordinum fiducię respondit: sed adaucto Ordinum, & Regularium in unoquoque Ordine, numero, qui Urbes Provinciasque Christiani Orbis premebat, haud eadem ubique eleemosinarum parandarum, spes, ac ratio suberat; neque proinde miracula divinitus patranda erant, si quotidianus victus deesset, cum modi fortasse alii, nec à religiosa paupertate, nec à prudentiæ legibus abhorrentes suppeterent: divina subsidia, quæ nulla humana ope nectuntur, frustra expectes, nisi cęlesti aliquo afflatu vim præsentias, rationesque illas abditiores, hominum captum effugientes. Quid igitur consilii capiendum esset, quo & Ordinum diversitas, & incredibilis prope Regularium multitudo, præcipuis suis muniis vacarent? Ad Apostolicam Sedem confugiendum erat, ne Ordines à suis institutis difformi vitæ ratione desciscerēt, si alicubi eleemosinis, alibi, aliunde, modisque sane regulæ repugnantibus viverent. Prior Sixtus Quartus, Dominicanorum Ordini permisit, ut priscam cessionis bonorum stabilium rationem, quam in primis Comitiis Generalibus Sanctissimus Institutor fecerat, ut Evangelicam prorsus paupertatem imitari

Quo moderamine Mendicantium Ordines processerint.

vi-

videretur suus Ordo, temperamento quodam delinivit, in ejusdem Ordinis firmitatem, nempe, ut liceret immobilia bona in cõmuni habere,&, ut religiosæ paupertati prospiceretur, ea rerum abdicatione, qua quisque Regularis nequiret, sibi aliquid tanquam proprium vindicare, quod ad paupertatis votum arctius conducit. Maluit Sapientissimus Pontifex, Ordinem totum communire aliquo communi commodo, ne nimia necessariarum rerum solicitudo subditos à suis muneribus avocaret, quam pressioris in particulari paupertatis leges, vel leviter infringere, & divino sane consilio decretum hoc manasse, rerum sequentium eventus probavit. Nam Concilium deinde Tridentinum, hoc tam salubre remedium, ad Ordines omnes Mendicantes extendit *Sess.25.Cap.3.* hujusmodi verbis: *Concedit Sancta Synodus omnibus Monasteriis, & Domibus, tam virorum, quam mulierum, & Mendicantium, exceptis Domibus Fratrum S. Francisci Capuccinorum, & eorum, qui Minorum de Observantia vocantur, etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex Privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat.*

XXXI. De hoc bonorum immobilium usu longe aliter philosophatur Suavius ad calcem Libelli sui *de Beneficiis* in hunc plane modum: *Clericorum*, inquit, *& Monachorum Ordines, nec non etiam militares, pristina, quam hactenus habuerant, existimatione exciderunt; quin Mendicantes sane ipsi eandem in posterum recuperandi spem non habent, cum eadem de causa, Sanctitatis opinio in vulgus desierit, nec tamen opum accessio sit facta. Religiosis tantum viris è Divi Francisci Ordine, quibus immotum adhuc primævæ paupertatis institutum, veluti Capuccinis, ejusmodi opinio insidet, ita tamen ut confestim amitterent, nec eleemosinas tam amplas acciperent, ubi vel paululum ab incepto deviarent. Hinc deduci potest, nullum alium superesse Regularium Ordinibus res suas amplificandi modum, nam si qui alii Ordines inveherentur, existimationem fere nullam obtinerent hujusce dominii facultatẽ admittentes.* Subdit in rem ipsam nõnulla alia de Societare nostra, *sed Seculo nostro*, sunt ejusdem verba, *haud defuit peculiaris vitæ modus antiquioribus Ordinibus usitatus, Jesuitarum videlicet. Hi nescio qua religiosæ simul paupertatis, & opum miscel-*

xvii Commenta.

scel-

scella, nominis celebritatem captant, potestate sibi adquirendi haud mediocri facta domos habent, quas Professorum nominant, nec in easdem bona immobilia, aut eorumdem proventus permittunt, secus vero in Collegiis, ubi liberalium artium Academiæ adolescentiores in studiis exercent. Asserunt, nec immerito, nullum in Orbe regimen, dummodo simplex, perfectione pollere; solam eam gubernationis politicæ formam, quę mixtione aliqua gaudeat, melius congruere. Id quidem incommodi in religioso Mendicantium statu parari, quod regi ab aliis nequeat, quam ab iis, qui eundem complexi sint: qui sane numerus parcior est, quam pro dignitate ambientium, aut studio accidere possit. Contra, Societatis alumni, dum in Collegiis erudiendos Regularium juniorum animos excipiunt, aptos eosdem reddunt post exantlatos studiorum labores, ut in Evangelica paupertate reliquum vitæ insumant: qua de re ejusmodi sane paupertas finem Ordinis præcipuum spectat: verum, ex accidenti secus fit, ut bonis immobilibus, uti possint: major tamen factis, quam dictis præstanda fides. Ferunt fundatas in præsentiarum Domos Professorum, viginti, Collegia vero ducenta nonaginta tria, cujus numeri ratione ducta, facile colligitur, quid Jesuitis præcipuum, quid contra accessorium, & fortuito obveniens. Id exploratum, facultates hucusque ab iisdem comparatas propemodum ingentes, & in ulteriora adhuc incrementa protendi.

XXXII. Audistis profectò fabellam ut ut ingeniose confictam! Potuisset Suavius sua isthæc verba Americanis venditare, ne Lege Cornelia falsitatis argueretur, pęnasq; ejusdem criminis irrisionibus saltem apud Europęos lueret, qui aliter rem deprehendunt, illico ut pedem domo efferunt. Exciderunt sane pristina sua dignitate Clericorum, & Regularium Ordines! legationem profecto insignem, post Concilii Tridentini celebrationem, de cujus actis rebusq; in eo gestis, perperam is idē Author meritus est, Suavio Christianus Orbis misit, declaravitque ex eo dominii Decreto, nullam amplius habiturum de Religiosis Familiis existimationem, nisi quæ priscam suam paupertatem indemnem servassent: hac interposita protestatione Suavius, ut Regularium rebus consuleret, admonendos esse duxit, quo animo ferre deberent existimationis in Christiano Orbe jacturam. Aut si nullo modo accidere poterat, *Redargutio*;

rat,

rat, fortasse suis oculis vidit, aut ab aliis Europæ Regnis excepit, Regulares ubique omnes contemptui habitos, desertas eorum Ecclesias, Ecclesiastica munia omissa, concionum, confessionum, reliquarum rerum usum pene nullum. Ipsi iidem Regulares sunt, qui & antea, sua existimatione, insignes: Idem in Templis cultus, eadem cultorum frequentia, demum idem cuique Ordini insidet decus: si divinando prorsus Suavius, insequuturam tantam calamitatem, post suum obitum prænuntiavit, & Dominicanus Ordo, qui ante Concilium Tridentinum Pontificia Constitutione, bonorum immobilium usum revocaverat, suam semper amplitudinem, & Christiani Orbis venerationem est assequutus: neque verendum unquam fuit, ne sapientiores in Orbe rerum æstimatores, Ordines parvipendendos unquam ducerent, ex eo Concilii Decreto; cum ex ea paupertatis moderatioris lege Ordinum incrementa prodierint, ut nulla pene urbs sit, quæ non cætum Regularium aliquem admiserit, redditibusque annuis ditaverit, aut Christifidelium privatorum legatis, aut communi ejusdem urbis ærario. Exploratiora hæc, quam, ut aliorum testimoniis nitamur, aut prolixius immoremur: duo tantum cursim attingenda, & alterum quidem, quo ad Ordinum amplificationem post Tridentinum, tantam re vera extitisse, ut si comparatio instituatur ejus, quæ facta postmodum fuerit, cum ea quæ antea olim erat, longe opulentiores Ordines deprehenderes à Concilii celebratione, & procul dubio Regularium numero superiores, quam priscis Seculis ante ipsum Concilium. Tunc enim multo pauciores Ordines, pauciora adhuc Monasteria, in quibus haud mirandum, si nonnulla, ut Benedictini Ordinis, opulentissima fuisent: confluebant illuc omnia, ipsę etiam Regum opes: nunc vero Christifidelium elargitiones latius se effundunt, nec Italiam tantum, & Galliam Regularibus fovent; sed vel ad ultimum Orientem, & Occidentem Regulares complectuntur, ditantque fere innumerabiles. Alterum est recentiores post Concilium Ordines excitatos, Clericorum Minorum, Ministrantium Infirmis, & Scholarum Piarum iisdem gradibus assurgere, quos & anti-

tiquiores scimus, nec propterea existimationis minus obtinere quod bona immobilia possideant: satis est, si juxta suas leges vixerint: quod vero Fratribus strictioris observantiæ S. Francisci largiores eleemosinæ prostent, eadem ratio est, quæ cæteris Ordinibus subvenit, scilicet Christifidelium pietas, quæ justiori lance, diætim ministrat his, qui diætim indigent, quam aliis, quos sciunt, haud ea paupertate pressos: unde vel etiam ex hoc capite expediebat, bona immobilia cęteris Ordinibus concedenda, ne Christifidelibus importuniores quotidianis eleemosinis complures Regulares in eadem urbe essent, qui serius ocyus defatigarentur.

XXXIII. Sed pauca adhuc de Societate, in quam Stylum intorquet, attigenda: dicat sane quid velit, finem Societatis esse, ut quisque in ea alumnus in salutem suam primum, deinde etiam, & proximorum incumbat, eo industriæ, viresque omnes tendunt, eo singulorum conatus, consilia, & disciplinarum usus. Collegia multo plura, quam Professorum Domus, & hic quidem eleemosinis vita trahitur, in Collegiis vero, ubi Juniores erudiuntur, bonorum immobilium usu. Quid interea Suavius? contendere fortasse voluit, Societatis finem non attingi in Collegiis, in proximorum salute curanda? aut quod Professi in iis eadem de causa statuendi haud essent? nullum sane ex his inferri licet, sed ad summum eam esse Societatis rationem, ut si multo plures Regulares in Collegiis manerent, quam proximorum salus postularet, neque ibidem Juniores erudirentur, in Domos Professas remittendos, ut eleemosinis vivant. Utinam & tot Domos Professorum haberemus, quot Collegia, Christianum Orbem opulentiorem, opulentiores urbes optaremus, quæ congruis eleemosinis, absque ulla bonorum immobilium possessione alerent Patres; sed serviendum tempori est, & juxta Christianæ prudentię leges expendendæ, urbium, quæ nos recipiunt, foventque vires, subsidiaque alia Ordinibus aliis ministrata. Parcior proinde Domorum Professarum numerus, quam Collegiorum. In Collegiis condendis, ubi semel proventus statuti, nihil fere amplius de congrua sustenta-

Et de Societate Jesu.

tione curandum. At in Domibus Professorum, quotidiana rerum fere omnium solicitudo, & quod fortasse ad paupertatis studium præclarius, paupertas hæc in dubium saltem ab externis revocatur.

Ordines de Redemptione Captivorum. XXXIV. Ut vero, ad Ordinum intra XIII. Seculum Institutorum seriem redeam, præcesserat paucis ante annis, quam Mendicantium laudati Ordines instituerentur, Sanctissimæ Trinitatis Ordo, eodem Innocentio III. Pontifice, à Joanne de Matha Parisiensi Theologo, & à Felice ã Regia Valesiorum Stirpe, eximia Sanctitate viris, qui, ut erant animis conjunctissimi in Divinam Gloriam amplificandam, è rerum, ac temporum opportunitate, molitionem operis aggressi sunt, quo nihil forte Divinæ Majestati gratius, se tunc facturos confidebant: suppetias scilicet ferre, & adjuvare quoquo modo potuissent, Christianos omnes Maurorum catenis mancipatos, quorum frequens multitudo passim in Barbaros recidebat, per Hispaniam præsertim, magna ex parte barbarico jugo pressam, assiduis excursionibus, aliisque Piratarum infestationibus, in finitimas Christianorum Provincias. Eo consilio, adjumentisque secum collatis, quibus opus sanctissimum promoveri posset, ex eremo, quo Felix se abdiderat, cum Doctore Parisiensi, Romanam Curiam petere contendit, ope divina fretus, qua & Innocentius, adventus causa cognita, & dum sacrum operaretur in die S. Agnetis, oblata sibi de redimendis captivis revelatione per Angelum candidis vestibus, bicolori Cruce signatis, indutum, confestim Religionem probavit, ea tamen conditione, ut iisdem insignibus, & juxta triplicem colorem, Sanctissimæ Trinitatis pariter titulo ornaretur. E' Monasticis Ordo fortasse hic prior in Ecclesia visus legibus institui in actuosam vitam incumbentibus, paululum immutato eremiticæ vitæ secessu. In Diœcesi Meldensi in eo loco, qui Cervus frigidus dicitur primum Ordinis domicilium Felix construxit, quemadmodum & S. Joannes de Matha, Monasterium S. Thomæ de Formis, Romæ in Monte Cælio, ab eodem Innocentio obtinuit, in quo sanctissime obiit, post propagatum Ordinem, & Redemptionis opus, per Marochium,

chium, aliasque Infidelium Regiones felicissimis auspiciis piarum à Christifidelibus elargitionum. In idem opus paulo post Ordo prodiit alter, explorata alterius in Ecclesia utilitate, & adnitentibus Jacobo Primo Aragonum Rege, S. Petro Nolasco, & S. Raymundo de Pegnafort, quibus seorsim eadem nocte, Beatissima Virgo se spectandam exhibuit, Ordinemque hunc peculiarem inchoandum injunxit, quod incredibili animorum ardore citissime præstitum, nomenque Ordini inditum S. Mariæ de Mercede, impetrata prius à Gregorio IX. approbatione sub annum 1229. Inter militares primum Ordo connumeratus: sed gliscente in alumnis pietate migravit in Cœnobiticum, potestate à Clemente V. Pontifice facta.

XXXV. Eadem sane tempestate Fridericus II. in Ecclesiam Romanam, cujus beneficio, & Imperium, & hæreditaria adhuc Regna obtinebat, ingratissimo animo furens, Regulares quoque execrabili odio insectabatur, ut Apostolicæ Sedi impensius addictos, quos irrisionibus, opprobriis, ejectione, vectigalibus onerabat, præcidebatque spem omnem pacatioris in eadem Ecclesia status: nam & Italiam universam factiosis partibus, atque intestino bello dilacerarat, ut pene in singulis privatis domibus jura sanguinis fædarentur, dissentientibus ob eandem rem, & in arma ruentibus conjunctissimis germanis fratribus Guelforum, ac Ghibellinorum exitiali inter se discrimine, ut Guelfi dicerentur, qui Pontificias, Ghibellini, qui Imperatoris partes tuerentur. Nihilo mitiores Conradus, & Manfridus filii paternam impietatem æmulati, post Friderici obitum, exitium Religioni moliebantur, sed haud multo post extincto Conrado, Manfridus ex pellice procreatus, non modo Neapolitanum Regnum per vim Pontifici eripuerat, verum, ut ditionem scelere partam, eodem munimine stabiliendam sibi existimaret, Ecclesiasticos omnes, nedum Regulares, Saracenorum rabie eliminandos curarat. In tanta rerum perturbatione, instituti in Italia novi Regularium Ordines, qui Italiæ rebus componendis opportuniores essent: quo enim tempore grassabatur prædicti Friderici procacitas, Nobiles aliquot Flo-

Servitarum, Silvestrinorum, & Diui Cœlestini.

rentini è temporario mercimonio, ad cęleste versi in Montem Senarium Florentiam urbem prospectantem, nemorosum olim, & aspectu ipso horridum secedentes, novam institutionem sub Deiparę Virginis insigne meditati sunt, egregieque pręstiterunt, Gregorio IX. tum Romano Pontifice confirmante, dictique proinde sunt Beatæ Marię Servi, sive vulgo Servitæ, divinis contemplationibus, & austeriori vitæ vacantes, proxime juvandi studium in urbes evocabat, dissidentesque ad invicem populos componebant, & in pacis sequestres se immittebant, Romani Pontificis authoritatem adversus Friderici conatus, strenuè asserentes, è quorum disciplina prodiit Philippus Benitius vir, si quis alius, Schismaticorum debellator, & Divini Verbi Evangelicus prorsus Pręco; dignus sane, qui communi Purpuratorum suffragio, in Summum Pontificem designatus, honorem summum summa humilitate respueret, summisque laudibus Christianus Orbis digniorem celebrarit. Proxime Servitis adjungendus Silvestrinorum Ordo Senis excitatus à B. Silvestro, ex illustri Gosolinorum Familia, & ab Innocentio IV. approbatus, ob miram viri, & instituti temporum calamitatibus congruentioris, celebritatem. Quo etiam Pontifice inclaruit magis Eremitarum Divi Augustini institutum; nam idem Pontifex in ordinatiorem vivendi formam, certasque leges cænobiticas, alumnos gregatim olim, vel solitarie agentes, adduxit. Demum tanta inoleverat eo Seculo morum acerbitas, è causis nuper expositis, ut animorum dissensiones Sacrum Purpuratorum Senatum in novo Pontifice deligendo post Nicolai IV. mortem corriperent, exagitarentque suis contentionibus Ecclesiam universam. Biennio in acerrimam hanc dilationem durarant, nec dirimendæ controversiæ modus suberat, inani adhuc Caroli II. Regis Neapolitani studio, qui Cardinales exorandos, permulcendosque præsens curarat, cum Petrum Isernensem eremitam, à Morone, Monte Sulmonensi, ad cujus radices in spelunca cum paucis delitescebat, dictum, novæque institutioni operam dantem, insperato Pontificem deligunt, impendensque schismatis periculum quam longis-

giſſime avertunt. Quis non hic miretur abſtruſiora Divinæ Providentiæ in ſuam Eccleſiam ſubſidia, ſimulque Regularium Ordinum inſigne monumentum, ut alterius pericula, præſenti horum ope arceantur, & vel nondum in lucem editi Ordinis Fundator, plurimum adjumenti inferat. Petri Sedem Petrus, Celeſtinus V. exinde appellatus, Chriſtiani Orbis neceſſitate compulſus excipit, feliciſſimis auſpiciis Ordinem ſuum de univerſa Eccleſia egregiè meritum firmat, tempeſtatem ſedat, & publica tranquillitate reſtituta, privatam repetit, ſummo honori, onerique ſponte cedens.

XXXVI. Acceſſere incrementa alia XIV. & XV. Seculo, è novis Ordinibus ad Fidei hoſtes atterrendos, uberioremque Chriſtifidelium pietatem augendam. Olivetanus Ordo B. Bernardo Ptolomęo nobili Senenſi inſtitutionem ſuam debet Anno 1319. qui in eodem Senenſi agro procul tamen ab urbis, & civium ſuorum ſtrepitu, nobile in primis condidit Monaſterium, & ea qua præſtabat morum humanitate, omiſit nihil, quod ad animorum cultum conferret, & infirmiores ſimul ad cœleſtes meditationes pelliceret honeſtis regularis vitæ commodis; indeque effluxit ut ejuſdem Sanctitate permota Franciſca Matrona Romana, ejuſdem Ordinis alumnis ſe in rebus divinis gubernandam traderet, auſteritatibus alioqui, & corporis neglectui affixa, quorum conſiliis acquieſcens, in alma urbe, puellarum ſeceſſum paravit ad Capitolii declivitatem, in pulcherrimum nobiliorum Matronarum, & hucuſque incorruptum ſpecimen. Ex eadem Senarum urbe, exordium ſuum, & inſtitutionem Jeſuatorum Familia accepit, honeſtioribus aliquot civibus in tam pium opus coeuntibus B. Joanne Columbino Duce, probaturque Ordo, ab Urbano V. Ann. 1363. in contemplativam vitam intentus; utque in Italia, tanquam in patrio ſolo diſciplinam regularem coluit; ita & ibidem ſubſtitit. Multo latiores, illuſtrioreſque D. Hieronimi Ordinis paulo poſt ſuperiorem, in Italia adhuc inclareſcentis fines. Nam initium paulo obſcurum, nonniſi ab eximio Eccleſiæ Doctore Hieronimo repetendum, inexplorata fere in Hiſto-

Olivetanorum, Jeſuatorum, & D. Hieronimi.

riis.

riis Ecclesiasticis de hujusmodi institutione, veritatis Fide: exploratum id tantum, antiquioribus Seculis multos per Italiam solitariam vitam, & cenobiticam adhuc egisse sub D. Hieronimi auspiciis, & Hieronimianos passim appellatos, è quibus Thomas quidam Sanctitate, & Prophætico Spiritu clarissimus inter familiares cum suis sermones affirmavit, *Fore aliquando, ut Spiritus Sanctus super Hispaniam descenderet*, quod avide excipientes alumni post ejusdem obitum, in ea Regna socios plures immisere fausta expeditione, qua, Guadalagiaram attingentes, celebre in nova Castella oppidum, & locum in vicinia nacti, squalentem, & secessui commodum, Lupiana, dictum, viros aliquos conspicuos, in quibus Alphonsum Pecciam Episcopum Mencensem, & Petrum Ferdinandum eodem cognomento, intimum Regis Consiliarium, ad eandem institutionem traxerunt eo successu, ut Regulæ ordinatioris confirmationem à Gregorio XI. Ann. 1375. impetrarint, & amplificatio novo Ordini accesserit per Hispaniam universam, propemodum singularis, vitæ contemplativæ muniis, & eximio Ecclesiasticarum rerum cultu. At ejusdem Ordinis Regulares in Italia eam postmodum reformationem excepere, quam Petrus de Olmedo strenuus Ordinis Assertor, proxime insequenti Seculo, & Martino V. Pontifice probante obtulit. In hanc ętatem incidere, peculiares Franciscani Ordinis reformationes, quæ demum in unam eandemque coaluere, dictam, Minorum de observantia.

FranciſciOrdinis reformationes, & nova Franciſci à Paula institutio.

XXXVII. Prima ejusmodi reformationum fundamenta, in Provincia S. Francisci, & in Monte Claro, in opus insudarunt, arctioris disciplinæ studiosi Angelus de Cingulo, & Angelus alter, unde & Clareni primum sectatores dicti; provexerunt felicius, Gentilis Spoletanus, & Paulus à Fulgineo, qui suo exemplo incitarunt alios, ut in Hispania, Lusitania, & Gallia idem perageretur, quousq; à D. Bernardino Senensi, & à D. Joanne à Capistrano apud Eugenium IV. egregie curantibus effectum, ut in Ordinem unum de observantia evaderent legum communione, cæterisque vitæ austeritatibus simul junctis, cæteræ

alıæ

aliæ cum intra, tum extra Italiam illatæ reformationes, quæ nisi hujus disciplinę vinculo connexæ fuissent, periculosę fanæ perturbationes primęvum Seraphici Fūdatoris institutum labefactassent. Eodem decimo quinto Seculo, Orbi illuxit Ordo eximiis suis legibus undequaque spectandus, è Paula Calabriæ Oppido, à quo Franciscus alter, alterius Sanctitati comparandus, ortum, & cognomentum habuit: morum innocentiam, vel ab infantilibus, ut ita dicam, annis & miram, supra immaturæ ætatis morem, corporis afflictationem præsetulit, ut ad altissima factum, diceret, qui protinus conspexisset. Solitariam vitam junior agens, totus erat in Seculi blandimentis contemnendis, & in divinis rebus contemplandis, in quo studio Ordinem molitus Sectatores confestim, & turmatim habuit, quemadmodum, & Principes adhuc signorum fama, longius dissitos veneratores: & præsentia venerationem auxit, quam fama paraverat: dicto citius admiranda patravit, iisque clariori in dies, viri & instituti Sanctitate devinctus Sixtus IV. Pontifex sub Ann. 1473. Ordinis Constitutiones palam collaudavit, & in regularem praxim firmandas, authoritate sanxit. Ludovicus XI. Gallorum Rex, qui illum evocarat, ut coram experiretur, quę vulgabantur, ac valetudinem desperatam jam, ejusdem ope recuperaret, advolutus in genua adventantem excepit, & in viro admiratus oris majestatem, ut testatur Philippus Cominæus, qui cum aliis Regni Proceribus aderat, sapientiam, animique candorem, quo se Minimum, suumque Ordinem Minimorum nullo verborum fuco distitabat, Turonis splendidissimum Monasterium extruendum mandavit, & passim in civitatibus aliis Carolus VIII. filius, Regnique successor; qua de re brevi Ordo in Gallia tanta celebritate percrebuit, ut non alio nomine Sectatores, quam probi viri, vocarentur.

XXXVIII. Decimum sextum interea Seculum adventarat, quo nullum forte aliud, Regularium Ordinum recens invectorum copia illustrius, sed neque adhuc fructuosius ad Ecclesię universæ dignitatem. Novus ille Orbis Americanus in partes occiduas ultra Gaditanum fretum, *Qui nam Ordines in XVI. Seculo, & quibus de causis.*

tum,

tam, à Colũbo Januensi primum detectus paucis ante annis frequentissimorum populorum, teterrimis moribus oppletus, cætus omnes Regularium per reliquas Christiani Orbis partes, inductos, ad Evangelii prædicationem expostulasset, quibus tamen expoliare florentissimos Religione populos, incongruum omnino fuisset. Par & in ultimo Oriente amplissimæ messis cumulus. Eodem enim tempore, quo Castellæ Rex Ferdinandus, cognomento Catholicus, immensam illam ditionem, Christo Domino, & sibi parabat, Lusitani Duce Vasco Gama, in re nautica, & armorum usu peritissimo, trangressi tandem Bonæ Spei Promontorium, post ingentes difficultates, appulerant ditissimis Orientis Regionibus, & Goano in primis totius Asiæ emporio. Christianę Fidei reliquiæ, & magnę molis veluti rudera testabantur, excultam ibidem olim Religionem, Apostoli Thomę sudoribus, & sanguine demum ipso: deesse interim senserant Lusitani Apostolicos viros, qui incultissimam vineam rursus excolerent Fidei rudimentis, & Christianis moribus, opus sane maxime arduum præstandum, cum plurimi ex Europa adnavigassent eò Regulares ex suis legibus in proximorum salutem incumbentes; & hęc quidem prior novorum Ordinum instituendorum in Ecclesia utilitas: huic proxima, haud siccis occulis spectandus lugubris Europæ tunc status, & Alemanniæ præsertim, in qua innumera Religionis titulo, dissidia, & quod fędissimum dictu, initium habuere ex immoderata cujusdam Regularis ambitione. Martinus Lutherus is vocabatur; ingenii laude apud suos, & scholasticis disceptationibus præcellebat; ingenio tamen ferox, & canina æmulationis rabie obvios quosque mordebat, ubi se, aut sui ordinis alumnos postponendos vidisset: sed hominem efferatius incendit, cum pervulgatam Indulgentiarum Provinciam, rescivit, non suis, ut aliàs de more, sed Regularibus aliis demandatam. In rabiem actus æmulos publicè insectatus est, scommata etiam in Curiam Romanam subinde jactans; versus deinde in eam spiritualium largitionum venam, vim, atque efficacitatem ullam inesse negavit, excipientes verò, de nimia credulitate perstrinxit, quid

quid plura? Pudoris, conſcientięque repagulis in hunc modum effractis, in eam proterviam prorupit, ut Eccleſię Reformatorem ageret, & Catholicę Fidei dogmata perverteret ea interpretatione, quam ingenii libertas odio, & deſperatione ſimul adacta aucupabatur, Eccleſiaſticis traditionibus è medio ſublatis, & Patrum in idem conſpirantium authoritatibus detortis. Sed proh monſtrum teterrimum! Temeritas tanta, quæ horrorem audientibus, & ſęveriorum animadverſionum præſidium ad tutandam Fidem concitare debebat, pronis auribus primum ab hominum fæce, & à ſuſurronibus fuit excepta, ſed abſimili prorſus vitio: nam inſitum infimę ſortis hominibus Ducem ſequi, de quo ſemel exiſtimationis opinio inducta, obtrectatoribus contra ſententiam mutare, quoties carpendi materiem hauſerint: Solutiorum Regularium complures libertatis occaſionem nacti, eo opinandi prætextu, Lutherum veluti ſecretioris doctrinæ exploratorem diligentiſſimum ſuſpexere, ut conſcientiæ ſtimulos retunderent, & impune pariter in morum intemperantiam abirent. Plurimum ad Religionis damna valuit, Saxoniæ Ducis primum, cum procaciſſimo Hereſiarca conniventia, dein præſidium, quo, ſubditum, à Fidei Quæſitoribus indemnem ſervare pro ſua dignitate ducebat, divini juris æquè, ac tutioris potentiæ negligens: quo conflictus ſigno adverſus Catholicam Fidem dato, non tantum Saxonia, intra cujus ſinum immane monſtrum adoleverat, ſed & finitimæ Provinciæ eadem contagione correptæ, peſſimam delinquendi anſam, remotioribus adhuc Europę Regnis dederunt, inſaniente ubique perditorum hominum multitudine, ad novandarum rerum libidinem, tanquam ad optatiſſimam libertatis aſſerendæ occaſionem. Sed quemadmodum in ſeditionibus fit, ut pręeſſe quiſque malit, quam aliis ſubeſſe, quo ingenio, & temeritate promptior, ita paulo poſt, exorta multarum hæreſum monſtra, à ſe invicem diſſidentia, & vulgatiſſima quidem Zuinglii in Helvetia, Calvini in Gallia, Confeſſioniſtarum Auguſtæ Vindelicorum, in Polonia Trinitariorum; nec defuere intra ipſam Germaniam, qui Semilutheranos, & Antilu-

theranos Etherodoxos tamen interim agerent, iniquissimo icto fœdere, ut Romanam Ecclesiam funditus delerent. Acerbissimas has calamitates comitabatur collapsa Ecclesiasticorum disciplina plurimis in locis, ad quam instaurandam Julius II. Pontifex Concilium Lateranense indixit, quod eodem zelo, quo Prædecessor inchoarat, absolvit Leo X. multis latis Sanctionibus, quę Ecclesiæ statum reformarent, prępertim tamen Regularium, & Clericorum, eo tempore, cum Lutherus excidium moliebatur, proxime erupturum.

S. Pauli Decollati, & Theatinorum Ordines.

XXXIX. Opportuniora his malis, ac necessitatibus omnibus remedia cęlitus delapsa adfuere, eo tamen gradu; quo consuevit Divina rerum Providentia opem ferre lentè festinantem, & feliciores eventus ex adversis rebus tandem prolicere. Damna, malaque omnia, hominum libera pravitate patranda permittit, ut per abditas consiliorum suorum causas serius ocyus, insequutorum bonorum maximo fœnore reficiat, in eundem prorsus modum, quo primævam communis omnium parentis Adę labem, in posteros traductam, Divinæ Sapientiæ mortali carne contectæ sanguine expiavit, majori sane Cœlestium donorum cumulo, quam damna fuerant ex ea culpa olim illata. Attingendi cursim Ordines, quos Divina Providentia in subsidia, delectos voluit, ut opem nuper conversis ferrent, Hæreticorum subnascentium temeritatem retunderent, Ecclesiasticam disciplinam ubique communirent. Primi Clericorum Regularium Ordines prædicto Seculo, & eodem ferme anno in lucem editi, fuere duo, quorum alter dictus S. Pauli Decollati è peculiari insitoque, tribus Ordinis Institutoribus Viris religiosissimis, cultu erga Apostolum Paulum, quem patronum sibi, Ordiniq; nuncuparunt Mediolani in Ecclesia S. Barnabæ, unde, & vulgo, Barnabini primum appellati, sub Ann. 1524. Summo Pontifice Clemente VII. Hunc Ordinem eximie fovit Sanctus Carolus Borromæus, & in munia Apostoli tutelaris, ex instituto alumnos pergere instituit. Eodem Clemente Pontifice Ordo alter Theatinorum prodiit è Curiæ Romanæ nobilissimis Candidatis, qui contemptis Mundi il-

le-

lecebris, & Ecclesiasticarum Dignitatum præmiis, in Aula sibi eremum pararunt divinis meditationibus, nec non & actuosæ vitæ palestra, in proximi juvandi studium. Præcipui in promovendo Ordine Fundatores excoluntur S. Cajetanus Thieneus Vicentinus, & Petrus Carafa Neapolitanus, ad Theatinam Ecclesiam primum sublectus, effluxitque Sectatorum nomen, & in Cardinalium dein numerum cooptatus, vergente demum in senium ætate prosiliit adhuc ad summum Ecclesiæ regimen Pauli IV. appellatione.

XL. Proximè insequuti sunt Patres Societatis Jesu Divo Ignatio Loyola antesignano, qui è seculari militia ad religiosam traductus, Ordinem suum, maximis quibus potuit instrumentis, in proximorum salutem instruxit, & illustriori adhuc nomine insignivit. Honorificam plane à Paulo Tertio approbationem impetravit, Anno reparati Orbis 1540. Porro quamvis Clerici Regulares Somaschæ dicti exordium duxerint ab insigni viro Hieronimo Æmiliano, Venetiis præclaro genere nato, Pontifice Clemente Septimo, in religiosam familiam tamen eosdem cooptavit Pius Quintus 1568. jisdem fere muniis addictos, quibus consonum est, actuosæ simul, & contemplativæ vitæ Sectatores addici. Paulo serius Clericorum Regularium Ordo, qui & Minorum dicitur illuxit, ab Augustino Adorno Januensi, Sociis aliis è Neapolitana Nobilitate, in ejusdem vitæ communionem evocatis: quam Sixtus Quintus Anno 1588. probandam censuit. Idem quoque Romanus Pontifex ex jisdem Clericis Regularibus Ordinem alium, admisit, quem in ægrotantium subsidium adscitum voluit; unde & nomen Ministrantium infirmis ortum habuit, sed re vera inter Regularium Ordines adscripti Patres à Gregorio XIV. Anno 1591. legibus, & exemplo præeunte Camillo de Lellis mira animi demissione, & invicta patientia viro, è Diœcesi Theatina apud Aprutinos. Novissimus tamen omniũ in hac Clericorum Regularium Classe Ordo extitit, Clericorum, quos vocant Scholarum Piarum è munere pueros erudiendi in se suscepto, ut eorumdem animos pietate potissimum in tenera ætate imbue-

Societatis Jesu, Somaschæ, Minores, Infirmis ministrantes, & Scholarum Piarum.

buerent. Exortus is Ordo est, Clemente VIII. Summo Pontifice, per Josephum Calasantium, aliàs de Matre Dei, sed qui piorum virorum cætus eo tempore per plures annos religiose admodum vixerat, in religiosum cætum cæteris aliis adnectendum Gregorius XV. Anno 1621. Constitutione, incipiente: *In supremo* censuit.

Divi Francisci novæ soboles.

XLI. Verum quia intra decimum sextum Seculum non modo Clericorum Regularium Ordines in uberiorem Ecclesiæ utilitatem, prout ea tempora exquirebant, suboriri congruum erat: sed & alios, qui antiquiorum cætuum reformationem instaurarent, Novatoresque vel vitæ exemplo si alia deessent, ad saniora revocarent, è D. Francisci Familia, plures Ordines facto veluti agmine exiliere, ut quo demùm Evangelica paupertas accedere posset, Christianus Orbis disceret, unaque miraretur miraculum Divinæ Providentiæ Orbi familiarissimum, posse complura millia hominum ex una D. Francisci sobole, eleemosinis victum, vel ad satietatem, & externorum etiam pauperum sustentationem, sibi diætim comparare: eo magis, quod cum in oppidis passim, & in iisdem exiguis pagis multos videas fame pene enectos: nec tamen ad arcendam eam egestatem aptos, quamvis diu, noctuque in id operis totis viribus incumbant, proventusque etiam domesticos non pauci habeant, nullam tamen reperire usquam est Divi Francisci, ædem, quę licet multos excipiat alumnos, non ęquè omnes opipare alat, omni prorsus ablegata aliorum proventuum, ope. Primi, qui se in hujusmodi vitam asserere, feliciter satis contenderunt eo Seculo, Capuccini sunt nuncupati ex operimento capitis oblongo, & singularem in modum, acuminato: in S. Francisci morem, quem perhibent è vetustioribus institutoris imaginibus adsimili operimento usum. Plures Franciscani, è Minorum Ordine unanimi consensione, ut simillimam quoque Parentis imaginem, imitationemque assequerentur, viliori non tantum habitu, sed arctiori etiam in rebus reliquis institut o, cęterorum contubernio se submovere, facultate tandem iisdem attributa à Romano tunc Pontifice Clemente Septimo sub Annum

1528.

1528. F. Matthæo Bascio, præ cæteris, moribus, vita, efficacissimis adhortationibus, in heroicum opus contendente. Ex eodem Minorum Ordine, in quem religiosæ aliæ D. Francisci familiæ reformationis studiosę migrarant, D. Petri de Alcantara, & Recollectorum, sive Reformatorum Ordines educti, in arctissimum vivendi modum comparati. Petrus enim, ut Ecclesia testatur, *primævum S. Francisci institutum, exactissimè reparare cupiens, ope divina fretus, & Apostolica munitus auctoritate, angustissimum, & pauperrimum cęnobium juxta Pedrosum fundavit, quod vitæ genus asperrimum ibi feliciter cęptum per diversas Hispaniæ Provincias, usque ad Indias mirificè propagatum fuit*. Qui vero in Italia Reformatorum appellatione circumferuntur, è Gallia primum, Tertiariis ibidem superstites feliciore proventu prodierunt. De jisdem Barbosa *Tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 41. sic ait: *Ex jis Tertiariis sunt alii Reformati, qui cœperunt in Gallia Anno Domini 1595. nam extincta fere memoria Regularis Observantiæ Tertii Ordinis, ob hæreticorum pravitatem, & bella civilia illic grassantia. P. Vincentius Mussart Parisiensis Prædicator Regius, & vir admodum spectatæ virtutis, una cum Patre Francisco Mussart germano suo, adscitis etiam nonnullis aliis piis, ac religiosis viris prædicto anno reformationi hujusmodi cum auctoritate Clementis VIII. ita sollicite incubuere, ut usque in hodiernam diem, quam plura cęnobia antiqua restauraverint, novaque erexerint*.

Infirmis Ministrantes, Carmelitæ, & Auguſtiniani diſcalceati.

XLII. Ut è Clericis Regularibus institutum Ordinem dixi spiritualem infirmorum curam gerentem, qua inter divina colloquia, conclamata valetudine, ægri, divinasq; precationes, ex hac vita migrarent assidentium ex instituto, invicta patientia; ita par fuerat, Ordinem alterum edi, corporibus curandis sedulo intentum, nulla alia captandi quæstus cupiditate, quam Christianæ Charitatis, erga indigentes, miserosque, qui ęgritudine aliqua pressi, in Nosocomiis, opem reliquam posuissent: & quamquam ab Ecclesię exordio, nunquam desiderata fuerint in id operis adjumenta, non modo publicis, & ubique fere excitatis hujusmodi domiciliis, itemque præcipuo Ordine Sancti Spiritus in Saxia, quem Innocentius III. Romę insti-

stituerat, manetque adhuc ibidem amplissimum suis proventibus monumentum: ad acriora tamen pietatis, quæ, ut Augustinus ait, semper redditur, & semper debetur, excitamenta, utque latius per Christianum Orbem se explicarent fraternæ charitatis viscera, peculiaris hic Ordo innotuit infirmis Ministrantium è Laicorum plerumque numero coalitus, eoque in ægrorum usus aptior, Sacerdotibus tantum paucis in rerum spiritualium commodum adscitis sub Ann. 1538. à S. Joanne de Deo, Lusitano viro Fundatore; quia verò in prima institutione Ordo probatus à Paulo III. fuerat, citra peculiare hoc inserviendi votum; quo magis exinde, in eandem curam eniterentur hospitalitatis alumni, Clemens VIII. Ann. 1598. professionem emittendam compulit, quarto hoc eodem reliquis adjecto. Majorem proculdubio admirationem, è mole operis excitavit, Theresia fœmina sanctissima, Abulensis in Hispania, honesto genere clara, sed prudentia, & ingenio supra sexum, & supra humanam fere conditionem celeberrima. Institutum molita diu, & opere tandem complexa est, Carmelitarum Ordinem reformandi, exornandique tum mulierum, tum etiam, quod longe sublimius, virorum. Innumeras difficultates animi magnitudine verius, quam hominum ope expugnavit, & pervicit ea felicitate, ut Ordinem instauratum, latèque jam per Christianum Orbem diffusum videret. Ad priscam solitariæ vitæ tranquillitatem alumnos suos pertraxit, sed non sine cænobiticæ emolumento: nam neque ad alteram eos adegit, quin Societate destituerentur, neque ad alteram, eousque alligavit, ut eremi desiderio flagrantes, inani voto fatigaret. Qui spiritu ducuntur solitariæ vitæ, post exactos in cœnobiis plures annos, tanquam in rudimento virtutum, facile à suis Moderatoribus eremi opportunitatem impetrant. Gregorius XIII. Anno 1580. Ordinem probavit, sed à reliquo Carmelitarum cætu, cum suo Generali, cæterisque peculiaris vitæ instrumentis Clemens VIII. segregandum censuit. Ejusdem Clementis beneficio probata quoque Ordinis Augustiniani reformatio, sub finem Seculi decimi sexti, ubi advertit, multos

ex

ex Augustiniana Familia, arctiori observantia incensos austeriorem vitam aggressos, nec frustra: cum brevi eo devenerint, ut complures in imitationem permoverint: Discalceati nuncupantur, & re vera opere præstant: nec nisi viliori panno cooperti, quanquam nigro, ut cæteros Augustianæ Familiæ alumnos ęmulari videantur.

XLIII. Clericorum Regularium Ordinibus affines quodammodo suspiciuntur, Clericorum aliorum cętus, quibus, si votorum religiosorum professionem excipias, nihil est quod desiderari ulterius posit in religiosarum legum praxi. Vestes habent, cum cęterorum Regularium habitu communes, in commune vivunt, Choro per suas horarias vices intersunt, proximorum saluti egregiam navant operam, & cętera omnia Regularium more peragunt. Celeberrima est Divi Philippi Nerii institutio, qui Clericorum Secularium mores reformandos suscepit, & felicissime est prosequutus, Canonicorum olim vitam revocando, ut Ecclesiasticis muniis insudarent, domesticarum rerum cura, paternaque ipsa domo omissa: Superiorem alium in tota Congregatione nullum agnoscunt, nisi quem in suo domicilio ipsi sibi ad tempus pręfinitum constituunt. Moralis Thologiæ disciplinam callent, & ne ipso refectionis tempore, ejusdem refectione abstinent. Plurimum vacant concionibus, sed quibus auditorum animi instruantur, non vero ingenii, aut morosioris eloquentię ostentatione detineantur. Altera in Gallia Clericorum institutio viget, ab Apostolico missionum munere, Missionariorum nuncupata, litteris etiam, & pietate insignis, quę tota juvandis proximis addicta, mediis utitur, & instrumentis, quæ diximus, aptissimis. In Italia tamen potior, sed post D. Philippi Nerii Congregationem, Congregatio censetur, quæ ab illo operum exercitamento, Piorum Operariorum nomine decoratur. Impense fovet sodalitia suis confluentium differentiis, statuque discreta, & confessionibus excipiendis assidua, uberiores in dies animarum proventus sibi auspicatur.

Regularibus affines Congregationes.

XLIV. Quantum ęmolumenti Respublica Christiana è prędictorum Ordinum eodem Seculo, institutionibus, cę-

E prædictis Ordinibus utilitas.

cęperit, & quanto cum animarum lucro suis calamitatibus superius expositis prospexerit, tranquilliorem nostra ætate Ecclesię statum intuenti, levi negotio occurrit, & in ipsis institutionum initiis, effugere neminem potest, ad optatam Provinciam publicę utilitatis singulos festinasse Ordines. Vulgatum, cum S. Cajetanus, & Joannes Petrus Carafa Ordinem suum proxime ediderint, Lutherum in eam vocem erupisse: *Magnum bellum nobis Romæ paratur.* Sed sive serio, sive joco procacissimus homo protulerit, vel reluctantem vera pronuntiasse, habemus. Nam Cajetanus saluti animarum inhiabat adeo, ut venator animarum diceretur, & Paulus IV. Summus Pontifex Christianam disciplinam summis viribus tutatus est, non modo, quoad vixit, sed Sanctissimæ Inquisitionis propugnaculis, ne in posterum, iisdem suę ętatis ęrumnis, dilaberetur, communivit. De uno Francisco Xaverio, in Societatis nostrę primordiis commune in omnium ore effatum omittendum non est, supputatione facta, omnium judicio probata, complures fuisse, qui ab hoc Orientis Apostolo cœlesti lavacro regenerati fuerint, quam quos in Occidente à recta Fide seduxerint idem Lutherus, & Synchroni alii ejusdem furfuris molitores. Plurimum elaborarunt Sancti Pauli decollati Patres, Divi Caroli Borromęi opera, ne Rhetia, proximęque alię Italię regiones, perniciosis Novatorum erroribus perverterentur, furentibus hinc Genevensium, inde Helvetiorum turbinibus. De Therefię sanctissimę fœminę singulari institutione concinere illud idem libet, quod olim Judith, post abscissum Holopherni caput, & fugatos Assyrios: *Jud. cap. 16. Filii puellarum compunxerunt eos, & sicut pueros fugientes occiderunt eos: perierunt in prælio à facie Domini Dei mei.* Mores eorum Sanctissima Virago damnavit, qui utriusque sexus infirmitates in vitiorum suorum excusationes obtrudunt, & Fidei hostes proterendos docuit, quę sua institutione Orbem totum in sui admirationem convertit, innumerosque in imitationem trahit. Novus interea Orbis, novis invectorum Ordinum Regularibus, intra paucos annos excultus, miratus est proventus, fructusque non suos, sed Europęorum, qui,

illuc

illuc tempestatibus, vel adversis, ex zelo Fidei constantissimè delati, agrestes mores, inauditas superstitiones, inhumanos Sacrificiorum ritus, carnes hominum vorandi, venandique perinde, ac feræ essent, aviditatem usquequaque demulcere sunt aggressi, ut in hanc ætatem ubiq; fere pietatis Christianæ non tantum semina, sed adultas felicissime plantas nova insitione conspiciamus. Et quamquam haud negarim antiquiorum etiam Ordinum Regulares strenue præmissos elaborasse, in eundem morum cultum, succubuisset plane operi improbus labor, & cultorum industria, aliis atque aliis destituta cultoribus: sed advocata complurium è novis Ordinibus societate, brevi, ut ita dicam, temporis intervallo, si immensam regionem excolendam spectemus, respondit operi fructus, modicoque Europæ impendio, Orbis alter Evangelio submisit fasces.

XLV. Delibata multiplici religiosorum virorum propagine, sequuntur Virgines Deo dicatæ, quæ & ipsæ ornamentum præclarissimum Ecclesiæ universæ, & Cœlesti Sponso exhibent. Virgines Virginum Ducem sectantur, & Christiana Secta, quantum ab aliis distet, præstetque exemplo honestatis abunde testatur: quas & ab Ecclesiæ exordio, ab Apostolis institutas, priori libro, indicatum. Verosimilius censendum adhuc est, Moniales, atque earumdem monasteria, primis Christianæ Fidei Seculis, preter instituti religiosi substantialia, legibus aliis fuisse communita, quas ratio, & status decentia dictarit, juxta Episcoporum ordinationes: & instituti domicilia paucissima dixerim, insanientibus in Religionem Christianam Ethnicis, privatimque ut plurimum regularem vitam à fœminis arreptam: latius se effudit, ubi se Religio, in libertatem professionis asseruit, sed nullo adhuc peculiari instituto, quousque à D. Basilio mirificam propagationem obtinuerit, cujus sanctissimi viri leges, complures cętus evocarunt, non modo per Orientem, verum & per eas Occidentis Provincias, quę Gręcorum imperio parebant: & Neapoli potissimum, ubi antiquissima monasteria, Divi Basilii Regulę, quę olim affixa inclaruerunt, adhuc visuntur. Invaluit paulo post D. Benedicti in Occiden-

Monialium instituta,

dente disciplina, & hæc etiam in puellas effusa, monasteria complura excitavit, opplevitque plurimis, eas pelliciente, mitiori vivendi forma, legibusque in infirmiorem sexum aptioribus, Scholasticæ è D. Benedicti Sororis exemplo, viam cæteris sternente. D. Augustinus quoque peculiares leges Virginibus observandas instituit, unde & ejusdem Sanctissimi Institutoris Moniales prodiere, quæ Canonicorum Regularium vestes, ac insignia æmulatæ, augustiori quadam Clericorum tessera visendas se offerunt; pręter eas quæ austeriori vita recentiores, habitumque, unaque leges immutarunt, seu verius reformarunt. Sed è duobus præclarissimis Ordinum Fundatoribus D. Francisco, & D. Dominico, alii duo & Monialium Ordines inducti, qui nominis celebritate, ut etiam morum Sanctitate multas in austeriorem regulam pellexere. & D. Dominicus quidem in alma Urbe Virgines dicavit, ut primum è Romano Pontifice condendi sui Ordinis facultatem obtinuit. & summo prudentiorum consensu exceptus vivendi mos confestim Italiæ celebriores urbes extimulavit, ut suarum Monialium monasteria construerent. D. Franciscus quoque Assisii prima Monialium fundamenta jecit; legesque tradidit Claræ fœminæ Sanctissimæ, quæ exemplo suo, ubi cœlestis vitę thesauri conditi essent, Magistri sui legibus edocuit, effecitque re vera, ut puellę complures non modo intra monasterium Assisii concluderentur: sed & in compluribus aliis locis, praxis eadem statueretur iisdem prorsus auspiciis, quibus & Sanctissimus Parens suus Franciscus: nam ad eum sane modum, quo Franciscus suam virilem sobolem, eo protraxit, ut novæ semper familiæ primævam vivendi rationem restituerent: ita è Divæ Claræ Sororibus, recentior semper Virginum Chorus excitatur, qui antiquius traditas leges, primæva austeritate servandas suscipit, in quibus præclare hodie vigent Capuccinæ dictæ ex arctiori vitæ instituto, ut miraculo ducatur, posse delicatiores puellas, & subinde nobiliores id vitæ genus complecti, & ad extremum usque spiritum trahere. In quo sane arctiori apud Moniales usu D. Theresia assequuta videtur quid in fœmina pos-

possit Divini Spiritus afflatus, leges condendo etsi austeriores, attamen cœlestem auram spirantes, & puellis etiam nobilissimis accomodatas. Ut tandem paucis multa perstringam, nullus ferme religiosorum virorum Ordo est, si Clericos Regulares plerunque excipias, cui non respondeat Monialium etiam Ordo. Et ne ipsi Equites Melitenses peculiarium Monialium familia carent, quæ ejusdem Ordinis Cruce insignitæ pugnas ineunt, sed ut ceteræ aliæ cum invisibili hoste D. Franciscus Salesius suas Moniales instituit, quæ Alpes quoque transgressę, Italiam adhuc nobilitarunt.

XLVI. Ad Ecclesiæ ornamentum juxta, & tutamen accessere diversis temporibus, Equestrium Ordinum è selecta nobilitate, religiosæ familię, & religiosis pariter affines, quarum institutum, Ecclesiam ab Infidelibus tutari. Vota religiosa nuncupant, sed pro status sui moderamine. Priscam sane horum originem ferunt; nec desunt, qui à Constantino Imperatore inchoatam primum repetant, Divi Georgii auspiciis, ac stemmate. Crediderim verius insigne aliquid præ se tulisse, Christianæ Fidei præconio, aut Aulæ gratia; sed quidquid horum fuerit, compertum habemus, ab Urbano Secundo Pontifice Crucesignatorum exercitum comparatum Duce Gothofredo Bullionio, è Lotharingiæ Regulis ad Hierosolymitanam expeditionem undecimo Seculo ad finem vergente. Ea dein feliciter gesta, urbis expugnatione, totiusque fere Palestinæ accessione, è re visum militares Ordines instituere, ut Barbarorum, è quorum manibus urbs sancta abstracta fuerat, incursiones reprimerentur, utque peregrinorum, undique confluentium multitudini, devotionis ergo, tutus pateret migrandi locus. Templarii idcirco instituti, Theutonici, & qui proprie dicti Hospitalarii à Xenodochii, in quo Christiana prorsus Charitate peregrini excipiebantur, religiosiori cura; post occupatam rursus à Barbaris Hierosolymam, Rhodiani dicti, nunc Equites Melitenses è præcipuis sedibus, quas incoluere. Hi igitur Ordines Barbaros procul arcere, peregrinos incolumes ad Loca Sancta, visenda perducere. Xenodochiis, Ordines Militares.

& Nosocomiis ministrare, optima inter se æmulatione, quousque Hierosolyma in Christianorum potestate perstitit, certarunt: ne tamen politicorum hominum secta divinis semper rebus infensa, scandalum aliis pararet, è novis Ordinibus in militari arte tanquam in cædium immanitate instructis, ut militum castra potius, quam religiosas Christifidelium ædes dicerent, Theologi strenue propugnandos hujusmodi Ordines, è sacrarum litterarum Oraculis curarunt. Recole, quæ primo Operis Libro, attigimus.

Templarii. XLVII. Templariis præcipuus olim honos, è militari virtute, suppariique pietate, sed opulentia affluente, affluxere, & vitia, luxus, desidia, ac utriusque comes, *libido*. Delata ad Romanos Pontifices crimina, dissimulationem diu præ se tulerunt, ne quæ paucorum fortasse erant, in totius Ordinis probrum cederent: vel quia periculum erat, ne publica in sontes animadversio, omnia fere Europæ Regna, unde genere præstantiores Equites prodierant, & publicos quæstus excitaret. Serio tamen admoniti in Concilio Lateranensi ab Alexandro Tertio, ut ad priscam Ordinis, vitæque disciplinam revocarentur: sed frustra leniora adhibeas, quæ ferro, ac igne abscindenda sunt. Gradus in deteriora lapsu temporis factus, percrebrescente fama: Templarios fœdera cum Saracenis, adversus Christifideles percussisse, latrocinatos, prædonum more, & sacra Idolo latenter fecisse, interposito *jurejurando*, ne secreta proderent, per turpissima alia flagitia. Complura tantorum scelerum indicia, Christianos Principes commovere, in primisque Philippum Galliæ Regem, apud Clementem V. Pontificem, ut è Christiana Republica, tantum nefas exterminaret. Concilio Viennensi in hanc potissimum rem indicto, diu, multumque negotium agitatum est, & flagitiis tandem comprobatis, reorum confessione, complures capite damnati, in quibus ipse Templariorum Princeps, seu Magnus, ut vocabatur Magister, alii perpetuo carceri traditi; exautorati omnes, ac Ordo totus abolitus, ne ulla apud posteros memoria extaret. Ordinis commendæ, quæ in Italia erant, ut plu-

plurimum Ordini Hospitalariorum accrevere; quæ in Hispania Ordinibus aliis militaribus; quæ vero in Alemannia, Gentilitio ejusdem nationis Ordini, Theutonicis videlicet, qui post expugnatam Hierosolymorum urbem, in Alemanniam redierant, ac Septentrionali Prussia armis subacta, diu eandem Provinciam sui juris fecerant, quousque Lutherana hæresi, divina, humanaque omnia perturbante, coacti sunt eam ditionem in Brandeburgicum Electorem transferre, alioque commigrare, intra ejusdem Alemanniæ Provincias.

XLVIII. Sed in Hispania per id tempus plures adhuc hujusmodi militares Ordines numerabantur, in quorum possessionem Templariorum proventus transmitti possent. Priorem D. Jacobi vocant, cujus originem ad Ramirum Hispaniæ Regem, Gregorio Quarto Pontifice, referunt. Exploratius alii in Alphonsum Castellæ Regem, & Ferdinandum Legionensem, cum Romanæ Ecclesiæ præesset Alexander Tertius, qui Anno Salutis 1175. leges antea fortasse latas probavit, ut Fidei Catholicæ adversus Mauros tuendæ causa, strenue agerent. Militaris hic Ordo, quanquam Divi Augustini institutum sectatus sit, pressius Divi Jacobi dicitur, quem Patronum præcipuum agnoscunt, uti & Hispania; cujus tutelaris Ducis auspiciis in arma sæpe itum, nec sine ingenti Maurorum strage, præeunte aliquando collatis cum hoste signis, tutelari ipso, in speciem humana augustiorem, ut Hispaniæ monumenta perhibent. Ordinis tessera, quam spectandam omnibus, Ordinis affeclæ exhibent, gladius est cum capulo in Crucem efformato, vel in militaris virtutis, vel profundendi pro Fide sanguinis argumentum. Idem & Calatravæ Ordinis institutum, paulo tamen ante, quam Alexander Tertius Divi Jacobi Ordinem firmaret; nisi quod hic Ordo Divi Benedicti leges amplexari se fateatur, cum pressius è Raymundo eximia pietate viro Monacho Cisterciensi prodierit, qui dum ad Calatravense proximum oppidum Mauros adventare comperisset, Sancio Rege ad hostem arcendum haud parato, Nobilium, quos potuit, turmam delegit, eosdemque ad tuendum oppidum

Ordines in Hispania.

Chri-

Christiana prorsus ope extimulavit: sed barbaris aut eo apparatu perculsis, aut aliò sponte sua divertentibus, Raymundus Abbas, iis copiis expeditiones alias suscepit, iisque prospere gestis, Ordinem hunc instituendum curavit Anno 1158. in eundem Christianę Fidei in Hispania propugnandæ ardorem. Antiquitus austerior cultus præscriptus, nec lineis pannis uti poterant, atque conjugia inire: sed Paulus Tertius votum continentię ad conjugalis adhuc limites extendit, in D. Jacobi Ordinis morem. E Calatravensi Ordine duo alii prodiere, eidem per omnia affines, quorum alter Alcantarę, alter Montesię dicitur; sed prior tempore antiquior, & Ordini, è quo processit, fere suppar non amplius, quam novendecim annis interjectis ab utriusque institutione, occasione illa, quod Calatravae Magister, Alcantaræ oppidum, à Mauris vindicatum suis militibus subjecerit, seu potius dono dederit, interposita lege, ut qui Alcantaram incolerent, colorem in stemmate mutarent, è rubeo in viridem: Montesiæ vero Ordo excitatus Ann. 1312. probatusque paulo serius à Joanne XXII. ita ut constitutus ad modum Calatravensis Ordinis conferetur, Croce fere simplici, & rubei coloris pro tessera usus. Suum quisque militum religiosorum Ordo in Hispania, supremum Administrum Magni Magistri nomine olim habebat, & amplissima authoritas sequebatur. Divi Jacobi, præcipue Magistrum, qui proximus authoritate ipsi Regi suspiciebatur, quæ res, magnam adhuc conciavit invidiam, ac tandem dignitatem ipsam, uti etiam in reliquis Hispanię militaribus Ordinibus, Alexander Sextus, exemplo Innocentii Octavi, idem in Alcantaræ Ordine sancientis, in Ferdinandum Regem Catholicum, ejusdemque Successores iure transtulit.

In aliis Europæ Regnis. XLIX. Haud desunt aliis Reipublicæ Christianæ Regnis sua militarium Ordinum decora. In Lusitania, Templariorum extinctione, Christi Domini Ordo excitatus, Joanne Secundo Rege, sive aliis, Dionysio annitente, ut Beticam Barbarorum tyrannide pressam, religiosorum virorum, è selecta nobilitate, ope, facilius expugnaret, Templariorum proventibus in eo Regno cumulatis, ad

novi

novi Ordinis illustriores milites designatis. In Etruria novus religiosorum militum cætus è D. Benedicti legibus manavit. Cosmus eo nomine Primus Etruriæ Dux, ac eorumdem militum Dux Ordinem adscivit, & à Pio Quarto Pontifice consensum impetravit. Tria vota, ut moris omnibus est, milites emittunt, continentia conjugali servata, eorum est Tyrrhenum mare potissimum, à Barbarorum maritimis excursionibus tutari, quod reipsa sæpe præstitere. Excitatus paulo post in Sabaudia Ordo alius S. Mauritii dictus, ejus scilicet, quem universa Ecclesia Thebeæ Legionis Tribunum colit; Principem Ordinis, agnoscit Emanuelem Philibertum, eximium Sabaudiæ Ducem. Gregorio XIII. Pontifice, qui ut dignitatem novo Ordini ampliorem cumularet, eidem sociavit antiquissimum S. Lazari jam pene extinctum, sociato adhuc militibus utroque nomine, quemadmodum Duci, utriusque dignitatis nexu; neque novum id videri potest: nam & exempla alia suppetunt, quibus Romanus Pontifex, militares hujusmodi Ordines, sive Regnorum, sive rerum humanarum vicissitudine, jam concidentes, ne pristini splendoris memoria prorsus periret, & augmentum alioqui haud contemnendum aliis accederet, cum aliis innexuit. Ita Aleæ milites apud Lusitanos in Calatravenses migrarunt, & celeberrimus olim S. Sepulchri Ordo, cujus primordia vel ad S. Helenam Constantini Magni Imperatoris Matrem nonnulli referunt, partim in Melitensem, partim in Theutonicorum Ordinem transiit, ut vix pauci milites in Belgio, tanquam magnæ molis vestigia supersint.

L. Sunt & alii Nobilium cætus, qui religiosos quodammodo referre videntur, sed tamen Aulæ insignia sunt, & præclara ut plurimum militaris virtutis ornamenta. Singuli fere Reges, sua hæc decora habent, & maximi ducunt, quo eximios viros è præcipua Nobilitate, aut dotibus aliis præcellentes, devinciant sibi, unaque ex ea dignitatis accessione, exornent. In Gallia S. Michaelis, & S. Spiritus stemmata clarissima. Hispaniæ Reges præter laudatos Ordines, Equestrem habent è Burgundiæ Ducibus, quem *Velleris aurei* appellant: Veneta Respublica, *Nobilium cætus ad instar Ordinum.*

quos

quos maxime de Patria benemeritos videt, aurea stola donatos in peculiarem Equestris Ordinis cætum deligit: quo in honore, quanquam & Christianam adhuc Pietatem admirere, non id circo religiosum Ordinem dixeris. Simulacra tantum sunt militarium Ordinum eorum, quos nuper suspeximus tribus votis, aliisque Ecclesiasticis muniis, in quibus regularis vita statuitur, obstrictos.

De aliis Ordinibus. LI. Hactenus enumeravi Regularium Ordines in Christi Ecclesiam invectos, at non adamussim omnes, sed qui potiores tantum, latiusque per Orbem diffusi, magna legum, vestium, cæterorumque studiorum diversitate invicem à seipsis sejunguntur. Cæterum, si quodcumque suscepti instituti discrimen prosequi maluissem; à fine huic operi intento longius aberrarem. Ab uno eodemque sane Ordine, antequam Apostolicæ Sedis Authoritate, novus Regularium cætus iniretur, tam multiplex soboles, & quæ ejusdem parentis alumnos haud in communionem adsciret, prodiit, ut fere tot Ordines recenserentur, quot Monasteria, legibus, & vivendi more, passim discreta. E' Canonicorum Regularium, Ordine, primum locum tenent in primæva D. Augustini disciplina, qui Lateranenses appellantur, à diuturna Ecclesiæ Lateranensis manutentione: hoc est à Gelasio Primo, usque ad Bonifacium VIII. quo tempore intermedio complures alii ejusdem instituti Ordines conflati; sunt in eo Canonici Sancti Ruffi in Gallia, sunt in Lusitania, & quidem celebriores à S. Cruce Conimbricensi nuncupati, sunt itidem in Gallia, & qui S. Antonii Eremitæ, & qui S. Victoris nomen auspicantur. In Italia S. Georgii in Alga, Venetiis; Boni Jesu, Ravennæ; Oblatorum S. Ambrosii, Mediolani. Ad eandem etiam disciplinam referuntur Canonici Regulares Mantuani, vel ab Eugenio III. rite in Ordinem religiosum asserti. Sed qui Sancti Sepulchri dicebantur, in Hierosolymitana urbe, statutos ibidem à Gothofredo, compositis ejusdem urbis rebus Anno 1099. tradidere complures. Hi, aliique fere omnes è D. Augustini familia prodeuntes, ita distare inter se comperimus, ut nulla alia affinitate, quam externi quodammodo cultus internoscan-

ſcantur. Haud minor diverſitas in aliis familiis, quæ è Divi Benedicti Ordine inſequutæ ſunt, ut etiam religioſarum veſtium comprobetur diſpar ratio. Floriacenſes Monachi in Calabriæ ſeceſſu, à Joachimo Abbate, inſigni doctrina viro, & prophetiæ etiam dono, ut ajunt, afflato, initium habuere: qui à Gulielmo Anachoreta, ſed Cœnobitarum Montis Virginis parente traditas leges ſervant, habitum cæteraque diſciplinæ munia, magnam diverſitatem præſeferunt: eandem & Olivetani Monachi, quamvis Sanctiſſimi Patriarchæ Benedicti, vivendi ſtudium ſectentur: ut propterea mirandum non ſit, ſi hanc percurrendi ſingulos Ordines provinciam, peculiareſque ſingulorum leges, aliquanto remiſſius omiſerim, videlicet Grandimontenſium, Apoſtolinorum, S. Pauli in Hungaria, S. Brigittæ, Patrum Lucenſium, aliorumque.

LII. Illud nequaquam hic prætereundum, Religioſos cætus nonnullos, præclare olim inſtitutos, nec præclare minus ad ſuum finem tendentes, Sanctorum Virorum delectu, & probata diu in Chriſtiano Orbe Sanctitate, neſcio quo fato tandem deſiiſſe: aut à Romano Pontifice abolitos, quod primævum diſciplinæ robur enervatum prorſus deprehenderit. Præter Templarios, de quibus paulo ante, Humiliatorum Ordinem ſcimus Divi Benedicti regulam ſectatum, diuque ſe ad ampliora Evangelicæ Perfectionis incrementa comparanda provexiſſe. Tantus olim in iis Regularibus emicuit Catholicæ Religionis zelus, & Romanæ Sedis propugnandæ ſtudium, ut Fridericus Ænobarbus, cum Romano Pontifice ſimultates gerens, veritus, ne Humiliati, Longobardiæ populos continere poſſent, in Pontificiis partibus, intra Germaniam ablegarit omnes, & ad extremam fere rerum omnium inopiam redegerit, quouſque ſedatis bellorum fluctibus patrias ſedes repetierint. Sed refrigeſcente ſenſim religioſæ vitæ ſtudio, eo devenere tandem, ut Caroli Borromæi viri pientiſſimi paternam charitatem, qua eos in priſcam vitæ diſciplinam revocare conabatur, improbarent, & inſidiis paratis, de medio tollere per ſummum nefas, & per ipſos non ſtetiſſet, niſi Numinis Providentia alio,

Ordines aboliti.

& in irritum sacrilegos vertisset conatus. Quo scelere permotus Pius V. laxiorem jam Ordinem extinguendum protinus decrevit. Nostra etiam ætate, plures Ordines per Italiam abolitos vidimus, & Cruciferorum maximè, qui per quadringentos ferme annos in Europa religiosiorem ubique sobolem aluerat, quorum plerumque domicilia, proventibus ditata, & commodiori vitæ usu, eò tandem devenere, laxitatis labe, ut Ordini exitium maturarent, quos sane exitus dum mecum ipse reputo, pœnitiora Divinæ Providentiæ consilia, quam hominum imbecillitas vestigare unquam satis valeat, admirari, simulque Ordines alio trepide suspicere libet, summisque precibus adhortari, ne tam fidenter glorientur, unde venerint, sed quò potius tendant: non enim ad popularem auram, & ad supercilium paulo morosius attollendum, referenda majorum insignia, & suorum Ordinum primordia, cursusque jam pridem spectatissimi; incitamenta tantum sunt, quo alacrius, in cursum semel cæptum, & prosperè satis ab aliis expletum, iisdem adjumentis contendamus, quemadmodū Miltiadis trophæa Themistoclis oculis objecta, juvenem ad præclara pro patriæ decore capessenda extimulabant, efficiebantque ne somnum quidem ipsum, sine hujusmodi gloriæ imaginibus in plures horas pacatè traheret. Fastidientis stomachi est nec retinere, nec concoquere, quæ alios alant: & ægri prorsus animi, in fastum vertere, & ad fastidium quodammodo respuere acriores domesticæ pietatis stimulos, quibus majores sui sempiternam felicitatem pararint. In more semper habuit Divina rerum Providentia, ut instrumenta Ecclesię suæ utilissima per Ordines Regularium compararit, unaque alumnos singulos in metam, quo collimarent, blande perduceret, quod in cujusque Ordinis institutione, rebusque gestis, cumulate, propalamque elucet: At ubi tepescere sensim ejusdem Ordinis studia, & alumnorum in tumorem jam elatorum, disciplinam conspexit, tanquam supervacaneum, & à scopo longius aberrantem despicit, rejicitque opportunis aliis in commune commodum remediis nunquam subtractis, vel desideratis. Quonam igitur abjere pristina

illa

illa Templariorum ornamenta? & tam bellicæ, quam Christianæ virtutis specimina? Toties proculcata Christiani nominis hostium vexilla! Toties purpurati eorumdem cædibus gladii! tot victoriæ! tot triumphi è tam insigni nobilitate viris ad altissimum delectis! periere cuncta, & in fœdissimam posterorum notam, qui se omni spurcitiarum genere conspurcarant, desidia, luxuq; diffluentes, abjerunt: nec ideo tamen Christiana Religio, in Barbarorum servitutem, catenasque unquam, eorumdem defectione, abolitioneve dilapsa est. Quorum ignavia aliquando accisæ vires, aliorum virtute paulo post illustrius reparatæ; neque ordinaria ea rerum naturalium, sua incrementa, decrementaque sentientium, indole, sed cœlesti plane, abditoque nostris ingeniis Divinæ Providentiæ influxu, qui ipsas hominum cupiditates, monstrosaque vitia, in ejusdem famulatum retrotrahit. Quid? quod & regiones amplissimas Christianis moribus quondam illustres, Mahumetis superstitione fœdatas videmus, & Græciam olim sanctissimis, doctissimisque viris excultam, ut alias prætercam, nunc antiquæ gloriæ, sapientiæque ferale monumentum, lugemus: sed vivit profecto, vigetq; immortalis eadem Providentia, quæ dum tempori, hominum moribus dominatur, & astris; rebus humanis semper & affatim opitulari consuevit, eo tamen monito hominum generi inculcato, quod per Apostolum Paulum, ubique terrarum notissimum esse voluit: *Qui stat, videat, ne cadat.*

LIII. Recolendæ hic quoquo modo erant Religiosorum Ordinum familiæ, diversitas, atque institutionum occasiones, non modo, ut eorumdem deinceps munia, leges, cæteraq; distinctim enuclearem, sed, ut collatione ad invicem instituta, aliquot, eodem hoc Libro, dubitationes diluerentur. Et primum abunde inferri posse arbitror, è priori Regularium Ordinum differentia in Clericos Regulares, & Monachos, tempore quidem præcessisse Clericos Regulares. Siquidem hi profecti videntur è proxima Christi Domini imitatione, atque è primæva Apostolorum praxi. Cum enim regularis vitæ Principem Institutorem, Du-

De Ordinum inter se collatione.

ceinque qua verbis, qua exemplis Christum Dominum agnoscamus, eoque potissimum capite Apostolos adsciverit, ut Ecclesiam suam regendam traderet, Ecclesiæque ministeriis manciparet, consonum est asserere, primam institutionem, fuisse, Ecclesiasticorum Ministrorum. Et sanè illicò, ut Apostoli, in Apostolicum munus immissi fuerunt, munia Ecclesiasticorum propria peragenda suscepere: non in aviam solitudinem migrantes, refugientesque secularium hominum contubernium; sed Divini sui Præceptoris exempla, monitaque secuti, Verbi Divini prædicationem, quam avide hauriebant, in populum erudiendum fundebant. Accepta postmodum sacrorum, claviumque, ut ajunt, potestate, nervos omnes, in Ecclesiastica munia intenderunt, cum ea, quam diximus, regularis vitæ communione. Quam genuinam Clericorum Regularium institutionem complexi sunt, Apostoli omnes, secluso nemine, & in alios etiam Ministros transfuderunt, ea fide, eademque veritatis luce, quam à communi omnium Servatore acceperant: quamobrem jure merito testari S. Ignatius potuit, cum Smirnenses adhortaretur, missa ad eosdem Epistola: *Omnes*, inquit, *Episcopum sequimini, ut Christum, Patrem, & Presbyterorum Collegium, ut Apostolos*. E' quibus ad cæteros proxime dimanarunt Christianæ, religiosæque pietatis argumenta, institutionesque in imitationem propositæ, & quamvis ex iisdem, monasticæ adhuc vitæ leges prodiisse, priori Libro statuerim; non ideo tamen putandum, æque ab omnibus, eodemque simul tempore, in praxim deductam, sed divisim, & ubi Christifidelium multitudine Ecclesiam pubescentem viderint, compositis aliquo modo, Ecclesiasticis prius rebus: quemadmodum & D. Marcum Alexandriæ fecisse, è Divo Hieronymo ibidem adstruxi, tanquam præcipuum fortasse monasticæ disciplinæ institutorem.

Vita cœnobitica solitaria præferenda.

LIV. Cujus Sanctissimi Evangelistæ institutione, illud quoque statuendum, è duabus monasticæ vitæ partibus, in quas distingui eadem videtur, nempe in solitariam, & cœnobiticam, priorem hanc usu, in Ecclesia productam, & invaluisse quoad per tempus tunc licuit. Nam licet

licet adstruamus Joannem Sanctissimum Precursorem Anacoreticæ institutionis Principem; quin immo Christum Dominum verius, quadragenario dierum numero eandem institutionem, & arctissimo secessu consecrasse, solitumque noctes integras in Monte divinis vacasse contemplationibus: attamen quia de usitatiori, firmiorique hic Christifidelium statu sermo est, priorem proinde ducimus cænobiticum invectum, ex eo potissimum quod monumenta Ecclesiastica memorent, è Marco primum prodiisse monasticum contubernium, omissa, sive paulo ante, sive per id temporis anachoreticę vitæ, quam alii exorsi fuerint, auspicatione. Quæ cum ita se habeant, dubitatio, inter utramque institutionem cænobiticam, & anachoreticam emergit, utra magis probanda sit, quod utraque Sectatores Sanctitate præcellentes habuerit: & neminem sane latere arbitror probatam potius Cænobitarum, eorum scilicet, qui intra eadem monasterii septa detenti, communem prorsus vitę rationem sub Moderatoris disciplina servant, quam Anachoritarum, qui invicem discreti, ab aliorum contubernio abhorrentes, Moderatorem detrectant, Ducem nullum habent, proprię tantum voluntati in speluncis ipsis, solitariæ vitæ cupiditate obsequuntur. Cuinam sane dubium esse potest, hominem, seipsum quocumque ducatur ingenio circumferre, pravum semper comitem, qui fræna laxare consuevit, nisi alieno regatur imperio? non in primævo innocentiæ statu, hominum vita posita est, quem communis mortalium parens Adam divinitus consequutus est; nec tamen diu detinuit, conjugis suæ male suada voce, imo potius suamet cupiditate, nullis coercita moderatorum imperiis, seductus; sed in longe deteriori conditione posteri omnes versantur, cum eademmet hominis natura, ac voluntas ejusdem pravitatis seminio correpta, in mali illicium sponte traducatur, ut periculum sit, nisi mature subveniatur, exitium sibi pariat. Quod malum avertendum admonuere Patres, enixeque inculcarunt, ne solitariæ hujusmodi vitæ prætextu, ac pacatioris secessus larva, monasticæ vitæ, solidæque Sanctitatis studium vanesceret.

ret. In hanc sententiam Augustinus, Basilius, Nazianzenus, cæterique Patres ivere, quamvis solitariam vitam in religiosis viris diu sub Moderatorum disciplina, exercitis, præconiis extulerint: *Solitariam vitam*, inquit D. Hieronymus *Ep. ad Rusticum Monachum*, *reprehendimus minime; quippe quam sæpè laudavimus; sed de nido monasteriorum, hujuscemodi volumus egredi milites, quos eremi rudimenta dura non terreant, qui specimen conversationis suæ multo tempore didicerunt*. Cæterum subdit D. Thom: 2.2. *q.* 188. *art.* 8. *Si absque præcedenti exercitio, talis vita assumatur, est periculosissima, nisi per Divinam Gratiam suppleatur, quod in aliis per exercitium acquiritur*. Et paulo ante adjumenta è sociali vitá ostenderat: *Uno modo, quantum ad intellectum, ut instruatur in his, quæ sunt contemplanda. Secundo quantum ad affectum, ut scilicet noxiæ affectiones hominis reprimantur exemplo, & correctione aliorum*. Exempla verò, quę ex adverso in medium produci possent antiquiorum Patrum, quos ita secretioris eremi amor tenuit, ut delicias suas speluncas, omnisque contubernii fugam fecerint, si serio expendantur, doctrinam paulo ante dictam firmant. Etenim ex jis, quos scimus, in eremo consedisse, Antonium, Pachomium, Hilarionem, affinesque alios illustriores Monachorum Duces, neminem videmus cænobiticam vitam declinasse, sed urbium tantum frequentiam: quin potius, ita se ad tempus aliquod seorsim in interiori aliqua eremo condidisse, ut non solitudinis illius amore caperentur prius, quam probata ante fuerit, diuque exculta in aliorum contubernio, maximeque in subjectiori disciplina, mutuæque charitatis muniis. Aut excipiebat hujusmodi secessus Cænobitas jam, qui totos se contemplationi dederent, aut illicò ad Cænobitarum studia revocabat.

Contemplativa actuosæ. LV. Cum vero Cęnobitarum vita potior, eademque aut in divinarum rerum meditationem, aut in proximorum salutem, actuosæ vitæ muniis, aciem nervosq; omnes intendat, utra magis commendanda sit, magisq; fovenda? hic etiam paucis definiendum, spectata tantum utriusque vitæ indole. Et quidem non ambigendum potiorem esse vitæ contemplativæ rationem, & Christi Domini Oraculo,

in

in Martha, & Maria Sororibus duplicem hunc religiosum statum exprimentibus, juxta Patrum effata, cum liquidò pronuntiavit, Mariam ad Servatoris pedes procumbentem, Divinęque Doctrinæ Oracula avidè excipientem, optimam sibi partem vendicasse, præ altera, quæ tota in ejusdem Domini externum famulatum in hospitali domo, migrasset. Ratio quidem validissima esse potest, quod quanquam status uterque laudandus sit, quemadmodum, & laudatæ Sorores, Deo famulatum exhibuerint; attamen qui in rerum cœlestium meditationibus defixam vitam seligunt, in Deum recta pergere videntur; qui verò alteram actuosam, obliquè quodammodo quærunt, difficultatibus pluribus veluti irretiti, nec metu sane vacui, ne jacturam potius, quam lucrum sibi parent. Quid contra salubrius, quid excogitari potest tutius, quam procul ab humanæ vitæ fluctibus, procul ab irato vicissitudinum ingruentium mari, tranquilla veluti in statione divinarum contemplationum consenescere? ut mirum non sit *Lib.* 1. *Moral.* Aristotilem adhuc ethnicum Philosophum, hominis beatitudinem, in una hac Summi Boni contemplatione locasse. Sed sapientissime S. Thomas quæstionem hanc 2.2. *q.* 182. *art.*1. compluribus rationibus dirimit, primasque contemplationi partes attribuit. Præ cæteris autem rationibus, quas Theologicas duxi, ex eodem Angelico Doctore subnectam, sic enim ait: *Secundo, quia vita contemplativa potest esse magis continua, licet non quantum ad summum contemplationis gradum: unde Maria, per quam significatur vita contemplativa, describitur secus pedes Domini assidue sedens. Tertio, quia major est delectatio, vitæ contemplativæ, quam activæ: unde Augustinus dicit Lib. de Verb. Domini, quod Martha turbabatur, Maria epulabatur. Quarto, quia in vita contemplativa est homo magis sibi sufficiens, quia paucioribus ad eam indiget: unde dicitur Lucæ* 10. *Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima. Quinto, quia vita contemplativa magis propter se diligitur, vita autem activa ad aliud ordinatur: unde in Psalm.* 26. *dicitur:* Unam *petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in Domo Domini, omnibus diebus vitæ meę, ut videam voluntatem Domini, &c. Septimo, quia*

vita

vita contemplativa, est secundum divina, vita autem activa, est secundum humana: unde Augustinus dicit in Lib. de Verb. Domini: In principio erat Verbum: ecce quod Maria audiebat. Verbum Caro factum est: ecce cui Martha ministrabat, &c. Nonam rationem addit Dominus, Luce 10. Cum dicit optimam partem elegit, Maria, quod non auferetur ab ea, quod exponens Augustinus ubi supra dicit: non tu malam, sed illa meliorem. Audi unde meliorem: quia non auferetur ab ea. A te autem auferetur aliquando onus necessitatis, æterna est dulcedo veritatis.

Mixta alterutri. LVI. Quid si media quadam via incedendum esset, & religiosum Ordinem, institutum deprehenderemus ad utriusque vitæ munia comparatum, ut nec rerum divinarum contemplatio, actuoso hoc famulatu, neque idem famulatus, contemplationibus destitueretur? Perfectum, numerisque omnibus absolutum censeo. Si enim vivendi modus eo perfectior ille censendus est, qui propius ad Christi Domini imitationem accedit, quis ignorat, Servatorem nostrum in utriusque vitæ communionem suo exemplo, tam in divinis rebus recolendis, precibusque ad Patrem fundendis, quam in iisdem ad audientium captum disseminandis, ultro nos vocatos voluisse? Igitur cum *Omnium Divinorum, Divinissimum sit*, è Dionysio Areopagita, *in salutem Animarum cooperari*; & secundum etiam Jacobi Apostoli effatum: *Qui converti fecerit Peccatorem, ab errore viæ suæ, salvabit Animam ejus à morte, & operiet multitudinem Peccatorum*; nihil deprehendi potest, ac institui fructuosius eo religiosorum cætu, qui non minus contemplationis dulcedine, quam externa proximorum ope, operam suam navare haud desistit. Qua de re, apposite Bernardus, *Serm. de S. Joan. Bapt. Quemadmodum*, inquit, *majus est illuminare, quam lucere solum: ita majus est, contemplata aliis tradere, quam solum contemplari*. Et D. Gregorius eodem trahit illud *Psalm. Memoriam suavitatis tuæ eructabunt.* Perinde ac sit, saluberrimi fontis instar, ad communem omnium utilitatem derivare venas, quas ipse hauserit. Sed mirè Isidorus *Lib. Differentiarum*, ad Christi Domini imitationem, hanc mixtam Regularium vitam exprimit in hunc modum: *Quibusdam sola contemplatio proficit; aliis vero*

sola

ſola activa eſt conſolatio: his media utriſque compoſita utilior eſt: nam quod Salvator per diem ſignis, & miraculis in villis coruſcabat, activam nobis commendabat vitam; quod verò in nocte per orationes tandiu pernoctabat, vitam contemplationis ſignificabat: idcirco Dei Servus juxta imitationem Chriſti, nec actualem vitam omittit, & contemplationem agit: aliter enim incedens offendit: ſicuti enim per contemplationem amandus eſt Deus: ita per actualem vitam amandus eſt proximus: ac per hoc, ſic non poſſum ſine utraque eſſe vita, ſicut ſine utraque dilectione. Hactenus Iſidorus.

LVII. Et ratio quidem adeſt, meo judicio validiſſima. Siquidem rerum divinarum meditationes, actuoſę vitæ munia intentius perficiunt, quoad ſublimiorem illam vim, qua in Deum aſſurgunt, contemplationis ſtudio addicti: duæ hujuſmodi vitæ ſe invicem complectuntur, & quæ diu in divinis contemplationibus animus recoluit, in praxim ad proximorum ſalutem externis adjumentis, externaque ope redigit: unde tantum abeſt imminui intentiorem mentis aciem, rebus divinis affixam, ut potius ad eandem referatur, revocetque alias etiam corporis, animæque facultates, tanquam adjutrices, ſedulaſque miniſtras, hujuſmodi vita actuoſa. In celſiorem hujus charitatis communionem, pertrahebat Chriſtus Dominus Petrum cum Apoſtolorum Principem deſignavit, *Joan.* 21. prę-iverat iterata interrogatione *Petre amas Me!* & poſt comprobatam dilectionis ſignificationem à Petro: *Tu ſcis Domine, quia amo Te*, ſubdit Dominus perfecti amoris argumentum: *Paſce oves meas*, quod expendens Chryſoſt. *Lib.* 2. *de Sacerd. Atque illi quidem, ait, licebat, verbis hujuſmodi Petrum affari: ſi Me amas Petre, jejunia exerce, ſuper nudam humum dormi, vigila continenter, injuria preſſis patrocinare, &c.* Cum igitur inculcat Petro Chriſtus Dominus, in ſolidioris Charitatis indicium *Paſce oves meas* exquirebat utiq; ab eo, quod amorem ipſum & foveret, & intentiorem faceret, proximorum videlicet opem, quam ſi humi ſemper jacuiſſet, & jejunia ad menſes, & annos protraxiſſet; eo quod, ut alio loco proxime laudatus Doctor *Homil.* 34. *ad Popul.* denuntiat; *Jejunare quidem, ait, & humi cubare, & exercere*

Comprobatur.

virginitatem, & temperantiam colere, solis hæc obeuntibus utilitatem afferunt: quæ verò proximis à nobis exhibentur, ut eleemosina, doctrina, & charitas, hæc & nobis ipsis, & proximis, ad quos à nobis transeunt, prosunt. Porro eandem doctrinam, quam concinnis verbis Chrysostomus, aliique Patres exprimunt, ad scholasticam trutinam advocat D. Thomas 3.*par. disp*.35. *qu*.1. *art*.4. simulque intentiorem, remissioremque contemplationis cum vita actuosa compositæ vim expendit, his verbis: *Quantum ad intentionem meriti videtur vita contemplativa, majoris meriti, illa parte activæ, quæ circa sui moderationem studet: minoris autem quantum ad illam partem, quę profectui aliorum invigilat; quia hoc ipsum videtur esse fortioris charitatis, secundum genus, quod homo, prætermissa consolatione, qua in Dei contemplatione reficitur, gloriam Dei in aliorum conversione quærat: quia etiam in humana amicitia, verus amicus quærit magis bonum amici, quam de ejus præsentia delectari*. Hucusque S. Doctor, quibus nihil est quod addi, aut detrahi possit.

Quænam objectio. LVIII. Verum, quia insitum humanæ naturæ, à se plerumque dissidere, & ad eundem modum, quo eadem terra, quæ rosas, & lilia nutrit, noxias quoque herbas, cicutam, atque aconitum, ad vegetationem excitat: & juxta ejusdem fluminis ripas, excurrunt suaviores cycni, & venenata insuper animalcula: non ignoro in proximorum salute curanda, posse detrimenti aliquid parari iis ipsis sensim, & latenter, qui tam salubre opus aggrediuntur, atque ut Medicis subinde accidit, in epidemicis morbis, ut cum aliis pro viribus opitulantur, venenatas morbi qualitates, ex ægrorum contactu, afflatuque hauriant: ita etiam, è paulo liberiore cum externis familiaritate, & è crebris occasionibus, quæ cupiditates utcumque coercitas, semper vellicant, non raro etiam, intermortuas licet, ad naturæ suæ impetus revocant; corripiuntur hostes, Regulares scilicet, à quibus atrocissimum bellum imminebat. Homines Regulares fatemur, & humani nihil ab iisdem alienum, ut non aliorum vitiis, si desides sint, si plus nimio viribus suis fidant, si audaciores in turbam prosiliant, corripi frequentius valeant, vivaciori illa cha-

charitate, qua primum intra claustra collecti ęstuabant, tepescente: atque utinam, è tam pudenda metamorphosi, Populi Christiani scandalum antehac omninò abfuisset, absitque saltem in posterum: sed timendum, ne quod lacrymis ubertim erumpentibus vaticinatus fuerat Hieremias, *Thren. cap.* 4. in Regulares istos, eo prætextu seductos, recidat: *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores, denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis: adhęsit cutis eorum ossibus: aruit, & facta est quasi lignum.* Hi scilicet, qui dudum morum innocentia, antiquiorem Nazaręorum disciplinam, non modo æmulati, sed & supergressi fuerant, lactis candorem, animorum candore nitidius commendabant; qui proximi charitatem, igneam prorsus, & vetusto ebore rutilantem præsetulerant, qui demum cœlestem propemodum vitam egerant, radiosq; emiserant in intuentium oculos, pulcherrimi sapphiri instar, suo mox, aliorumque infortunio, in alios versi, præter morem, modumque maculis obducti, ne ab jis quidem, à quibus venerabundi suspiciebantur, agnoscuntur. Causam sane ejusdem calamitatis refert idem Propheta, dum memorat, veluti vulgares, & obscuros prætermissos in plateis, & in olim salutantium, atque suspicientium turbis: virtus enim, quæ antea exculta, venerationem, plaususque conciliabat, charitate ęstuantibus; neglecta, neglectum, atque irrisiones in laxiores effectos Regulares cumulat, jisdem sane in locis, unde pestem hausere: Apposite in hæc verba, & in rem nostram subdit Gillibertus Abbas: *Magna certè collaudatio, sed misera commutatio, candor nivis, lactis nitor, eboris rubor, pulchritudo sapphiri, & puritas, carbonis obducitur nigredine, &c.* Sed unde malum profectum sit, post pauca, addit: *Frequentia platearum decolorat Nazaræos, & peregrinam speciem induit.* Quamobrem, ratum habeamus oportet, domesticam cum Secularibus frequentiam, familiaritatemque illam, qua cum jisdem Regulares commiscentur in causa esse, ut scandala plerumque suboriantur.

LIX. Hinc & quotidianæ fere de religiosis viris in

Et in totum Ordinem querelæ. vulgum obmurmurationes, si aliquem forte viderint, aut ab aliis quomodocumque exceperint, paulo infirmius ex hisce occasionibus, ab instituto suo descivisse, nec in delinquentem, aut male audientem tantum probra ingerunt: verum non aliter querelas ingeminant, quam si Ordinem totum pessumdatum, & ab antiqua disciplina dimotum viderent. Actum de omnibus ejusdem Ordinis Regularibus esse, pristinos desiisse mores, priora sanctitatis decora, avitam majorum disciplinam: nihil jam commune cum iis relictum, nisi externam imaginem, & ne externum quidem religiosi habitus insigne. Ita è paucorum labe, in omnes multitudo invehi consuevit, atque ut hominum ingenium solers est ad aliorum vitam carpendam, multa adjicit, plura fingit, divinare se etiam pluries fatetur, nec judicii obstinationem detrectat, nisi cum in deteriora suspicacem animum movere gestit è levissimis conjecturis, aut ex unius, alteriusve improbandis moribus. In eodem Ordine multorum modestiam, tanquam subdolam artem, unius fortasse inverecundia suggillant; & si quem forte paulo liberioribus verbis, & inter notos familiaresque hilariorem offenderint, neminem ex eodem Ordine, eadem culpa vacuum absentem quamvis, nec unquam visum dimittunt; quare tam libere, tam incomposite hujusce Ordinis Regulares per compita, & plateas circumcursare solent? cum liberioribus, quos scimus, frequentiores, ac diuturniores sermones miscent? quare domos alienas frequentant? quare ars apud illos est devincire sibi quos liberaliores norint? facile preterire ęre alieno gravatos, vel inopia pressos? omittenda hic quę dicactiores effutiunt, & prandium sibi opipare, & amicis parant, è Regularium in actuosam vitam incumbentium, dictis, factisve plus nimio exaggeratis. Quas obtrectationes sane, aut si mavis delinquendi re vera oblatas nonullis occasiones; arreptasque devitant Ordines, contemplativæ tantum vitæ affixi, qui alumnos suos intra cellulas arctius detinent, nec ullatenus digredi, in hominum turbam patiuntur.

Ut inanes rejiciendæ. LX. Verum nullius momenti existimanda isthæc omnia,

nia, neque propterea aut Ordines sanctissimi actuosæ vitæ minus excolendi, aut remittenda vel modicè proximorum salus; etenim detrimentum, de quo timeri potest, nullum, aut nonnisi paucorum est, si singulos hujusmodi Ordines spectemus: attamen complurium, & innumerorum, quæ proficiscitur salus, jacturam quæcumque tandem ea sit, levissimam prodit, & immenso animarum lucro: Ordo totus paucorum labem abstergit, solaturque: quod privatim fit, authori suo tribuendum, & si pravè quidem fiat, è delinquentis vitio enascitur, quod autem publica authoritate, ad commune commodum, & Reipublicæ totius felicitatem referendum: adeoque etiam ad sanctissimam Ordinis institutionem uberrimi in juvandis proximis fructus: non item ea vitæ solutio, quam aucupantur, qui immoderatius sibi morem gerentes, Ordinis leges, proximorum opem, Divinæ Gloriæ amplificandæ studium, in sui commodum, seu verius perniciem detorquent: sufficit optimum re vera esse, totisque proinde viribus incumbendum, quod ad hujusmodi cultum, institutum suis legibus sit: sanæ mentis nemo profectò esset, qui ex Orbe exterminandas celeberrimas Academias duceret, eo nomine, quod inter innumeros adolescentes reperiantur semper, qui detrimentum potius, quam fructum studiorum capiant, & nequiores in patriam remearint, quam doctiores: ne ipsum quidem Apostolorum Collegium alumno degenere, & perditis usquequaque moribus vacavit, ut sciremus, sanctissimum quodcumque institutum nullam ex eo labem contrahere quod degeneres aliquando alumnos fundat: monstra sunt, quæ præter parentum, naturæque leges, studiaque, in suum dedecus prosiliunt. Animi sanam disciplinam aspernantis vitia sunt, non Ordinis. Sed vulgi rumores, & inanes ut plurimum querelæ silentio, animique magnitudine prætereundæ, neque tanti æstimandæ, ut ab inceptis, retrahere Apostolicos viros debeant, idque Christi Domini exemplo, qui Pharisæos omnia temere interpretantes contemnendos duxit, cum in verbi divini prædicatione, in miris rebus ad proximorum salutem patrandis eorumdem probra, calumnias lapi-

pides etiam in se tanquam in seditiosum civem emotos viderit, nec proinde ab aliorum salute curanda eo minus dimotus sit. Satius habeamus maledicta ferre, quam referre, & Secularium mores emendare, quam irrisiones fugere. Nulla unquam celsius virtus eluxit, quam cum obtrectatorum dentes exacuerunt, morsibus niudius conspiciendam. Cœlestis Philosophię cultores, Regulares inquam, si quos, in suos Ordines oblatrantes, viderint, vel in contubernales suos, norunt, optimum defensionis genus esse, moribus præcellere, non dentibus: cætera vitæ, & instituti sui rationi respondentia, ut objecta diluant, pluribus verbis è Seneca mutuari, videntur, cum Philosophorum insectatores coarguit *Lib. de Vita Beata cap.27. Papulas*, inquit, *observatis alienas, ipsi obsiti plurimis ulceribus. Hoc tale est, quale si quis, pulcherrimorum corporum navos, aut verrucas derideat, quem fera scabies depascitur. Objicite Platoni, quod petierit pecuniam: Aristoteli, quod acceperit: Democrito, quod neglexerit: Epicuro, quod consumpserit: Mihi ipsi Alcibiadem, & Phędrum objectate. O vos maxime felices, cum primum vobis imitari vitia nostra contigerit.*

An aliis Ordines alii austeriores.

LXI. Parcius mutuam hanc Ordinum inter se collationem attigissem, ne aliquid detrahere iisdem religiosis familiis viderer, quarum singulas, singulari pene charitate, & veneratione complector; verum quia doctrinę ordo, rerumque series exposcebat, ut in ea immorarer, placuit non ex mea, sed ex Patrum sententia, plura in idem argumentum congerere, pręsertim ex D. Thoma, qui expressis verbis superiorem doctrinam tradidit 2. 2. *qu.* 88. *art.* 6. *Sic ergo*, inquit, *summum gradum in Religionibus tenent, quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum: quoniam, & propinquissima sunt perfectioni Episcoporum: sicut & in aliis rebus, fines primorum conjunguntur, principiis secundorum*, ut *Dionys.* dicit 7. *cap. de Divin. Nomin. Secundum autem gradum tenent illæ, quæ ordinantur ad contemplationem. Tertius est earum, quæ occupantur circa exteriores actiones.* Quia verò idem Sanctus Doctor subdit: *In singulis autem horum graduum potest attendi præeminentia, secundum quam una Religio ordinatur ad altiorem actum in eodem genere: sicut*

cut inter opera activę vitæ potius est redimere captivos, quam recipere hospites, & in operibus vitæ contemplativę, potior est oratio, quam lectio. Potest etiam attendi præeminentia, si una earum ad plura horum ordinetur, vel si convenientiora statuta habeat ad finem propositum consequendum. Præstat hic etiam nonnullas alias difficultates enodare eodem Angelico Doctore duce ad altiorem Ordinum commendationem, eundem prorsus finem ultimum sibi statuentium, Charitatem in Deum videlicet non vulgarem, sed valde intensam, & perfectam eo tamen modo, ut re ipsa majoris perfectionis, sive intentioris hujusmodi charitatis capax, qui connititur esse valeat. Quid enim vitæ instituto in Deipara sanctius, quid sublimius? quid post Deiparam, in Pręcursore Joanne Baptista? quid in Apostolis? & tamen collatione cum religiosis familiis instituta, nemo dixerit Religiosum quemcumque Ordinem æqualem penè sanctitatem cum Deiparæ, Joannis, Apostolorum vitæ institutione aliquando habuisse, aut fortè habiturum? Imitationem aliquam verius, quam ejusdem sanctitatis gradum, attingere Ordines nituntur. Illud hic primum inquirimus an finis cujusque Ordinis proximus, qui prædicto subest, & Theologis immediatus dicitur, & cui proxime subsidia peculiaria subsunt, alium præ alio, Ordinem austeriorem corporis asperitatibus exigat? Id quanquam aliàs delibarim, cum de militaribus Ordinibus, primo Libro egi, aliquanto hic studiosius tanquam in sua sede locandum. Et quidem exploratum omnino esse debet, voluntarias corporis castigationes Christianæ perfectioni prodesse multum, eademque ratione à Christifidelibus ultro susceptas, maximeque à probatissimis in Ecclesia viris summe inculcatas, & creberrimè usitatas, & pluribus de causis, tum ut motus naturę improbi cohibeantur, ac corporis moles plenè subjiciatur rationi; tum etiam, ut iisdem pęnis pręteritæ vitæ maculæ detergantur, oblata Divinæ Justitiæ, certa quadam noxarum satisfactione. Qua Catholicæ Fidei Veritate perspecta, par erat, Ordines singulos paulo alacrius, quam seculares homines, in hujusmodi studium eniti; & re vera nullum videre est, in quo subsidia

dia

dia hæc non præscripta ab institutore fuerint stata jejunia, statæ verberationes, vigiliæ, somnus parcior, cubationes ipsæ incommodæ, victus austerus, & suppari neglectu, quę ad vitæ usum cæteroqui usurpanda. Verum quia sapientissimi iidem institutores omnia isthęc trahenda duxerunt, quatenus in finem intentum expeditius conducerent, optime quisque suo cum Ordine faciendum existimavit, si quemadmodum sanctissimus vir Antonius, ut habemus apud Cassianum *Collat.* 2. *cap.* 2. *& seq.* ex sententia Mosi Abbatis, nihil in religiosis virtutibus, & Regularibus existimabat proficuum, expetendumque magis, quam ea moderationis lege, quæ instar Lesbiorum Regulę, singula dimetiatur, & singulorum fines, ut qua singuli pergerent, recta pergerent, certiusque collimarent, modum propterea plane mirandum in ferendis legibus pręfetulerunt, & quæ potissimum corporis austeritates, quove moderamine à suis alumnis, ut in finem suum properarent, usurpandæ essent, solertissime scriptis, moreve inducto obsignarunt.

Austeriores ut plurimum qui contemplationi addicti.

LXII. E triplici igitur Ordinum, quos in Ecclesiam invectos suspeximus differentia, austeriori vitę usu ut plurimum præire Monachos contemplationibus penitus dicatos, censeo. Eo enim tendere hujusmodi Ordinum Fundatores visi sunt, cum finem contemplationis proximum statuerent, ut quæcumque eandem quoquo modo parare possent, ac provehere, diligentissime suis arripienda curarent; atqui cum vitæ austeritates plurimum adjumenti ad cœlestes meditationes conferant, industriam profecto omnem, nervosque in austeritatis legibus sanciendis, navarunt: optime norant, hebetari mentis aciem ad oculorum liberam excursionem, tentari animum, & nutare ad obvia Seculi blandimenta; & tamdiu immotum se ad ęternorum veritates præstare, quamdiu externis sensibus frænum injicimus, & evagationum occasiones subducimus. Antiquis Philosophis, ut pacatius philosophari, & animum in se colligere, liceret, mundana omnia, nedum oculorum fascinationes, dimittenda duxere. De Augusto, prodidit Seneca *Lib. de brevit. vitæ cap.* 5. eo recidisse

diſſe omnes inter amicos ſermones, ut vacationem à Republica peteret, & ſibi ſperaret otium: *Tanta*, ſubdit, *viſa eſt res otium, ut illam quia uſu non poterat, cogitatione præſumeret: qui omnia videbat ex ſe uno pendentia, qui hominibus, gentibuſque fortunam dabat, illum diem lætiſſimus cogitabat, quo magnitudinem exueret*. Felicius aſſequuti cœleſte otium ſunt, contemplativæ vitæ Ordines per ſuas auſteritates, quam alii philoſophicum, & deſidiæ propius concupierant votis, & inani ut plurimum labore: proculcandæ erant, opes, & terrena omnia, & hoc parum: nam, niſi ſe ipſos deſtituerent, fruſtra defatigabantur; ſemiliberi fuiſſent, & otiari, & ſibipſis vacare nunquam cæpiſſent: quanto ſapientius, quanto efficacius cœleſti otio flagrantes, qui ne votis fruſtrarentur, pene incredibiles auſteritates ultro ſunt complexi! Ut vero ſilentio pręteream us Monachorum antiquiſſimorum aſperitates, humanas vires quodammodo excedentes, compertum, D. Baſilium perpetuam inter cæteras auſteriores leges, à carnibus abſtinentiam, ſuis Monachis indixiſſe, id, quod pariter à D. Benedicto in ſua Regula *Cap. 39.* præſcriptum, novimus, niſi, ęgritudo, vel corporis debilitas ſecus pateretur: eandemque abſtinentiam inculcari in *Cap. Cum ad Monaſterium de ſtatu Monachorum*. Idem à D. Martino in ſuo Monaſterio obſervatum, citra laxitatem ullam, & inſuper ne Monachi vinum deguſtarent, auctor eſt Sulpitius in ejuſdem vita. De auſteriori Camaldulenſium victu, & creberrimis jejuniis, de ſilentio item, & ſolitaria vita, in ipſo cænobitico convictu, adeo, ut nefas ſit, è ſuis cellulis egredi, niſi ad præſtitutam horam, in Eccleſia conveniant, Divina peracturi, vulgatiora ſunt, quam ut fidem hic obſtringam meam. Singulare propemodum cenſetur præ reliquis Monachorum contemplationi vacantium aſperitatibus, in Carthuſienſibus ſolitudinis ſtudium, de quo ita Navarr. *Commentar. 4. de Regularibus*: *Hanc legem*, inquit, *clauſura jure communi ſtatutam, aut confirmatam Carthuſiani partim ſtatutis, partim conſuetudine inviolabiliter obſervata adeo auxerunt, ut earum clauſura videatur quidam carcer perpetuus*. Ne vero præjudicium aliquod Ordinibus actuoſę, vel mixtæ vitæ,

in hac eadem austeritatis palestra, ne in speciem quidem, afferre auderem, addidi *ut plurimum*, ut Sapientum judicio in hac etiam parte deferendum multum putarem. An Ordinum aliorum austeritates quamvis admirandæ, & singulari prorsus animi magnitudine ferendæ adamussim prædictis respondeant, ut excipiendi nonnulli essent, & in eandem asperitatis penè summæ gloriam ex æquo evocandi.

Quinam Ordines laxiores.

LXIII. Sed quinam laxiores Ordines dicendi sint, memorare hic etiam non pigebit, quo plura operi subjicienda facili negotio expediantur. Et sane laxiores Ordines non eos diximus, qui si ad alios referantur, minus austeri, minusve arcti deprehendi possint: cujusmodi militares Ordines esse, cum claustralibus collatos, inficiabitur nemo; sed si nulla collatione, neque cum militaribus, neque cum reliquiis aliis, laxitatis tamen notam apud prudentes subjerint. Hi nanque non precipiti vulgi opinione, & impetu male sano feruntur, sed rerum experimentis edocti, cum judicium proferre suum coguntur, ad veritatis lancem, & juxta rationis ductum proferunt; qua de re nunquam Sapientes dixerint Ordinem aliquem in primæva sua institutione laxum prodiisse, & legibus minus Christianæ perfectioni consentaneis; sed effectum paulatim laxum alumnorum suorum solutis moribus: quisque enim Ordo sanctissime institutus prodiit, ab Ecclesia universa, vel à suo capite maturè approbatus, leges perfectionem spirantes protulit, dotesque suo peculiari instituto insignes: atque ut paucis multa complectar cum D. Thoma 2.2. *q*.189. *art*. 8. *Diversæ Religiones præeminent secundum diversa virtutum opera*; adeo, ut nullam reperias, quæ institutionem suam nõ habuerit veneratione juxta, ac immitatione suspiciendam. Ex hac ipsa pressius institutionis Sanctitate inferri pronum est, imminutos sensim disciplinæ nervos, & alumnorum mores in libertatem desciviffe, ut pote qui amplius in suis legibus contineri nequirent. Laxitatis igitur, & invalescentis desuetudinis causam unicè referendam puto, in complurium ex eo Ordine liberiorem vivendi morem, nulla fere instituti, ac peculiarium legum

gum habita ratione, nisi tantum, ubi videri potius quam esse Regulares sui Ordinis, ad quandam nominis existimationem, aut ad publicam Sapientum censuram quoquomodo declinandam, ducerent. Idipsum affirmavit Divus Thomas loco nuper laudato, cum ex occasione liciti transitus de uno in alium Ordinem, de quo inferius, spectandam observantiam potius in Religione dixit, quam institutionem: ejusdem verba sunt, quæ sequuntur: *Secundo propter declinationem Religionis à debita perfectione, puta si in aliqua Religione arctiori, incipiant Religiosi remissius vivere, laudabiliter transit aliquis, ad Religionem etiam minorem si laudabiliter observetur. Unde in collationibus Patrum, Collat.* 19. *Abbas Joannes de seipso dicit, quod à vita solitaria, in qua professus fuerat, transiit ad minorem scilicet eorum, qui vivunt in societate, propter hoc quod vita eremitica caperat declinare, & laxius observari.* Hactenus S. Doctor, qui Ordinis detrimentum non ad institutionem, regulæ paulo remissiores sectatores, quam regulares aliorum Ordinum sint, facientis, sed ad ipsorum sectatorum liberiorem ansam, in cupiditatibus magis, quam legibus explendis; eò tamen magis, quod Ordinis leges violare, transgressoribus impune, ut plurimum fit: id quod haud dubiæ laxitatis indicium, & probationem præbet: nam & delicta omnia, quam longissime à sanctissimis licet Ordinibus abesse, maxime arduum. Natura hominum semper, & ubique eadem: se majorem in Ordine Regulari probat, sæpissime sibi imperat, legibus obstricta, sæpius virtute vincit: sed aliquando insitis affectionibus victa succumbit: hoc amplius & Ordo præstat in primæva institutione vigens, ut delinquentem corrigat, & delictum quodcumque pœnis, aut omnino ablegetur, aut inter densissimas tenebras, tanquam horridum spectrum ab aliorum aspectu, nedum contubernio, aufugiat: unde D. Bonaventura solidissime deducit, ex eo distare Religiosum Ordinem institutionis suæ tenacissimum custodem, à remissiori: in altero enim crimen, si quod admittitur, ne alii corruant, è vestigio, & ad belli, ut dicitur, morem, salutari castigatione eluitur; contra in laxo Ordine, aliorum exemplo alii corruunt,

ruunt, in communi, & late graſſanti peſtilentia, peccant, ut cum turba cadant, & hoc ideo, quia leges ſilent, deterius, quia legum Præſides, intelligunt, & connivent.

Prior Ordinum differentia.

LXIV. Ex hactenus hoc Libro traditis de Ordinum diverſitate, inſtitutione, fine ipſo, contractiorem eorundem diſtinctionem ſubdam, quo religioſi ſtatus perfectio, uſuſque ex eadem differentia clarius noteſcat. Et prior quidem affirmanda, quæ ex utriuſque ſexus diſpari conditione exurgit, virorum ſcilicet, & fœminarum: non quod re vera, ſexus conditio ſpecificam aliquam religioſi ſtatus differentiam inferat: ſed quoniam multa ſunt in Monialium Monaſteriis, quæ à Monachorum legibus diſcrepant: omitto hic antiquiſsimum illum Virginum Deo dicatarum morem, quo in paternis ædibus religioſam vitam eæ profitebantur, adeo ut per veram trium ſubſtantialium votorum profeſsionem emitterent. Obedientiæ voto, de quo poterat eſſe difficultas coram Epiſcopo nuncupato, & eidem ſubjecto, juxta ſanctioris diſciplinæ leges. Potiſsima inter utriuſque ſexus ſtatum differentia deprehenditur, è munere, quod omnino idem in Monialibus ſubſit, neceſſe ſit, vitæ nempe contemplativæ ratio; nam & actuoſæ, quæ viris ineſt, aut nulla prorſus, aut quæ propenſione quadam, & in ſpeciem tantum ſe exhibet. Rerum divinarum meditationibus vacare debent, cujuſcumque Ordinis regulam ſequantur: neque ex eo, quod in Benedictinum Ordinem, aut Dominicanum adſcitæ, & quemcumque alium, qui maximo intervallo ab alio diſtet, eandem vitæ differentiam ineunt, & ſi Benedictinæ quidem fuerint, vel Ciſtercienſes vitam contemplativam arripuerint, actuoſam vero ſi Divi Dominici, vel Divi Franciſci inſtitutum complexæ ſint: diſcrimen penes veſtium colorem, uſumque auſteriorem, aut mitiorem vitam, reliquaſq; leges, ut immotus ſemper in omnibus maneat, vitæ contemplativæ finis. At Regularibus Viris conditio alia, & pro ſuo inſtituto, contemplativa, activa, vel mixta: quæ diverſa vitæ ratio efficit, ut plurimum alius ab alio Ordine ſemoveatur, & in ſpecificam differentiam, abeat, Neſcio tamen an ex capite alio, re-

li-

ligiosi viri, à Monialibus discrepent, nisi quod Monialibus dari consueverit, flammeum illud solemne, seu velum consecrationis cæremoniis multis rite oblatum, in virginitatis insigne, de quo in antiquioribus Conciliis illustris mentio, ut *Cap. de Votis*, *Cap. Virginis* 20. *q.*1. cujus veli singularis propemodum prærogativa censetur, ut neq; Viduis, neque aliis Monialibus utcumque tribuatur, sed tantum virginitatis florem illibatum custodientibus, quæ probatæ diutissimè fuerint, ne ætatis lubrico, tam insigne decus minus maturis moribus servasse ferantur: quamobrem Concilium Agathense, ante quadragesimum ætatis annum prohibuit hujusmodi velo donandam; neque juxta alia Ecclesiæ jura, nisi in solemnioribus anni diebus: quamvis deinde Alexander Tertius in Concilio Lateranensi eandem consecrationem diebus Dominicis indulserit *Cap.* 1. *de Tempor. ordin.*

LXV. Altera Ordinum differentia est, quæ in Clericalem, & Monachalem distinguitur: & utrumque genus hoc, patet ab Ecclesiæ exordio, suas institutiones auspicatum, ex jis, quæ superius delibavimus: quia tamen divina gratiarum genera Apostolus Paulus divinitus dispensanda edocuit, religiosam perfectionem uno eodemq; modo non omnibus fuisse observatam crediderim, sed alios ad Ecclesiarum ministeria aptiores se obstrinxisse, alios vero in pacatiorem vitam extimulatos, secessum coluisse. Hinc utriusque vitæ clericalis scilicet, & monasticæ diversitatem intueri licet, ex ipso nomine: Clerici enim nomen, Ecclesiæ ministerium designat, hoc est dominicam portionem, cui alligatur, è suo, quo fungitur munere: Monachi autem vox solitariæ vitę sibi potissimum vacantis industriam, ac conatum omnem exprimit. Et re vera Apostoli, Regularium antesignani, toti in Ecclesiarum solicitudinem incumbentes, Ecclesiastica ministeria, Evangelicam prædicationem, Ethnicorum ad Fidem conversiones, nuper conversorum constantiam, per Urbes, Provincias, Regna adhuc remotissima peragrationem, solitudinis studio præponebant, malebantque vinculis, & carceribus mancipari, dummodo muneri publico insi- *Altera.*

insisterent, quam ab instituto, paululum, ut sibi solum, consulerent, desistere. E converso autem, quos novimus primos, in alteram institutionem migrasse, subsidia petenda duxere, ubi dulcissimum illud divinarum otium, contemplationemque exciperent: & quia in id valde conducere arbitrabantur, in sylvis se condere, lubentius sibi morem gessere: unde etiam factum, ut & austerius viverent, contemptis urbium commodis, quibus & in urbibus commorantes Clerici Regulares, status sui decentia quadam trahuntur, ut sibi commune aliquid cum cæteris publico contubernio utentibus, deputent.

LXVI. Tertia Ordinum differentia ex eremitica, & *Tertia.* cenobitica professione petenda, Eremitas dico, ut in status religiosi communionem advocem, non eos, qui suo arbitratu, nullo religiosæ professionis voto emisso, viventes, rudiori amictu, & specie tantum, Monachos agunt: sed illos, qui vere Regulares post cænobiticam vitam per complures annos actam, à suis Prælatis, ut in sublimiorem vitæ contemplativæ aleam se immitterent, impetrabant, & cœlestem prorsus vitam imitantes, à terrenarum rerum perturbationibus abesse omni ope contendebant. Alia cænobitis conditio, quibus ferre multa ex aliorum contubernio, propemodum necessarium. Ingenio, & moribus plerumque natura disiiti, quamvis sociali charitatis nexu devincti, in arenam descendunt, & virtutum religiosarum incrementa, sudoribus, laboribusque intestino adhuc bello perurgente, parant: Atque ut in bello præmia sibi fortiores comparant vulneribus adverso pectore exceptis: neque ulla sine hoste victoria laudem unquam promeruit: ita prorsus Regularium dotes assiduo conflictu probantur, si ad duriora immoti nunquam deflexerint, si Prælatorum imperium non detrectarint, si asperiora contubernalium verba, moresque æquiori animo tulerint, si potentiores affectionum terrenarum impetus, vehementius depulerint, quam ulla titillatione nutare se animadverterint. Hæc autem, qui inter se invicem contulerit, perspiciet profecto quanti facienda sit Eremitarum, ac Cænobitarum distinctio, Quarta sequitur differen-

rentia inter activam, contemplativam, & mixtam vitam sita. Trimembris hæc distinctio Ordines omnes quidem complecti videtur, sed non ex æquo partes queque suas sibi tribuit. Priscis Seculis omnes fere Ordines divinis meditationibus affixi, actuosam vitam uni, aut alteri, sive potius mixtam Canonicis Regularibus intactam reliquerant, qui Ecclesiis inservientes, utramque vitam temperabant, iisque Ecclesiasticis ministeriis, sibi ipsis consulebant contemplationibus, & proximorum adjumento, frequentiori Sacramentorum administratione: Insequentium vero temporum cursu, amplificata latius per omnes fere Orbis partes Christiana Religione, Ordinum, qui ejusdem vitę mixtæ leges amplecterentur, institutiones fructuosiores probatæ, unde plerique postmodum Ordines eidem vitæ se dicarunt, suspiciendo semper Christianæ Reipublicæ æmolumento; qua de re, nostra ætate haud difficile est definire, complures esse Ordines, in Christiano Orbe, & re vera numerosiores, ne celebriores adhuc dixerim, qui vitam mixtam profiteantur, quam qui duntaxat contemplativam, antiquioribus exceptis, aut ex iisdem planè deductis. Actuosæ tantum vitæ affixos paucos admodum reperias, & nescio, an si militares Ordines, qui vere Regulares sint, demamus, alii recenseri valeant, qui non & multum contemplationibus etiam tribuant.

LXVII. Postremam Ordinum differentiam exhibent, Mendicantium Ordines, instituta comparatione ad non Mendicantes. Et sane inter utrumque genus Ordinum discrimen intercedit re vera suspiciendum, si striftim utrumque recolatur: Mendicantes enim nullo modo bona immobilia possidere possunt ex sua institutione, latifundia, prata, vineas, domos, affinesque res, quæ uti Juristę exprimunt, fixam habent radicem: secus autem non Mendicantes, qui non modo hujusmodi bona possidere noscuntur: sed & jura insuper fructifera ut puta, annuos proventus, census, temporalem jurisdictionem, servitutes urbanas, aut rusticas, aliaque incorporalia bona. Abbas in *Cap. Nulli. de rebus Eccles. non alienand.* Sed ejusdem *Quinta.*

ju-

jurisdictionis temporalis capax Monasterium omne esse potest, non modo quia Concilium Tridentinum, jurisdictionem hanc etsi Feudis annexam, cum immobilium rerum jura concessit, nullatenus secrevit; sed etiam quia in hujusmodi jurisdictione, absonum nihil deprehenditur, quod Religiosi, & Ecclesiastici Status conditionem deturpet. Ea ipsa secularia negotia, quæ tractanda plerunque sunt, ut eidem statui minus congruentia, multoque magis judiciariæ rerum capitalium causæ, & sanguinis, per canonicas sanctiones prohibentur ex *cap. Finali ne Cler. vel Monach. in* 6. Attamen, omnia isthæc à religiosis viris abhorrentia per delegatos seculares Judices exercentur, ita ut quam longissime semoveantur Regulares. Temporarium commodum, Monasteria percipiunt, annuosque redditus, qui è Feudis, aut quacumque alia jurisdictione proveniunt; quemadmodum ex antiquissima Ecclesiæ, & Ordinum praxi cohonestantur, junctis simul juribus ex *cap. Cum dilectus de Ord. cognit. & cap. Abbate de sent. & re judic. in* 6. Illud nequaquam hic prætereundum Ordines alios institutione ipsa, alios vero Summorum Pontificum constitutionibus, Mendicantes censeri: qui institutione, & antiquo jure censentur, hoc ordine in *cap.* *Unico* §. *sane de Relig. domib. in* 6. numerantur *Prędicatorum*, *Minorum*, *Augustini*, *& Carmelitarum*. Ita etiam in motu proprio Pii V. Ann. 1567. initium in hæc verba faciente: *Romanus Pontifex*. Sed qui postmodum Summorum Pontificum constitutionibus, eodem beneficio frui dignoscuntur, accedente ejusdem institutionis fundamento, suis etiam locis numerandi occurrent, cum de Ordinum Privilegiis agemus. Sufficiat interim nosse *ex Suar. tom.* 4. *lib.* 1. *de variar. Religion. in genere*, *cap.* 1. Quinam Ordines generatim, sub Mendicantibus comprehendantur, & quonam perfectionis gradu. *Possumus autem*, inquit, *in communi distinguere Religionem mendicantem, in eam, quæ nullum dominium bonorum, tam immobilium, quam mobilium, vel se moventium, vel in communi, vel in particulari admittit: & eam, quæ licet, bona immobilia, vel redditus non admittat, bona tamen mobilia in communi habere potest: Priorem paupertatis, seu mendicitatis gradum,*

pro-

profitetur sacra Minorum Religio, quæ quoad conditionem hanc potest dici primatum habere inter Mendicantes, quia maximam, & arctissimam paupertatem, quoad bonorum dominium profitetur, juxta cap. Exiit de Verb. signific. in 6. & Clement. Exivit eodem Tit. Aliæ vero Religiones mendicantes, profitentur alium gradum paupertatis, & inde quoad usum ejus aliæ differentiæ oriuntur, &c. Hæ sunt celebriores Ordinum differentiæ: sed differentias alias, dant Ordines singuli sua legum, & aliorum munerum diversitate: nullus tamen eam differentiam ab alio discretam conflat, quam rationales Philosophi specificam appellant, sed accidentariam. Eodem enim tendunt omnes, ac singuli; nempe, ut Deo, Summæq; ejus Majestati cultum exhibeant, quoad possunt, maximum, per vota religiosa, Regulares æquè omnes afficientia, & ad Christianam Charitatem exacuentia stimulos: qua de re cum idem omnibus supremus finis, ac scopus sit, iisdemque præcipuis instrumentis, sequitur Ordines ipsos, differentiam nullam inter se specificam continere. Verum quia alii subsidiis insuper aliis, legibus, nec non & vestibus, cæterisque id genus, ad finem, quem diximus, assequendum utuntur, diversos hac de causa Ordines, aliosq; ab aliis differentes distinguimus, in morem eorum, qui, licet non eandem prorsus viam terant, neque eadem gressuum maturitate, in eandem tamen singuli contendunt viæ metam; sola itinerantium diversitas, ex itinerandi modo pendet, quem quisque suum fortasse expeditiorem, putat.

LXVIII. Præter laudatas Ordinum diversitates, sciendum, complures, & præsertim monasticos, & militares, ita inter se discretos esse, ut communionem non modo, sed etiam dependentiam fateantur ab aliquo insigni Institutore, ex Antiquioribus videlicet Basilio; Augustino, Benedicto, quorum Regulam Ecclesia universa acclamationibus, complexa, fovensque libentissime Ordines illos excipiebat, qui licet proprias constitutiones haberent; regularis tamen substructionis fundamentum, in Basiliana, vel Augustiniana, vel in Benedictina Regula collocabant, eidemque deserviebant, sive quod frequentius usur- *Quinam Ordines Basilii Regulæ addicti,*

patur, militare dicebantur, & de D. Basilio res est notissima, tot præconiis celebratas monasticas ejusdem constitutiones per Orientem totum, ut innumera fere ibidem monasteria, institutum illud avidissime arriperent, & quanquam Antonii, Hilarionis, & Pachomii Regulæ, ne dum Palestinam, & Ægyptum, sed Syriam, Mesopotamiam, Persiam, ac remotiora adhuc Regna Monachis compleverint, maxime cum ex monumentis Ecclesiasticis pervulgatum fuerit, & D. Hieronymus tradiderit, Pachomium Regulam ab Angelo dictante accepisse, & ejusdem rei miraculo plurimos ad hoc institutum permotos; nihilo tamen minus, vulgata Basilii regula, fere omnes, nomen regulari vitæ postmodum dederunt, Basilio adhæsere, paucis monasteriis sub D. Antonii regula permanentibus, & nescio an ullum Hilarionis, atque ejusdemmet Pachomii, supersit in Oriente, e primæva illa disciplina: tanta confluentium fuit multitudo, quæ Basilianum Ordinem profiteretur. Sub eadem regula militasse olim saltem Carmelitas, author est D. Antoninus 3. *par. tit.* 16. *cap.* 1. §. 8. *de Carmelitis*. Quamvis alii, in primisque ejusdem Ordinis Chronistę negent, propugnentque Ordinem suis semper statutis suffultum, à nullo alio Ordinum Institutore regulam habuisse. Sed, qui militares Ordines ejusdem Basilii regulam fuerint sectati, paulo obscurius, nisi antiquiores tantum Divi Georgii, & Diví Lazari, quorum alter desiit, alter in D. Mauritii militarem Sabaudiæ Ducis Ordinem, ut dixi, migravit: An vero iidem re vera Ordines fuerint, alii definiant. Quod tamen è religiosis familiis, paucissimę in Occidente sub D. Basilio militarint, eadem recurrit ratio, quam superius dedi, cum per Orientem à Romano Pontifice Ordinem defecisse ostendi, ut propterea timendum fuerit, ne ulla eorumdem Regularium labes Occidentalem Ordinem recens invectum fœdaret.

Quinam Augustini, & Benedicti Regulæ.

LXIX. Plures sub Divo Augustino, & cujuslibet instituti; exploratum, Canonicos Regulares omnes, quamvis alios ab aliis constitutionibus distantes, ejusdem Sanctissimi Patriarchæ Regulam professos. In eo numero percen-

censendi, quos supra memoravimus, Lateranenses, Sancti Georgii in Alga, Præmonstratenses, S. Salvatoris Bononiæ, &c. Ordines item alii, activę, tum contemplativę, tum etiam mixtæ vitæ, Sanctissimæ Trinitatis de Redemptione captivorum, S. Pauli in Hungaria, Dominicanus, Servitarum, B. Mariæ de Mercede, Hospitalariorum S. Joannis de Deo, & tandem ex militaribus, Melitensium, Theutonicorum, S. Jacobi tum in Hispania, tum in Lusitania, ubi etiam viget sub ejusdem Sanctissimi Patriarchæ regula, Jesu Christi Ordo Dominicanorum adhuc constitutiones complexus, aliorumque, quos congerit, enumeratque singulos Tamburinus *Tom.* 2. *de Jure Abbatum disput.* 24. *q.* 4. Addit Tapia *v. Monasteria cap.* 19. sub Augustini Regula, militare quadraginta Ordines. Octodecim tamen militares comprehendit D. Benedicti Regula, ex eodem Tamburino *q.* 5. quorum licet aliquos intercidisse satis constet, in primisque Templarios; complures nihilominus efflorescentes adhuc videmus, Calatravenses, Alcantaræ, Montesiæ, Jesu Christi, S. Mauritii apud Sabaudos, S. Stephani in Etruria, Mercenariorum item in Hispania, Livoniensium, apud Lithuanos, & Polonos. Sed è monasticis Ordinibus, qui eidem Sanctissimo Parenti subduntur, illustriores sunt, Cluniacensis, Camaldulensis, Cisterciensis, Vallis umbrosæ, Gulielmitanus, qui & Montis Virginis in Regno Neapolitano, Cęlestinorum, Silvestrinus, Olivetanus. De Chartusiensibus, laudatus Tapia *v. Monasteria cap.* 41. hæc habet: *Chartusienses, etsi Benedicti Regulam non servent, sed ex propriis regantur constitutionibus, sub ejus tamen patrocinio vivere dicuntur.* Fortasse quia ejusdem Patriarchæ institutum in arctiorem vitæ formam adduxit Bruno eorumdem institutor, & ut erat Urbano II. Pontifici, singulari amicitia junctus, multa ex eo Ordine communia cum suo fecit, enixeque fovit, maxime quia invaluerat eo tempore, & colligimus ex *cap. Perniciosam* 18. *q.* 2. ut non nisi ex aliquo trium prædictorum Institutorum, prima legum in Ordinibus excitandis fundamenta sternerentur; unde cum neq; è D. Basilii, neque è D. Augustini instituto, institutionem

suam, ac regulam, Chartusiensium Institutor Bruno decerpserit, verosimilius est, sub D. Benedicto, aliquo saltem modo militasse, in ipsis Ordinis crepundiis, in quibus etiam Carmelitas instituto Basilii adhæsisse, ante suam peculiarem, quam diximus, ab Alexandro III. confirmationem, conjiciunt nonnulli: ex eodem prædicti Canonis fundamento. Et hæc dicta utcumque velim, citrà nullum horum Ordinum præjudicium.

Et D. Francisci Regulæ. LXX. Quartam deinde Regulam à D. Francisco editam, alii, atque alii Ordines amplexati sunt, consensione, & amplificatione prorsus admiranda; nam cum in humanis rebus, & institutis omnibus adhuc sanctissimis ea sit conditio, ut quæ primum intensiori animorum ardore arripiuntur, remissius lapsu temporis, usuque quodammodo terantur, & negligentia irrepat pretiosissimas usquequaq; res tandem absumptura, conversis semper ad insueta hominum ingeniis ubi usitatiora, naturæ molestiam afferre consueverunt; austeritate sua nihilominus septa D. Francisci regula, & quam paulo mitiorem præstiterant proinde Summorum Pontificum Bullę, novos sibi peperit Ordines, qui primævam institutionem, & arctissimam Parentis sui paupertatem imitari potius maluerint, quam remissionem ullam legibus aliis, & consuetudine alioqui ferendam: quin etiam humanam prorsus fidem excederet, nisi luce meridiana clarius pateret, ut aliàs insinuavimus, eas D. Francisci familias, ubique numerosiores, quò in paupertate austeriores. Huic austeritati se dicarunt, Clareni, Amedei, Minores, Capuccini, S. Petri de Alcantara, Reformati, sive de strictiori observantia, qui Tertiarii, quive alio nomine in ejusdem regulæ communionem adscitos se volvere. Ante Leonem X. Reformationes omnes (tanta erat regulæ consentio) sub unius Moderatoris Generalis regimen coalescebant: Is prior Pontifex extitit, qui ut dissentiones aliquas componeret, præter Conventualium Moderatorem Generalem, alterum pro Minoribus de observantia, ab iisdem in posterum deligendum decrevit. Idem juris postmodum ad Capuccinos eo Ordine instituto, manavit, ut pro-

proprium sibi Generalem, præfinito tempore, crearent; qua tamen Moderatorum, ac dispensationum diversitate non obstante, Seraphicæ Regulæ consensus, & paupertatis rigor in omnibus præclare viget, & subdere libet, quæ doctissimus Suarius paulo superius laudatus *cap.* 7. in idem roborandum argumentum adnotat his verbis: *Sed hæc diversitas non tollit Religionis unitatem saltem specificam, ut sic dicam: nam numericam, & moralem aliquo modo auferre videtur, quia saltem unitas capitis, seu Generalis non retinetur. Non tamen hoc indicat imperfectionem instituti, sed potius arduitatem, & difficultatem, quam mirum non est, in tanta hominum multitudine, non ab omnibus æquè servari, & adamari, sed illud potius magna laude dignum est, quod tot sint, nunquamque desint illius perfectionis zelatores: quanquam fieri potest, ut qui dispensatione illa, circa paupertatem in communi, uti voluerunt, non remissione animi, sed bona intentione, & probabili opinione moverentur ad majorem spiritus quietem, ac securitatem id conferre existimantes: sicut aliæ multæ Religiones mendicantes, sibi expedire judicarunt, nec ob id creduntur à perfectione defecisse: quia paupertas per se non est regula perfectionis, sed quanta, & qualis ad perfectionem magis deservire potest.*

LXXI. Disquirendum ultimo loco, de Regularium transitu de uno in alium Ordinem post solemnem professionem emissam, ut ex eodem capite, religiosorum Ordinum, de quibus hic sermo, varietas, atque concentus eo utilius comprobetur. Quod se primum exhibet est. An plerumque hujusmodi transitus expediat; & nequaquam passim expedire, è multiplici capite, liquet, nempe ex ipsa Regularium professione, ex Ordinis detrimento, è Constitutionibus Apostolicis, demum è Patrum authoritatibus. Quod Regularium professionem spectat, ex vi professionis suæ quisque Regularis tenetur perseverare in eo Ordine, in quo semel professionem emittit: nam & peculiare Ordinis votum, cum reliquis aliis tunc emissis, intime connexum est, ut si alia, eo transitu, sarcta, tectaque in alio Ordine permanerent, Ordinis tamen peculiaris votum, violaretur: & ab eodem Ordine abscedere perinde esset, ac solemni suæ professione contraire,

De transitu faciliori de uno in alium Ordinem.

re, eandemque, ut ita dicam, discindere. Præterea levissimi animi argumentum, vitæ arctissimo vinculo susceptæ propositum mutare, & imbecillioris ventriculi more, solidioris substantię cibum, cum propius in vitalium spirituum instaurationem vertitur, vomitu rejectare. Ordini deinde detrimentum subest, non modo, quia ex hoc faciliori transitus aditu, quacumque levi causa, cæteros intra Ordinem, aut saltem non paucos, subducendi se etiam cupido pervadit: sed externis obtrectandi ansa, ac Ordinem carpendi substernitur, aut odio, aut amore multarum partium studia in diversas sententias conflante, quæ integram Ordinis existimationem nunquam fovent. Sed Summorum Pontificum Constitutiones, quamvis hujusmodi transitum indulgeant, eas tamen conditiones, quò licitum faciant, apponunt, ut nonnisi raro, & gravioribus de causis faciendum decernant: quemadmodum infra patebit. Accedunt Patrum, & Theologorum authoritates huc etiam trahentium illud Pauli Apostoli 1. *Ad Corinth.* 7. *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*, & paulo post: *Unusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum.* Cum igitur religiosa nuncupatio ad certum Ordinem, aliquos arctarit, non potest moraliter quis absque periculosiore salutis suæ dispendio temerè ab eodem dimoveri. Perspicuè Bernardus *lib. de Præcept. & dispens. cap.* 20. *Forte vult*, inquit, *aliquis de Cluniacensibus institutis ad Cistercienscium se se stringere paupertatem, eligens præ illis nimirum consuetudinibus magis regulæ puritatem. Si me, consulit, non consulo, si non, sane id sui Abbatis usurparit assensu.* Nec secus D. Basilius senserat, qui *cap.* 34. *in Constit. Monast.* quamcumque temere arreptam à suo Ordine migrationem, *summam confusionem*, appellavit, *dissolutionem, atque perversionem spiritualis ædificii.* Duas sane rationes inculcat D. Thomas, quibus improbare videtur faciliorem hanc transeundi voluntatem 2. 2. *q.* 189. *art.* 8. *Tum quia*, inquit, *ex hoc plerumque scandalizantur illi, qui relinquuntur; tum etiam quia facilius proficit aliquis in Religione, quam consuevit, quam in illa, quam non consuevit, cæteris paribus*, subditque rationi robur, ex Abbatis Nestorii judicio

apud

apud Cassianum *Collat.* 14. *cap.* 6. in hunc modum: *Impossibile namque unum, & eundem hominem simul universis fulciri virtutibus: quas, si quis voluerit, pariter attentare, in id incidere eum necesse est, ut dum omnem sequitur, nullam integrè consequatur.*

LXXII. Atque hæc, de nimia, post professionem, ultro, vel inordinate ad alium Ordinem transeundi facilitate: secus affirmandum, cum necessitas, vel major assequendæ perfectionis occasio transitum suadet, & jura permittunt honestioribus tamen confiniis: quam etiam sententiam tuetur S. Thomas ibidem laudatus his sane verbis: *Potest tamen aliquis laudabiliter de una Religione transire ad aliam triplici ex causa. Primo quidem perfectioris Religionis, quæ quidem excellentia, ut supra dictum est, non attenditur secundùm solam altitudinem, sed principaliter secundùm id, ad quod Religio ordinatur: secundario vero secundum discretionem observantiarum, debito fini proportionatarum. Secundo propter declinationem Religionis à debita perfectione, &c. Tertio propter infirmitatem, vel debilitatem, ex qua interdum provenit, quod non potest aliquis arctioris Religionis statuta servare, posset autem servare statuta Religionis laxioris.* Circa postremam hanc rationem ex mente Angelici Doctoris, gravioris adhuc corporei morbi evitandi gratia, transitus esset permittendus, veluti si quis, in arctiori Ordine, cui se antea devoverat, per professionem incipiat morbo periculosiori laborare, quam spes ulla pristinæ valetudinis recuperandæ adsit, nisi ab eo vitæ instituto penitus recederet, & in contrarium abiret vitæ modum, quod certe nequiret in suo Ordine, citra aliorum scandalum, vitæ suæ jacturam, suique Ordinis detrimentum. Ejusdem sane rationis vi ad eandem profecto necessitatem referendas ducerem, majoris momenti molestias, publicum videlicet, & injustum aliorum odium, atroces, & frequentiores insectationes, religiosę, non autem inanis, & secularis potius tumoris redolentis, existimationis jacturam, proximaque his alia. Etenim, cum isthæc omnia, & vel singula in communi omnium, & Regularium adhuc judicio æstimentur, præ rebus aliis valetudinem spectantibus, & nemo sit, qui non potius

De ejusdem transitus necessitate, vel utilitate.

vitæ,

vitę, quam honoris sui, & honestissimi status jacturam libentius ferat, si ad hoc, ut vitam tueatur quis, licitus sane censeri debet transitus, multo honestior censendus erit, gravioris incommodi declinandi causa, potissimum, cum in suo Ordine ejusdem tuendi spes nulla, vel maximè ardua affulgeat.

Ad perfectiorem Ordinem licitus est transitus.

LXXIII. Ne tamen suo quis judicio obstinatius, quam æquius hæreat, usitatum semper in Ecclesia fuit requirere transitus facultatem à moderatoribus, justis quidem propositis causis, ad temeritatis, levitatisque inordinatioris notam effugiendam, ac conscientiam in æquiori lance statuendam. Et quidem cum potestas in monasteria, & Regulares, ab Episcopis exercebatur, horum consensus requirebatur, quem puto suapte authoritate, præeunte tamen rationum pondere, & monasterii Moderatoris, ubi recipiendus esset, qui migraret, voluntate, ad id muneris valuisse. Quibus enim olim professione Regulares exolvendi facultas inerat, ut suo loco vidimus, multo magis de uno in alium Ordinem transeundi, suo jure potestatem facere poterant. Ordinatiores deinde leges à Summis Pontificibus, pro institutis omnibus Regularium manarunt. Et primum ne absque ulla legitima causa Regularis quicumque ab Ordine, in quo professus est ad alium transire posset, sive laxioris, sive æqualis, sive etiam strictioris institutionis esset. *Cap. Joannes de Regular.* Ne injuria irrogaretur Ordini, cui jus jam quæsitum in alumnum suum professum, & ne insuper idem Regularis, votum suum inane quodammodo redderet, cum propria authoritate, priorem professionem in aliam commutaret: si vero non prætextu aliquo, sed solidioris perfectionis studio, Ordinem perfectiorem peteret, dummodo conditiones Pontificio Jure statutas adimpleret, Summus Pontifex indulget *Cap. licet de Regular.*, in quo declarat Pontifex, non obstare antiquiora privilegia Ordinibus concessa, ne ipsis invitis, arctioris etiam Religionis obtentu, possent professi ad alium Ordinem transire: quia, ut ibidem subditur: *Quia tamen ubi Spiritus Dei est, ibi libertas, & qui Dei Spiritu aguntur, non sub lege sunt, quia lex non est posita justo ea ratione*

vi-

videtur hoc illis fuisse concessum, ne quis ex temeritate, vel levitate in jacturam, vel injuriam sui Ordinis, sub prætextu majoris Religionis ad alium Ordinem transvolaret, sicut à multis constat ergo præsumptum, non quidem, ut ei transeundi licentia denegetur, qui eam cum humilitate, ac puritate duxerit postulandam, ut non fictè, sed verò ad frugem melioris vitæ valeat transmigrare. Quandocumque igitur regularis, amplioris perfectionis desiderio flagrans, cum ea animi demissione, quam, par est in Prælatum suum, cui juxta Ordinis leges, hujusmodi consensus reservatur, à subdito deberi, mentem suam aperit, nec Prælatus temeritatem ullam, dolum, aut levitatem, in petente subesse perspicit, potest libere transire, *non obstante*, additur in prædicto *Cap. proterva indiscreti contradictione Prælati, quia privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate.*

LXXIV. Sed insurgit hic gravissima difficultas, quinam censendus sit perfectior Ordo, cui jura indulgent transitum ex alio, ex vi ejusdem capitis? desumenda ne instituti perfectio, è proximo ejusdem fine, contemplationis, aut exercitationum erga proximorum salutem, an potius è vitæ tantummodo austeritate? Proximum Ordinis finem spectandum docent plures Theologi è D. Thomæ doctrina superius tradita, Sylvester, & Tabiena in *v. Religio cum aliis*. Suffragari videntur, & ratio, & jura alia; ratio quidem, quia in ordine ad intentiorem perfectionem maximè commendatur altioris vitæ profectus; cum vero hujusmodi progressus possit altius assurgere ex altiori, quem diximus vitæ mixtæ fine, sanctior proinde, ac perfectior, quam se ipso austerior, in contemplatione tantum defixus, reputandus Ordo est: Robur sententiæ addunt jura quæ allegantur in *Cap. Mandamus. Cap. Nullus. Cap. Statuimus* 19. *q.*3. In his enim inhibentur Canonici Regulares, ne se ad monastica instituta transferant, strictioris adhuc Ordinis obtentu; unde ratio strictioris Ordinis sufficiens fundamentum non præbet, quin ad sanctiora instituta convolare valeant Regulares, quamvis non austeriora, ex Pontificia dispositione in superiori *Cap. licet.* Hæc Theologice prorsus asserta, nequaquam tamen evin-

Perfectior Ordo, qui est austerior.

cunt, quin in oppositam sententiam abeant Pontificii Juris Interpretes, quibus, meo quidem judicio, in hac materia, major fides adstruenda: *Nos Canonistæ*, inquit Joannes Andreas in *Cap. Sane. De Regularibus, non ponderatis his subtilitatibus, solum animadvertere solemus, ubi sit arctior, strictior, durior, aut severior modus vivendi. Unde in cap. licet de Regular.* dicitur: *De arctiori vita, & sanctiori, ad quam licet transire è laxiori: Etsi in una Religione sit sola contemplatio cum arctissimo vivendi modo, possibili tamen sine proficiendi modo, non admittemus transitum ad Religionem, in qua viget contemplatio, actio, vel etiam contemplationis officium, cum laxiori vitæ instituto, quod tamen Theologi admitterent*. Accedit & ratio satis congrua pro arctiori Ordine: nam & is censetur fortasse tutior, ubi minus periculi, ac laxitatis irrepit, ut propterea vitæ modus ad Sanctitatem fructuosiùs conducat, quam Ordo quicumque alius, quamvis proximorum saluti salubrior, suoque item fine sublimior. Neque quod Canonicis Regularibus transitus olim inhibitus ad monasticas familias fuerit ex allegatis juribus, sententiam hanc, ejusdemq; robur infringi dicendum; sed leges illæ prodiere, cum monastici Ordines ut plurimum laicis, & nullo pacto sacris initiatis constabant: unde turpe admodum ducebatur, Sacerdotes, atque Ecclesiasticos Ministros, in laicorum numerum, ac societatem rejicere, communem aliorum salutem, & Ecclesiastica alia ministeria ad privatum quorumdam commodum pertrahere: Id quod satis insinuasse visus est Innocentius III. in prædicto *cap. licet*, in quo, prohibet, ne hujusmodi transitus extendatur, ad eos, quibus Animarum, & Ecclesiarum cura commissa est, ne suis idoneis Ministris Ecclesiæ destitui viderentur, arctioris instituti, quocumque quæsito colore.

Ad Ordinem Carthusiensem transitus.

LXXV. Ex qua sane austeriori vita in Ordine, nec dubia, nec à primæva sua institutione remissa, quoad transitus permissionem, effectum, ut omnes fere Regulares, & cujuscumque Ordinis existant, possint petita prius à suis Moderatoribus facultate, migrare ad Carthusiensium Ordinem. De hac praxi nemo dubitat, quemadmodum & quod Canonici Regulares, & Regulares è Mendi-

dicantium Ordinibus æquè transire possint. Nam Constitutionibus Sūmorum Pontificum in probandis Ordinibus, aut in jisdem muniendis, cum inter cætera privilegia, quæ concedere assolent, hoc etiam addant, de non permittenda hujusmodi transitus facilitate, excipi semper consuevit prędictus Ordo Carthusiensium, & Martinus IV. in Extravaganti, quæ incipit, *Viam ambitiosæ*, quamvis severe inhibuerit, & sub pœna excommunicationis per Pontificem ipsum absolvendæ, ne regularis è Mendicantium Ordine quocumque admitti, ac recipi valeat in Monachum, vel in Fratrem alicujus ex Ordinibus monasticis, vel Canonicorum Regularium; semovit tamen, & liberum accessum ad Carthusiam patere voluit. Idem juris statutum fuerat in Societate nostra ex Bulla ultima Pauli III. *Licet Debitum, &c. At inhibemus*, & ex aliis Pii IV. & Pii V. *Æquum reputamus*. Verum limitationem aliquam adhibendam vivæ vocis oraculo postmodum idem Pius V. censuit, ut transitus hic intelligeretur pro una vice transeuntis, qui si intra tempus professionis in eo Ordine emittendæ pœnitentia ductus perseverare nollet, regredi ad Societatem teneretur, & nequiret amplius ad Carthusienses migrare, sub præfatæ censuræ vinculo. Eandem paulo post limitationem, eodemque vinculo obsignavit Gregorius XIII. per Bullam aliam hac de re editam, & initium dantem *Dilecte Fili*, prærequisita etiam ad transitum expressa Moderatoris Generalis facultate, ut valde Societatis gubernationi consona: unde qui secus faceret, & petita utcumque facultate, hujusmodi consensum non expectaret, proriperetque se, tanquam Ordinis desertor puniendus esset, in jisdem Apostolicis Literis: *Qui secus fecerit*, verba sunt Gregorii XIII. in laudata Bulla: *In excommunicationem, & alias Apostatarum pœnas, & censuras eo ipso incurrat*.

LXXVI. Verum seclusis his aliisque Ordinum privilegiis, de quibus pressius judicandum à singulis cujusque Ordinis Regularibus circa facultatem obtinendam, aut petendam in aliis Ordinibus, servandi adamussim sunt juris communis termini, legesque, quas pręterire, apostasiæ *Ad transitum facultas quo pacto?*

 la-

labem, vel irreligiosæ contumaciæ, juxta varias Doctorum opiniones, contrahere esset. E' superiori *Cap. Licet*, constat petendam esse facultatem transeundi, à Regulari Moderatore, qui tamen juxta peculiares Ordinis cujusque etiam constitutiones, esse valet non tantum immediatus, sed & mediatus, Provincialis, aut Generalis, cui soli in Societate nostra porrigenda est voluntatis hujusce significatio, & ab eodem expectandum judicium. Cæterum communis hæc petendæ facultatis lex sancita videtur, ut innuit prædictum *Caput Licet*, ne bonum obedientiæ contemnere videatur subditus regularis, & ut intentionis puritas, quod ab omni levitatis macula abhorreat, ritè decernatur. Reluctante tamen Moderatore, nequit subditus statim voluntati suæ obtemperare, etsi juste petierit, & alter paulo asperius, aut injustius denegarit, sed debet tamdiu transitum differre, quousque legitimo tempore ad decernendum elapso, explorata sit denegatæ facultatis injustitia. Si vero dubitatio suboriatur sitne justa Moderatoris in denegando constantia, an morosa potius animi obduratio, sufficeret, hujusmodi subterfugia palam probare, ut sui transitus rationem, cum maxime expediret, redderet. Non raro iidem, qui transituri sunt, moras nectunt, dum curas curis augent, & difficultates ex aliis difficultatibus serunt. Præterea alii ejusdem Ordinis Regulares socii indigne ferunt diu inter ipsos versari, à quo tam anxiè deseri antea gravate tulerant: hinc tempus à Moderatoribus præfiniendum, in quo, propositis, & expeditis petitionis rationibus, quantocyus Ordinem alium petat; addita adhuc comminatione pęnæ si ulterius differat, carceris, jejuniorum, &c. Nec non excommunicationis, aliarumque spiritualium coercitionum. Quæ ratio temporis præfigenda sit, è cujusque Ordinis consuetudine pro suis subditis, attendenda, quam justam, & negotio gerendo opportunam, consonum est fuisse inductam, & plerumque servandam, nisi obstent in his circumstantiis, alia impedimenta eorumdem Moderatorum prudentiori examini subjicienda. In Societate quidem pro transitu ad Ordinem Carthusiensem tres

men-

menses statuuntur, & pro Ordinibus aliis, Moderatoris Generalis authoritati statuendum relinquitur, ut pro libito illum terminum producere, aut contrahere possit. Admonent Doctores non è jure aliquo, sed è prudentiæ legibus, ne Ordinum Prælati, regulari subdito transeundi facultatem tribuant, antequam norint, alium Ordinem jam paratum ad excipiendum, admittendumque transeuntem, neque aliud quidquam obstare, quo minus is executioni suam voluntatem mandet: nam alias, evagandi occasiones, & alia incommoda in utriusque fortasse Ordinis detrimentum pullularent, juxta Innocent. aliosque Juris Pontificii consultos in *Cap. ult. de Renuntiatione*.

LXXVII. Hactenus de transitu ad arctiorem Ordinem, quibus legibus, qua item moderatione fieri debeat. An vero idem prorsus affirmandum sit, cum migratio facienda esset ad ęquè arctum Ordinem, gravior hic difficultas emergit. Et Abbas quidem in *Cap. Licet*, sæpe laudato existimat jure fieri posse, si Episcopi adsit consensus, & adsit legitima, & justa causa, qua sublata, locum tantum esse Summi Pontificis auctoritati, ac dispensationi. Mihi tamen, tanti viri pace, nequaquam probatur hæc opinio: primum, quia videtur inniti juribus proxime allegatis, quæ tantum de transitu ad perfectiorem Ordinem loquuntur, unde authoritas major concedentis accedere debet, in ęquè arcto, quam sit, ea quæ proxime exigitur ad arctiorem. Sed si *Closſa* in *Cap. Non est. De Regular.* & in *Cap. Cum singula. De Præbend. in* 6. videatur indulgere, illud idem, quod sentit laudatus Panormitanus, nescio tamen quo alio juris perspicui fundamento niti possimus, ut hoc idem fateamur, nisi ad Romani Pontificis auctoritatem, quoties opus fuerit, confugiamus in praxi tam obscura, sæpe tamen recurrenti; nam præter obscuram, & ambiguam prædictorum jurium interpretationem, & si quæ alia in medium afferri possunt, non video cur Abbas exquisierit Episcopi consensum, cujus nulla, præsertim de hac re, in Regulares ut plurimum exemptos ordinaria jurisdictio: potuit nihilominus definire aliquid, juxta antiquiora jura Episcoporum, cum Regularium exemptio

De transitu ad Ordinem æquè arctum.

pau-

pauca tantum monasteria attingeret. Difficultas augetur amplius ex eo, quod incertum propemodum in ferendo judicio, & periculosum adhuc sit, quinam Ordo censendus sit æque arctus collatione cum suo instituta. Non enim privatum id migrantium judicio definiendum, neq; ejusdem disciplinæ Regularibus, qui licet laxius quodammodo viverent in communi externorum existimatione, nunquam suum Ordinem laxiorem fateri auderent; quade re ut ambages omnes tollantur, ac de reliquo vitæ cursu tutius migrantibus consulatur, Summo Pontifici semper hujusmodi transitum decernendum censeo, nec quidquam in Ordine proprio judicio statuendum.

Ad laxiorem quibus de causis.

LXXVIII. Porro id apertissimi in hac materia juris, inhiberi transitum ad laxiorem Ordinem, citra Summi Pontificis dispensationem; & apertissima adest quoque ratio, petiturque è voti religiosi vinculo, cujus commutatio, ut in cæteris etiam votis fit, in aliud pietatis opus sanctius, vel ex æquo, recidit voto priori respondens; cum vero nulla alia Potestas, Pontificia inferior, commutare religiosæ professionis votum valeat, ex explorata omnium Theologorum doctrina, communique insuper Ecclesiæ usu, nulla item alia potestas transitum hujusmodi relaxare poterit, quod strictissimum commutationis genus esse, ignorat nemo. Universæ Ecclesiæ sanctiones ad strictiorem Ordinem transitum indulsisse, è superiori doctrina liquet: ad æquè arctum, affirmare tuto non auderem, ad laxiorem, nemo dixerit. Restat unicum Pontificiæ authoritatis solamen pro Regularibus ægerrimè sui Ordinis leges ferétibus. His vero, ut dispensationem salva conscientiæ tranquillitate obtineant, opitulari debet urgens ratio, quæ tanta sit, ut graviores sive animi, sive etiam corporis ægritudines transitu impetrato discutiat, atque ad pristinam tranquillitatis stationem, perturbatum tempestate animum revocet. Ita perspicue Divus Thomas, ut nuper exposuimus, cum inter cæteras transitus liciti rationes, tertio loco seposuisset, corporis ægritudines, quibus nequiret regularis, sui Ordinis arctioris statuta servare, posset autem laxioris, & in hoc tertio casu

sub-

subdit, necessariam esse dispensationem, quę cum à nullo alio inferiori Præside impetrari valeat, Summum Pontificem exorandum inculcat. Excipiendus tamen Ordo aliquis, cui ipsemet Pôtifex potestatem hanc delegarit, quoad ejusdem subditos, causa transitus prius cognita, probataque, ut in Societate nostra ex ejusdem Pontificiis Indultis, & præsertim ex Bulla Gregorii XIII. edita Anno 1582. & incipiente *Cum alias*, in qua Præposito Generali conceditur, ut possit Societatis Professos Ordini graves in alium Ordinem adhuc laxiorem remittere his verbis: *Nos Societatis puritati, atque incremento, emissorumque pro tempore saluti consulere volentes statuimus, ut in perpetuum liceat dicto Prępofito, quos judicaverit ab ipsa Societate emittere, eosque de ipsius Prępositi licentia, non tantum ad Carthusiensium, sed ad quemvis alium, &c.* Causa igitur prædictum transitum in alios Ordines concedendi, spectare potest, vel commodum Regularis tantum, vel Ordinis, à quo is idem migrat, vel Ordinis, in quem transfertur. Si particulare regularis commodum attendatur, intelligendum est, juxta proxime dicta: & addendum insuper, cum de infirmitate, & debilitate transitum petentis, loquuntur Doctores, non modo de corporis ægritudine, vel gravioribus animi molestiis sermonem esse, verum etiam de ea animi ęgritudine, quæ ex insita regularis hujusce socordia proficiscitur, ut ineptior communi aliorum judicio, ad sui Ordinis onera, legesque explendas existimetur, quamvis tam perspecta hujusmodi naturalis impotentia ante emissam professionem non fuerit. *Suar. tom. 4. lib. 3. cap. 11. p. 22.* Si Ordinis commodum, à quo transit, respiciatur, dimanare id potest, vel ex pravo affectionum habitu, quo regularis in sui odium concitaret alios, ut vix monasterium ullum esset, in quo pacate transegisse, experimento notesceret, vel ex ipsa modo dicta ingenii, naturæque infirmitate, quæ ad liberiorem transitum, non minus Ordinem, quam subditum ineptum, multis molestiis liberat. Hinc interdum accidere potest, ut qui in priore Ordine per socordiam inutilis rejiciebatur, & ad subeunda onera animo, & viribus succumbebat, in commodum cedat no-

vi Ordinis, in quem transfertur, fortasse quia etsi ingenio destituatur, quo pollere in antiquo Ordine ad divinas, humanasque scientias addiscendas, debebat; ad Psalmodiam, aliasque ceremonias Ecclesiasticas rite ministrandas in alio, cæteraque hujusmodi, aptior comprobetur. Hæc ad uberiorem dispensationis concedendæ facultatem. Cæterum si admittamus sententiam *Glossæ* in *Cap.Cum singula de Præbend. in 6.* admitti posset transitus, validus, dummodo à Summo Pontifice adhuc sine rationabili causa concedatur.

Transeuntium onera.

LXXIX. Compelluntur Regulares quicumque sic translati omnia de more peragere perinde, ac reliqui omnes è Seculo ad religiosum Ordinem migrantes, Tyrocinium, eodem fine, quo institutum habemus, ut & Candidati probent Ordinem, & vicissim ab eo probentur, & fortasse diversa vitæ ratio unius ab altero Ordine, acrius pulsare animum posset, legibus fortasse mitioribus tamdiu suetum in rebus pluribus. Expleto Tyrocinio, è tutiori, ac probabiliori sententia quemadmodum ex communi adhuc praxi, professio emittenda altera, tum quia, juxta Navarr. *de Regular.* Regularis in uno Ordine dependentiam nullam habet ab alio, ut utriusque Ordinis alumnus re vera dici possit, tum quia, cum unusquisque Ordo peculiaribus suis legibus muniatur; nisi expressim in eo, professio nuncuparetur, constitutionum, ac legum vis nullatenus arctare videretur, nullo earumdem vinculo per professionem adstrictum. Sed si locum aliquem haberet adversa sententia, esset ubi translatus, in monasterii Præsidem illicò evaderet: ipse nanque regiminis usus, post expletum Tyrocinii annum, tacita saltem professio censenda esset, & emisisse professionem in Ordine, omnes affirmare videntur, quem imperio alumnis ejusdem monasterii præesse vident. In quo administrationis munere, recolendum quod in Clement: *Ut Professores de Regular.* quoad transeuntes statuitur: *Ne Mendicantes, qui ad non Mendicantium Ordines transituri sint in posterum, quive hactenus transiverunt, quamvis nunc Prioratus, vel officia, aut curam Animarum, vel regimen, quandocumque obtineant inibi, vocem,*

vocem, aut locum in Capitulo habeant, etiam si hoc sibi ab aliis libere concedatur, &c. Quodque Animarum curam, ac regimen, nec pro se possint, nec pro aliis exercere. Quidquid autem in contrarium factum fuerit, sit irritum ipso jure, quovis privilegio non obstante. Ex quibus constitutionis hujus verbis liquet, affici Mendicantes Regulares tantum, qui ad monasticos, vel ad quoscumque alios Ordines non Mendicantium se transferrent, non verò qui è Mendicantium Ordine, ad ejusdem conditionis ordinem, vel è contra, qui è non Mendicantium, ad Mendicantium transiret, quod pro praxi quotidiana valde advertendum.

LXXX. Illud de bonis transeuntium disceptari solet, utrum Ordini, à quo recedunt, an alteri, ad quem migrant, acquirantur? De qua sane controversia fuse Theologi, cum Juris Cæsarei, ac Pontificii simul peritis; neq; satis inter se consentire videntur: sed omissis aliorum placitis, & sententiarum tum diversitate, tum fundamentis, negari primum nequit *ex Cap. Statutum* 18. *q.* 1. decerni, Monachi in Episcopum sublecti bona ante Pontificiam Dignitatem acquisita, ad suum Monasterium, ex quo migrarat, pertinere: præcipuum vero dispositionis, & juris hujus fundamentum, ex eo capite descendit, quo per religiosam professionem, abdicat se regularis bonis omnibus, ut quidquid exinde, aut habuerit, aut compararit, monasterio suo, aut Ordinis æmolumento accrescat, non modo quoad dominium, sed etiam quoad rerum usum, nisi quoad hoc ipsum, expressa vel saltem tacita Moderatorum facultas adesset: quamobrem indistinctim omnino affirmandum, transeuntem ad Ordinem alium, nihil secum deferre posse, sibique proprium facere, cum nihil juris in rem ullam acquisierit: si scripta forte demamus, quæ juxta Ordinum consuetudines, probabili satis ratione cum sint additamenta ingenii, doctrineque quędam, & quid accessorium, sequuntur, uti Jurisperiti ajunt: Principale suum, & personam, cujus doctrinam proxime respiciunt. Ita Navarr. *Consil.* 55. *de Regular.* Addit Suar. loco laudato *Cap.* 13. *p.* 10. ob rationem hanc, excusari posse regularem, *si scripta sibi unica*, *&*

Quid de eorumdem rebus?

& singularia, quorum copiam invenire non posset, secum deferret animo restituendi illa, cum primum vel transumptum eorum habere poterit, vel saltem in fine vitæ, si prius absque magno incommodo non potuerit. Hæc, affiniaque alia, ex Ordinum, inquam, statutis expendenda, & quæ Prelati indulgere, negare, & auferre etiam malint, è rebus semoventibus quibuscumque, dummodo fixum illud sit, ad transeuntis dominium, rerum, quibus in priori Ordine is fruebatur, ne usum quidem relinqui, ut sua voluntate transferre, & uti quomodocumque valeat. Plura in eandem materiam, in sequenti Libro dabimus, cum quæ ad paupertatis votum faciant, percurremus. Demum omnia hactenus dicta de Regularium transitu, locum habent etiam quoad Moniales, sed paulo infrequentiorem, cum, decentia status, clausuræ votum, & ratio ipsa suadeat, plura incommoda è Monialium egressu à suis monasteriis consequi, quam Virorum Regularium. Ecclesiæ adhuc usus nos admonet de parciori hujusmodi transitu, qui non nisi ad nova domicilia ex eodem Ordine legibus stabilienda, vel ad graviora Monasterii incommoda abigenda, permittitur aliquando, & ingenti cum difficultate, ne, quod necessitate aliqua, cum una, aut altera fit, in aliarum, eadem sexus infirmitate laborantium, stimulos inardescat. Non negarim, antiquitus paulo usitatiorem hanc praxim in Ecclesia fuisse, & constat in *Cap. Virgines ex Concilio Triburiensi* 20.q.4. in hæc verba: *Virgines Sacræ, si pro lucro Animæ suę propter districtiorem vitam ad aliud monasterium pergere disposuerint, ibidemque commanere decreverint, Synodus concedit*. Sed ipso insequutorum temporum usu probatum, religiosius plerumque fieri, si ibidem Moniales perseverent, ubi professionem suam nuncuparint, quam olim consueverant; sive quia clausuræ votum à Monialibus in professione editum, post Bonifacii VIII. Constitutionem, arctissime eas ab eo tempore detinent.

** **
**

JO:



JO: DOMINICI PUTIGNANI

E SOCIETATE JESU.

DE REGULARIUM INSTITUTIONIBUS

LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

CUm de Regularium legibus hìc agatur, se prospiciendum primum offert Monasterii construendi situs, magnitudo, religiosa familia, quæ, numerosior probatur. Admittendorum ætas quæ? Parvulorum oblatio olim usitata; dein vetita. Puellarum consensus, quo pacto explorari debet. Circa admittendorum ætatem praxis. Gratuita eorumdem admissio, dotes, impedimenta, Tyrocinium, Professio, ejusdemque leges, uti etiam irritatio cum per vim, & metum facta, atque juridicè constans: non ita tamen cum per blanditias, quæ voluntarium non imminuunt. Singulæ Votorum substantialium

leges, & Vota Ordinibus aliis peculiaria. Quæ Regularibus per Tridentinum inculcata? Ad quam culpam Ordinis Regula obstringat? Regularis habitus gestatio, Episcopis adhuc, è Regularium Ordinibus, & Cardinalibus demandata. Regularium clausura sub quibus pœnis? & qua item moderatione? Divini Officii recitatio, Orationum assiduitas, Proximorum Charitas, corporum afflictiones generatim Ordinibus omnibus præscribuntur. Austeriora hæc in austerioribus. Quanta Romanorum Pontificum circa Regularium disciplinam solicitudo?

Monasterii situs.

I. Xaminaturo deinde mihi Tertio hoc Libro, suaque rerum serie prosequuturo Ordinum studia, legesque se primum exhibent Monasteriorum substructiones: nam & ipsæ singulorum instituto respondere, & cæterarum quodammodo rerum simmetriam servare debent. Equidem haud ignoro non eandem Institutoribus arrisisse sententiam: sed pro singulorum studiis, peculiaribus conscientiæ stimulis, ingeniorum adhuc diversitate, aliis aliud stetisse consilium. Insalubrem locum ad domicilium, veluti aptiorem selegere nonnulli, felicius Platonem ęmulati, quò cęlestis philosophiæ Academiam nullis, ne loci quidem illiciis distracti asseclæ excolerent. Eo consilio permotus Robertus Cisterciensium Parens, in imam, & nemorosam vallem se contulit, Molismensem dictam, ibidemque suam, suorumque domum condidit, ut semoto communioris fere aeris, quo vivimus usu, liberiori divinæ auræ reciprocatione, æstuantem animum recrearet, impenseque in momenta omnia attraheret. Quem morem Romualdus Camaldulensium Fundator paulo ante avidissime arripuerat, & in Apennini jugis, à quibus ferę etiam abhorrere videbantur, mansuras ædes statuit. Eundem sequutus Bruno

Car-

Carthusiensium, Gratinopolitanum secessum squallentem, & horrore tantum ipso vulgatum, in deliciis cum sociis suis habuit: nec aspectu, situque mitiorem dixerim alterum, quem postea incoluit apud Calabros, ut in præsentiarum adhuc miraculo, prorsus ducatur, post tot annorum seriem, & celebriorem secessum factum viri sanctitate, & incolarum industria, austeritatem omnem, & horrorem haud penitus deposuisse. Sed aliis haud minus prudentia, quam pietate suspiciendis viris diversa omnino insedit animi sententia: domicilii situs placuit Cœli clementia, suaviori ventorum afflatu, soli amęnitate, cæterisque naturæ beneficiis conspicuus. Hanc opportunitatem, ubi nacti sunt, confestim excepere, & quibus potuere viribus in ædes parandas incubuerunt: nec a ratione absuit consilium; pensitatis enim ipsis religiosæ vitæ austeritatibus, rectius judicatum, viam inire, quam qui aggrediuntur, firmius tenerent, corporis valetudine prospera; quam tuetur mitior Cœli aspectus, & aeris benignitas, eademque animi tranquillitatem excolit, erigitque animum, quem curæ alioqui, cæteraque Ordinis exercitia deprimunt, vel invitum. Qui namque fieri posset, ut insalubri Cœlo, austeriori aliarum rerum externarum usu, accedente, Religiosorum cętui diu per omnes ætatum gradus, diverso corporum temperamento, æqua corporum valetudo successura esset? Frustra divinam opem miraculorum ope expectes, cum humana subsidia in promptu habeas, quibus morbis ingruentibus occurras: nam & ipsa naturæ remedia divinitus collata sunt, ut opportune adhibeas, & quæ declinanda sint, quæve ingerenda, advertas. Salubriori igitur consilio fieri autumo, ut pro Monasteriis condendis Cœli plaga editior, ac salubrior eligatur, ne aeris contagione, aut minus accomodato, tabescat corpus, neve animus, tranquillitate sua quomodocumque per morbos destituatur, docente quotidiana experientia juxta vulgatum Divi Hieronymi effatum: *Asinum, cum lassus fuerit, diverticula quærere*; neque propterea vel levissime antiquiores Patres culparim, qui secus senserint; dandum devotioni, & omnium rerum externarum

con-

contemptui, quod salutem corporis parvi duxerint, dummodo se contemplationi totos dederent, nec sine peculiari Numinis providentia, cursum suum minus prospere peregerint, qui in hanc unam rem intenti, cætera omnia, à seipsis, & seipsos à cæteris omnibus abdicarint: Hæc omnia uti admiranda prorsus: ita commendanda in aliis, qui, prudentia duce, & sibi, & asseclis suis moderatiora omnia decrevere.

An intra urbes.

II. Sequitur & illud, utrum monasteria intra urbium mœnia potius extruenda sint, an longius semovenda, ut hominum conspectum, ac familiaritatem fugiant? communi omnium judicio statutum video, Monachos contemplationi tantum addictos, procul ablegandos ne hominum frequentia à suo proposito interturbari, & tanquam à scopo suo aberrare videantur. Amputandæ occasiones omnes ad Seculi illecebras animum pulsantes, & pene non catenatum, ut ita dicam, pertrahentes, si semel avocaveris in eo studio detentos; diutino veluti somno excitatos, vix ad soporem rursus paratos invenies, cum pellexeris; nunquam retrahes, nisi, ut vehementiori studio exardescant: qui vero actuosæ vitæ sui Ordinis constitutionibus strenuam operam præstant, in urbibus commorari perutile. Urbium propugnacula urbibus adhærent, & quo propiores, eo utiliores; cives tuentur, hostes arcent; & his quidem terrorem incutiunt, aliis robur, animosque addunt: propinquitate Regulares actuosæ vitæ, proximorum saluti prospiciunt, dum quoties opus est, adsunt Sacris celebrandis, Confessionibus excipiendis, concionibus iterandis, divinis semper rebus ministrandis; Apostolicæ demum vitæ formam æmulantur, cum juxta Apostolum, omnibus omnia effici satagentes, nemini desunt diu, noctuque, & in horas omnes. Totos se despondent, comitate ipsa haud parum conducente ad infirmiores pelliciendos, imò potius pravitate sua duriores. Id nos abunde docuit Christus Dominus, præclare agi cum Christiana Republica, si Apostolici Viri desistant nunquam, ut à vitiorum cœno, sordidos homines abducant, atque detergant, cum iisdem versari, & familiarius quodammodo,

modo, aliquando convivari; quo magis pateat, religiosis viris hujusmodi vitæ dicatis conducibilius longe esse, ædes suas intra urbes exædificare.

III. Porro substructiones ipsæ, non tam regularium voventium paupertate æstimandæ, quam piis Christifidelium eleemosinis, in Divinum Cultum amplificandum erogatis: hinc factum, ut austeriorum Ordinum conditores in media eremo, quam incolebant, Ecclesiarum moles opere plane suspiciendo excitare, cum per patronos licuit, haud recusarunt; non quod paupertatis immemores nomen suum, altius efferendum affectarint; sed quod in Divinum, ut dixi, Obsequium impensius cedere eas molium amplitudines crediderint: moderatione tamen servata, semper in ædibus monasteriorum, ut pro vitæ instituto modus haberetur, juxta præscriptas Ordinis leges. Qui intra urbes consident Regulares, paulo ampliores ædes habent, urbium splendori quodammodo consonas, ipso paupertatis voto adplaudente: non enim hujusmodi impensæ in luxum solvuntur, sed hoc præstant, ut Christifidelium pietas, unde erogationes profluxere, magis, magisque emicet; quo sane responso occurrimus Etherodoxis, aliisque idem sentientibus, cum in Ecclesiis, locisque aliis ad pietatem dicatis munificentiam damnant, illud è satyra crudum scomma subdole detorquentes: *Dicite Pontifices in Sacro quid facit aurum?* detorquent, inquam subdole; sed D. Bernardus *Ep. 42. ad Senon. Episc.* eodem scómate damnare tantum intendit Ecclesiasticorum Præsidum nimiam in cogendo auro cupiditatem, & adjicit: *Quam tolerabilius cernitur in Sancto, quàm in fræno?* Cum in meliorem usum, idest in alendos pauperes insumere deberent: Cæterum tantum abest, Regulares delicatiori fortasse victu usuros, ex Ecclesiarum, ædiumque pompa; ut eadem de causa, parcius iisdem sit vivendum, ne Ecclesiis cultus splendidus minuatur, ut quotidiano experimento penes monasticarum rerum conscios patet. Austeriores vero Ordines ab hominum convictu semotiores, angustiora sibi domicilia, & Ecclesias humiliores sibi comparant, potius usui suo futuras, quam proximorum.

Magnitudo.

Con-

Conſpicere licet in hujus rei argumentum Capuccinorum ædes, ex legum ſuarum præſcripto. Hic videas clauſtra in ſpeluncarum ferme modum efformata, ſive potius longum carcerem: vix ternos, ubi latius ſe explicant, admittunt: cellæ anguſtiores, quam ut aliquis ſe volutare bis, aut ter per eas poſſit. Congruit Eccleſia, ut ritè ibidem potius, quam ſplendide Sacra peragantur. Cenſus omnis in horto, quem ſuis manibus colunt, & ſudoribus proventus, unde vivant, exprimunt. Haud multum abſimilis vitæ, & domiciliorum ratio in ejuſdem Divi Franciſci Patribus, è reformatione nuncupatis. His omnibus fortaſſe arctiora penes Divi Petri de Alcantara Sectatores, ut in ſupplicium verti putes eadem neceſſariò ducendæ vitæ commoda.

Religioſa Familia. IV. Inquirendum modo utrum expediat magis in religioſis domiciliis, religioſam familiam, paucorum, an complurium numero coaleſcere, ſpectata Ordinis conditione, ac virtutum incremento: nam utrinque difficultates non contemnendæ, & ad paucorum numerum ipſe loci, urbiſque ſtatus plerumque conducit; alendi Regulares eſſent, vel ex Ordine Mendicantium, vel ſecus, qui communibus videlicet monaſteriorum reditibus viverent; complures Mendicantes, eſto eorum numerus ad triginta circiter referatur, nonniſi ingenti cum difficultate, emendicatis oſtiatim eleemoſinis quotidianum ſibi victum parare valent. Ea eſt enim urbium conditio, ſi paucas in quocumque Regno, aut Principum ditione, & præcipuas tantum demas, ut plures ſæpe familiæ è nobilioribus vix ſibi, unde vivant, magna tamen cum induſtria conſulant: multo igitur difficilius, religioſum cætum, numero utcumq; majorem ſuppetias ſibi omnes ex ſolis civium eleemoſinis, laturum. Accedunt & pauperiores alii, eandem ſibi precariam artem vendicantes, non tantum è religioſis aliis familiis, ſed è populo adhuc, quibus alendis urbs quęcumque illa ſit, ſuccumbere interdum videtur, & ingenue impotentiam fatetur ſuam: ſed ſi Regulares dentur è cenſu monaſteriorum viventes, ex alios forte capite expediret, paucos continendos, ne detrimentum aliquod

Or-

Ordo ex ipsa multitudine caperet, aliorum laxitate, quæ cæteros torqueat, perniciosо fortasse exemplo, omnesq; in vulgus pulsante, perinde ac unius culpa cæteris omnibus maculam appingat.

V. At mihi hæc, multaque alia cogitanti fixa est prorsus sententia in alteram partem pronior, & multiplici quidem ex capite. Primum est, ex arctiori Ordinis disciplina, quæ tunc sanctissimè custoditur, cum suas quisque muneris partes obire nunquam desinit. Has procul dubio cumulate expleri in complurium contubernio, experientia duce, comperimus. Ordinatiora hic omnia, & regularis disciplinæ intentiores nervi; sive quia selectior Præsidum manus, ut pote qui ad id muneris seligantur maturiores, haud minus dotibus, quam annis; sive quia ipsa Regularium multitudo, in Divini Cultus finem coalita, ferre nequeat delinquentes, & vel oculorum acie damnet; cohibeatque infirmiores, ne impune delinquant: sive demum, quia leges ipsæ vim suam totam proferre videantur, & è frequentiori multitudine ampliora præsidia sibi etiam comparare. Utcumque tamen id sit, haud ambigendum, complurium consortium in rebus optimis plurimum valere, quo plurimum authoritatis accedat, quemadmodum, deterius nihil, cum complures è fæce quamvis, ad Rempublicam perturbandam coalescunt: alius alium nedum suasionibus, sed exemplo ipso excitat, & plura sibi licere in multitudine audet, quo plures videt. Contra vero, in Monasterio, in quo paucos numeres, timendum semper, ne legum authoritas viribus excidat suis, ex unius, aut alterius libertate, quæ malis fomitem ministrat, & audacia facile cęteros trahit verius quam vincit, frustra reluctante, aut deterius connivente Prælati dexteritate. Periculosiora exinde scandala, quam si unus, aut alter inter complures impudenter aliquando delinqueret: nam tam vecors nemo, ut si multos viderit morum disciplina suspiciendos, damnandos omnes pronuntiaret, paucorum improbitate: id sane e re proficisceretur, inter paucos, quinque scilicet, aut sex Regulares in eodem domicilio, tres, aut quatuor disciplinæ ex-

Numerosior probanda.

pertes intueri, & quod deterius, peccandi impunitate; quæ malum immedicabile, & extiosum prorsus facit, publico Christiani Populi scandalo.

Et in Ordine Mendicantium.

VI. Quid verò de Regularibus Ordinum Mendicantium sentiendum sit, Christianus Orbis quotidiana suppeditat pietatis suæ argumenta. Oppidum fere nullum est, quod non avide exceperit hujusmodi Regularium cætum aliquem, & vel opipare suis expensis alere non studeat. Haud unquam accidisse narrabit quis, fame interiisse Regularem ex Ordine Mendicantium, parciori fortasse eleemosinarum usu, in jis locis, qui cæteris fortasse miseriores putantur: victus omnibus perinde suppetit, ac si opimis proventibus singula domicilia ditarentur, frequentiori plerumque Regularium numero constituto, quam in monasteriis aliis, quę in eadem urbe reditibus vivunt: quamquam non proinde ab hac divinitus collata prærogativa, secernendam prudentiæ legem arbitrarer, ut cæcis oculis monasteria quæcumque, & alumnorum multitudo, pro libito, non pro rerum, locorumque opportunitate suscipienda sint. Ignarum vulgus, audaces fortunæ impetu impensius adjuvari putat; Sapientes vero Divinæ Providentiæ ductu, non nisi cautiores, & sibi ipsis diffidentes. Ne vero in asserenda paulo numerosiori in monasteriis familia diutius immorer, è nuper delibatis rationibus factum arbitror, ut Sedis Apostolicæ Decretum recentiori hac ætate prodierit, ne de cætero monasteria cujuscumque Ordinis reciperentur, in quibus duodecim saltem Regulares, juxta sui instituti leges vivere commode nequirent. Prior hujus Decreti emanatio Paulo Quinto Romano Pontifice demandante prodiit, & Sacra Cardinalium Congregatio ejusdèm Oraculo, omnibus Ordinibus mature quid facto opus esset in tam præclara religiosæ disciplinæ propugnatione, indixit. Post Paulum Quintum, Gregorius Decimusquintus in idem opus incubuit, rursusque indicendum statuit, ne de cætero qualibet ex causa, sine prætextu quæsito, liceret nova monasteria erigere, nisi prædictus Regularium numerus ex consuetis reditibus, aut eleemosinis sustentari posset. Sacræ

cræ Congregationis Cardinalium Decretum editum est anno 1622. & initium facit ab his verbis *Cum alias*, memoratque insimul constitutionem Clementis Octavi editam anno 1603. de non erigendis monasteriis, nisi prius advocati fuerint aliorum Ordinum Prælati, intra eandem urbem, aut per quatuor circiter milliaria existentium; ut collatione facta, & causæ cognitione discussa, præjudicii sane nihil cæteris inferatur, ex eleemosinis, aut proventibus ibidem perceptis. Ad rem igitur nostram multum confert, quod in prædicto Decreto exprimitur, non modo ampliorem Regularium numerum, nec duodecim minorem procul dubio statuendum, sed & rationem, quæ adducitur, expendendam: *Nempe paucorum Regularium numero, Ecclesias Divino Cultu destitui, & regularem disciplinam conservari haud posse*; non ob aliam sane causam, quam quod Regularibus ad parciorem numerum redactis, legum rigor sensim flaccescat, pœnarum metu magna saltem ex parte sublata, & liberioris vitæ occasionibus adlectis.

VII. Porro, ut gradum ad religiosæ vitæ studia faciam, dispicienda primum ætas ad id vitæ genus capessendum apta; in qua quidem re, non uno semper instituto Ecclesiam processisse, & eosdem Ordinum Institutores, adverto. In monasticarum legum primordiis, post comparatam Christianæ Fidei tranquillitatem, pueros passim religiosæ vitæ in cęnobiis mancipatos, veteres Authores testantur; & cæteris apertius Hieron: ad Eustoch. *de custod. Virgin.*, in qua epistola, dum de Cęnobitarum disciplina multa memorat, hæc inter alia habet. *Vivitur pane, leguminibus, & oleribus, quæ sale solo condiuntur; vinum tantum senes accipiunt, quibus, & parvulis sæpè fit prandium, ut aliorum fessa sustentetur ætas, aliorum non frangatur incipiens.* Causam potissimam parvulos admittendi eam fuisse crediderim, ut iidem nutritio veluti lacte, religiosę vitę fundamentis paulatim solidarentur, seque ab ea ætate devotos, integram sui oblationem Deo gratissimam, holocaustorum ritu facerent. Quæ oblatio, completo septennio, cum ratio deprehenditur, & doli capax quo- *Suscipiendorum ætas.*

 mo-

modocumque illa ætas adest, nuncupabatur, accedente parentum voluntate, sine qua, inanis fere reputabatur spontanea licet parvulorum mancipatio. Hujusmodi parentum authoritas plurimum olim sibi circa rem hanc vindicavit; & non modo sponte parvulos suos dicabant, in ipsa infantia, & antequam alias editi in lucem essent, sed voto, aut jurejurando in id obstringebantur, Templi Hierosolymitani revocato rursus more, cum à parentibus filii, iidemque à teneris dicarentur perpetuo, Divini Cultus in eo Templo, ministerio, quemadmodum Samuelis matrem, celebriori voti nuncupatione fecisse, *Reg.lib.1*, habemus, & aliàs diximus.

De eadem Oblatione.

VIII. Et sane hanc parvulorum oblationem ab ipsis parentibus fieri jure potuisse, tum materno in Samuele Sacramento, tum vetustioribus aliis Ecclesiæ juribus constat. *Cap. Firma, Cap. Quicumque, Cap. Addidistis* 20.q.1. nec alia sane additioni huic semotio dabatur, nisi quam Ordo fortasse ipse, cui alligandus quis esset, præ se tulisset, valetudinis, aut ingenii imbecillitate, ægerrime cum admittendo ferenda. Tanta enim antiquitus inoleverat prędictæ oblationis consuetudo, ut tanquam inconcussa Ecclesiastici Juris regula circumferretur: *Monachum quemcumque, aut propria professione, aut paterna devotione fieri*, ut proinde, quos alteruter Religionis nexus devinxisset, regressus ad Seculum amplius non pateret. *Cap. Monachum* eadem *c.* & *q.* Servatus mos hic in Ecclesia diu quidem, & ad nonum usque reparati Orbis Seculum, & in Benedictino præsertim Ordine passim usurpatum morem, D. Benedicti exemplo, quem Ordinis monumenta testantur, oblatos hujusmodi parvulos, prompte, hilariterque educandos excepisse, quò pietate simul cum lacte imbuti, Ordinis institutum alacrius complecterentur. In hunc modum D. Maurum, multosque alios, qui in Sanctissimos Monachos evaserunt, exceptos. Sed nec aliorum monasteriorum, atque Ordinum Prælati, eundem, parvulos ad regularem vitam educandi morem, refutarunt, tum quia Ecclesiasticis Juribus niterentur: tum etiam quia suis monasteriis, consulerent, excipendo, quos complurium

rium annorum usu nossent, quibus corporis, quibus animi dotibus præstarent, religiosis muniis, quæ à teneris hausissent, haud impares.

Quibus causis abrogata.

IX. Verum temporis progressu, & compluribus in adulta ætate, de sua, suorumque parentum facilitate reclamantibus, cum mature per seipsos deliberandi facultas adhuc adesset, gravissima ea de causa, inter Sapientes controversia prosiliit: num Parentum jusjurandum, aut votum, seipso ad liberos obstringendos firmitatem haberet, cum eosdem Religioni devovissent; propterea quod, qui à proposito abscederent, aliorum arbitrio, non sponte sua, monasticam Professionem injisse asseverarent; & nequivisse parentes gravissimum religiosæ vitæ onus filiis suis, citra eorumdem consensum imponere. Sed nullum re vera ex eo contrahi nuncupandæ professionis religiosæ vinculum Ecclesia postmodum statuit, quandocumque consensum quisque suum, & sponte præbere detrectarit: hinc à nono fere Seculo nova prodiere rationi magis consona jura, quibus cautum, ne religiosa professio aliter, quam ejusdem voventis voluntate validaretur, quemadmodum in Concilio Maguntino definitum *Cap. Nullus de Regular.*, qui sane Canon, licet è Concilio Provinciali primum manarit; neque aliam, quam ipsam Diœcesim, in qua conditus fuerit, affecerit; maximam exin firmitatem per universam Ecclesiam obtinuit, ut ab ejusdem sententia dissentire, à veritate ipsa aberrare jam sit. Quid enim justius, quam arctè teneri ad ea, quæ quisque volens lubens complexus est? quid contra violentius, quam adigi, quo reluctanti animo se immisit, alieno tantum imperio compellente! nihil tam naturale homini, quam libertas, cui nec ipse rerum omnium parens vim ullam irrogandam voluit; neque obsequium parentibus debitum extorquere id potest, quippe quod, quamvis potentius, non tantum est, ut subjectionem, quam Summo Numini debemus, quodammodo vincat. Si igitur Deus Optimus Maximus, qui summo imperio cæteroqui valeret, à nobis nec extorquet, nec exigit; multo minus exposcere debent ab invitis filiis parentes regula-

rem

rem professionem, quæ arbitrii facultatem perpetua abdicatione tollit.

Puellarum consensus probandus.

X. Quia vero timendum maxime erat, ne puellæ cęteræque mulieres sexu infirmiores, metu saltem suorum parentum reverentiali, sed qui ad metum in constantem virum cadentem proximè accederet, in monasteria ingredi, ibidemque professionem emittere, repugnante frustra voventium arbitrio permoverentur, præter iteratas generatim antiquitus ab Ecclesia hujusmodi prohibitiones, Sancta Tridentina Synodus *Sess.* 25, *Cap.* 18. anathemati subjecit: *Omnes, & singulas personas in quacumque dignitate constitutas, si quomodocumque coegerint,* ut verbis ejusdem Synodi utar, *aliquam Virginem, vel Viduam, aut aliam quamcumque Mulierem invitam, præterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem; quique consilium, auxilium, vel favorem dederint; aut quomodocumque scientes consensum, vel authoritatem interposuerint, eosdemque etiam anathemati subjicit, si voluntatem veli accipiendi, aut voti emittendi sine justa causa impedierint.* Casus vero in jure expressi, ut in monasterium aliquando nonnulli vel inviti detrudantur, eos petunt, qui delicti patrati pœnas luere, in vinculis alioqui deberent: at propter generis honestatem, vel Ordinem, in quo sunt, ut cum gravissimè Episcopi plectendi essent, indulgetur intra monasterii claustra detineri. Eodem sane referuntur, de quibus loquuntur jura *Cap. De lapsis*, & *Cap. Episcopo* 16. *q.* 6. Unde fit, simili fere animadversione affici debere mulieres, si graviter eas deliquisse constaret: ex adverso autem nequaquam censuræ huic Ecclesiasticæ ipso jure subjectos censerem eos parentes, qui per tempus aliquod, nec alia fere, quam honestatis causa detinerent, & ut scilicet tutius intra monasteriũ custodienda traderetur puella vel invita, cum eam quidem fuisse Concilii mentem, neque absurde conjiciamus, quæ ingressum in monasterium ad finem, vel suscipiendi habitum, vel vota religiosa emittendi coactum spectaret.

XI. Quamvis igitur libera in vovente post Concilium

Ma-

Maguntinum requirebatur ætas, ea tamen aptior adhuc olim censebatur, quam contrahendo Matrimonio parem Imperiales Constitutiones naturæ ductum sequentes sanxerant in adulta videlicet puella duodecim, in masculo adolescēte annorum quatuordecim. Integrum sane pubertatis tempus in contrahendis nuptiis postulatum semper, & ut Matrimonii finem contrahentes assequerentur proli suscipiendæ commodum, & insuper, ut maximi momenti negotium firmiori judicio perficeretur: quod sane in religiosa professione, cum amplius à proposito resiliendi facultas non datur, suspiciendum enixe fuit: ita quod si ante hujusmodi tempus professio edita esset, tanquam irrita pronunciari jure poterat, liberumque parentibus erat, filios è monasteriis in avitam domum revocare. *Cap. Si in qualibet*, *Cap. Puella* 20. *q.* 2. longe tamen semotior ratio iis, qui religiosum habitum in Insulis suscipiebant: nam victus hic, totiusque vitæ ordo asperior, ex ipsa locorum natura parabatur; unde ab ipsa Gregorii Magni ætate, ejusdemque simul Decreto lex effluxerat, ne ante decimum octavum ætatis annum, quem saltem inchoatum quisque habuisset, monasticam professionem in Insulis nuncuparet. *Cap. Quia in Insulis de Regular.* Ab hac tamen Ecclesiastica Lege, justis de causis immutatum aliquid fuit, quo in re tam gravi consensus maturius subsisteret. Jure nanque novo Concilii Tridentini *Sess.* 15. *de Regular.* statutum: *Ut in quocumque Ordine tam virorum, quam mulierum Professio non ante fiat, quam quis decimum sextum ætatis annum compleverit*. Sed quoad impuberes intra monasteria alendos juxta consuetudinem, de qua paulo superius, etsi nihil idem Concilium innovarit: nostra tamen ætate, Clemente X. Romano Pontifice inhibitum, ne impuberes ante Tyrocinii tempus, veluti candidati in monasteriis ali, & una cum aliis possent cohabitare.

Decreta per Tridentinum ætas.

XII. Disparem omnino praxim pro suscipiendorum conditione servandam in hujusmodi ætate ad Professionem requisita, existimarem: & quemadmodum ego probarem, quidquid secus alii dixerint, eo meliores in Ordine futuros, juniores, qui proximè prædictam ætatem at-

Dispar suscipiendorum ætas.

attigisſent, quos nondum voluptatis ſtimuli captaſsent, ſi ad Sacros Ordines promovendi recipiantur, ita è converſo, laicos ad infima monaſteriorum munia idoneos, meliores, quo ætate, & viribus robuſtiores, qui vigeſimum quintum ſaltem annum attigiſsent. In hanc animi ſententiam ducor, ex ipſa munerum in utriſque ratione. Siquidem qui Sacris initiari, & Ordinis dignitatem, virtutum, cæterarumque egregiarum rerum ſummam tueri debent, à teneris adſueſcant, oportet, ut in voluptatem quandam tranſeant regularis diſciplinæ exercitamenta, conſuetudine roborata; neque quidquam moliantur quod lubentiori animo non præſtent; At qui ad inſerviendum admittuntur, & ad laborem conditione ſua, naturaque veluti facti, ſi multo juniores excipiantur, ætatis lubrico laborem detrectant, commoda aucupantur, evagandi occaſionibus è ſuorum miniſteriorum uſu blande ſubrepentibus. Ætate vero, quos diximus validiores, ſuſtentandi ſe ſuo labore in Seculo neceſſitate preſſi, judicii adhuc maturitate ſaniores, cum ad monaſteria accedunt, & ad monaſticam profeſſionem, facilius quid præſtandum ſit, expendunt, operamque ſuam, uſu, judicioque probatam deſpondent. Sententia hæc adſtipulatur magis, Sacræ Congregationis Cardinalium negotiis Regularium præpoſitorum Decreto, quo laicos, ſive vulgo converſos inhibet, recipiendos intra monaſteria, niſi viginti ſaltem annos habuerint; ut inde pateat, reipſa prçclare cum Ordine agi, ſi ætatis ſemper ratio cum utroque juniorum genere habeatur; quamvis ſecus aliquando, perrarò tamen faciendum ultro putarem, cum oblato magni nominis in Seculo viro in Senium vergente vehementius inſtaret in Ordinem admitti. Promptiori ſedulitate confeſtim admittendus: ad dignitatem Ordinis refert multum, etſi ad Ordinis munia paulo impotentior: impotentiam ipſam celebriori hujuſmodi ingreſsu, & publica civitatis gratulatione compenſat. Satius eſt illuſtriorem virum in contubernium advocari, quàm expenſarum aliquid Monaſterio adjici.

XIII. Quicumque vero is ſit, qui religioſi habitus ſu-

susceptionem exoptat, postulatque, gratis omnino suscipi debet, nec pro admissione aliquid præstari quomodocumque pretio æstimabile. Id enim perinde esset, ac spirituale ministerium pecuniario lucro comparare, atque commutatione quadam pacisci, non absque simoniæ labe, ut Concilii Lateranensis Quarti Decreto definitum constat. *Cap. Quoniam. De Simonia.* Quo capite, singula expenduntur, in hanc simoniæ speciem recidentia, & pœnis Ecclesiasticis coercentur, pactiones videlicet dotales, pro puellis intra monasteria, ad hoc ut Moniales fierent, suscipiendis, certa pecuniæ summa, aut proventus, alimentorum intuitu, & eo fine, ut in regularem Professionem admittantur. Cui quidem sanctioni repugnare videtur inveterata ex adverso consuetudo, & praxis passim in monasterjis servata: præcipuè cum de Monialium admissione agitur; nam priusquam puellæ admittantur, parentes dotalia paciscuntur, & præstant, quæ monasteriis, professione emissa, accrescunt, dominium pleno jure deferentes, & quanquam non ubique eadem sit dotalium pactionum summa; ubique tamen praxis obtinet, ut certi quidam proventus, pro regionum usu, dotis nomine alimentis præstandis respondeant. Usus etiam in aliquibus virorum Ordinibus inolevit, ut quousque tyrocinii tempus duraret, juniores è paterna substantia, monasteriis, in quibus recipiuntur, alimentorum expensas ministrarent: nihilque fere eo tempore ad victum, communemq; cum cæteris Regularibus habitum pertinens insumerent, monasteria ipsa, ex permissione adhuc Concilii Tridentini *Sess.* 25. *Cap.* 16. *de Regular.* in quo capite, licet quoad alimenta Novitiorum, & vestium hæc ita se habeant, cavetur tamen: *Ne quocumque prætextu*, verba sunt Concilii, *à parentibus, vel propinquis ejus Novitii, monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur: ne hac occasione discedere nequeat, quod totam, vel majorem partem substantiæ suæ monasterium possideat; nec facile, si discesserit, recuperare posset, &c.*

Gratis omnes admittendi.

XIV. Sed mihi hęc omnia animo volventi, prędictam praxim, affinemque aliam, Lateranensis Concilii sanctioni nequaquam adversari, si strictim recolamus Theologorum,

An licite accipi aliquod possit.

rum, cum D. Thoma 2. 2 *q.* 100. *art.* 3. *ad* 4. sentientium saniorem in hac materia sententiam, dummodo ęquivocationem è verbis tollamus. Aliquid enim accipere pro monasterii ingressu, vel spiritualem religiosæ vitę professionem, vel victus, & temporarii emolumenti perceptionem e monasterio innuit. Alterum utpote ministerium sacrum, & ad spiritualem Charitatis perfectionem manuducens, pretio nullo commutari potest: alterum vero, ut mere temporarium quid, temporariam etiam compensationem expectare potest, & in pactionem deduci, ad eundem prorsus modum, quo matrimonium inter res sacras cæteroqui computandum, utpote Sacramentum a Christo Domino institutum, dotalibus adhuc pactionibus inductis celebrari inter Christifideles contingit; non ob aliam sane causam, quam, ut ejusdem matrimonii onera libentius ferantur, in sedula liberorum educatione, & in honestiori quodam vivendi apud suos, juxta patriæ leges, usu. In re igitur nostra, isthæc omnia religiosæ Professioni adstipulantur, ut citra simoniæ labem ullam, accipere monasterium possit ad onera, & expensas, monasticum habitum suscipientium, certum aliquid, non tanquam professionis ejusdem pretium; sed tanquam alimentorum, quæ mere temporaria sunt, retributionem, vel tanquam eleemosinam sponte in monasterii subsidium erogatam.

D. Thomæ sententia.

XV. Sententiæ huic maxime favet, S. Thomas loco laudato, cum nervosè adstruit licere nunquam dare, & accipere temporale aliquid, pro spiritualibus actionibus; sed idem sibi objiciendo inter alia, quod sua adhuc ætate in praxim inductum erat, recipi ab jis, qui in Regulares assumebantur, rem pretio æstimandam, in hunc modum occurrit: *Ad quartum*, inquit, *dicendum, quod pro ingressu monasterii non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium, licet tamen, si monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum monasterii exhibere, sed accipere aliquid, pro victu personæ, quæ in monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant monasterii opes. Similiter etiam licitum est, si propter devotionem, quam aliquis ad monasterium ostendit, largas eleemosinas faciendo, facilius in monasterio recipia-*

pia-

piatur. Sicuti etiam licitum est, aliquem è converso provocare ad devotionem monasterii per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur ad monasterii ingressum; licet non sit licitum ex pacto aliquid dare, vel recipere pro ingressu monasterii. Hucusque S. Doctor, quibus satis verbis, quæ Concilii Lateranensis mens fuerit, nosse libet; eam scilicet fuisse, ut quam longissime simoniacam pestem, è religiosis Domibus arceret, & radicitus adhuc exterminaret, ne prætextu aliquo obreperet, ad deturbandam è sua Sede delicatiorem Ordinum Sanctimoniam, & potissimum ætate, qua prædictum Concilium indictum fuerat. Prava semina detestandæ hæresis Pseudopoliticorum adhuc supererant; qui nullam rei spiritualis cum temporali diversitatem agnoscentes, indistinctim pro Ecclesiasticorum Beneficiorum collatione, ac ministerio quocumque sacro, pecuniarios proventus percipi posse contendebant. Qua de re ut periculum omne amoliretur Concilium, quamcumque temporariam perceptionem ex ipso monasterii ingressu damnavit, quousque re funditus inspecta, secerni posset ministerii sacri usus, ab omni alio temporario fructu quanquam connexo, sed aliunde re vera profluente, quemadmodum D. Thomę ætate factum jam comprobatur, ex ejusdem clariori sententia.

XVI. Non ambigendum tamen, si in his perceptionibus, modus absit, & indiscriminatim Ordines in admissione pecuniarium, ac temporarium quomodocumq; aliud subsidium extorquerent, propiorem simoniæ occasionem, & Populo Christiano scandalum affuturum; quippe quod nec paupertatis, nec eleemosinæ titulo monasteriis erogandæ propugnari possent; cum monasteria ut plurimum ad sufficientem victum, & ad necessaria fere omnia spontaneis Christifidelium elargitionibus, sibi satis providisse, & in dies adhuc provideri constet: è superiori adhuc Tridentini capite, sub anathematis pœna dantibus, & accipientibus præcipitur: *Ne hoc ullo modo fiat, & ut abeuntibus*, additur, *ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant. Quod ut recte fiat, Episcopus etiam per censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat.* Quo quidem *Statuitur modus.*

præcepto ad gravem culpam obstringente, & rationibus aliis, accipere semper aliquid ab jis, qui vitæ religiosæ institutum capessunt, ad monasterii ingressum, oblique saltem hujusmodi perceptio simoniæ speciem referret. Dispar vero ratio in Monialibus initiandis deprehenditur, quarum monasteria fere semper hujusmodi dotalibus proventibus, atque oblationibus vivunt, neque jisdem amplificandis eandem cum regularibus viris industriam adhibere possunt, nec debent. Adstipulantur etiam, muniuntque hanc Monialium praxim casus fortuiti, nec infrequentes, incendii, bellorum, annonæ caritatis, rerumque similium occursus, quibus, si adhuc opulentiora monasteria essent, in exitium ruerent. Hisce nanque casibus, cum monasteria virorum in pauperiorem statum, quam antea, dilabuntur, nihil fere periculi, Regularibus portendunt: Regulares, qui hic vivebant, facili negotio migrare aliò possunt, & apud ejusdem Ordinis socios divertere in regiones alias, eodem rerum necessariarum usu, quem habebant in monasterio calamitatibus presso. At Monialibus migrandi facultas adimitur, ac proinde providendum, ut firmioribus subsidiis fulciantur, casusq; præveniant plerosque certiori, novaque semper dotalium pactionum accessione; ne malis emergentibus penitus concidant.

Suscipiendorum dotes. XVII. Sed nihil magis perspiciendum in eadem admissione ad regularem habitum, quam eorum, qui admittuntur, indoles, corporis dotes, mores omnes; In junioribus spectanda potissimum singula utpote apertiora, è quorum indiciis conjectare licet vitæ fere totius exitum, gradusque suos. Recidit sæpe in suos mores natura, quamvis Ordinis instituto, legibusque affectionum insita fęce sæpius repurgata. Hostis, qui nobiscum innascitur, atque una adolescit, deprimi potest; sed non omninò exterminari. Se prodit, quoties libertas, & cæteræ labendi occasiones commodum præstant. Optandum ut Ordinis disciplinæ comes adsit, naturæ facilitas, juxtaque educatio. Imbutus prima ætate optimis præceptis, moribusque animus, si adjiciatur regularis vivendi forma,

ma, in altiora semper assurget. Sed optimum non ubique reperias: modum saltem ministrare consuevit, ut propius accedas, ingenii docilitas, quam parat purior sanguis, & & spectandam offert vividus color, corporis firmitas totius oris elegantia, præter quotidiana in agendis rebus specimina, è quibus pronum erit dignoscere, an in Ordinem aliquis sit cooptandus eo successu, ut defuturus nequaquam sit expectationi, atque sui Ordinis æmolumento. Hinc pro peculiari vitæ instituto, seligenda juniorum ingenia, & corporis, animique dotes. Qui vitæ actuosæ, aut mixtæ strenuam operam sunt daturi, præstat, ingenio esse versatili, naturaque ad hilaritatem potius, quam ad serietatem composita. At vitæ contemplativæ addicendi, arrident magis, qui habitu corporis humidiori, magisque melancholico, quam sanguineo temperamento efformantur. Id nanque genus hominum ad rerum divinarum meditationes aptius, lubentiori animo fixas rerum imagines iterum, iterumque secum recolentium.

XVIII. Solertioris ingenii isthæc rimari; illa scitu, magis necessaria, quæ impedimenta inferunt ab Ordine repellentia. Omnes fere religiosi Ordines sive à suis Institutoribus, sive in suis Comitiis Generalibus, multa sæpe obesse adverterunt, quibus suæ vitæ institutum, suæque leges stare diu nequirent, si segnius evellerentur. Duplex hujusmodi impedimentorum genus perhibetur, quorum alterum substantiale, accidentarium, & ferendum, quomodocumque alterum. Priora quidem Ordinis jugulum petunt, & quæ alio modo in matrimonio contrahendo dirimentia appellantur, quibus præpediti, nullatenus in Ordinem cooptari possunt; mitior in aliis conditio, & plerumque Moderatoris Generalis dispensatione, quicumque aliorum sit rigor, relaxatur: quæ prioris generis reputentur, & quæ posterioris, è cujusque Ordinis constitutionibus liquet. Non enim eadem apud omnes, nec omnia in eundem prope finem coalescentia; nonnulla tamen communia, ut servum ab Ordine arcere, quamdiu in potestate sui Domini persistat, aut ipse Dominus admissioni obstet, idque ex Juris Pontificii dispo-

Duplex impedimentorum ratio.

spo-

ſpoſitione, juxta terminos tamen Conſtitutionis Sixti V. *Cum de omnibus*, cum quis ære alieno gravatus, ſervitutem civilem contraxiſſe videtur, non autem ſi inſerviendi alicui munus ſuſcipiat, è paupertate fortaſſe, qua premebatur. Ita etiam inhabiles ad regularem vitam redduntur criminoſi ex ejuſdem Sixti Conſtitutione alia, edita anno 1587. quæ tamen crimina ſint ab Ordine arcentia, & profeſſionem item irritantia, ſi jam emiſſa ſit, declarantur à Pontifice: *Qualia*, inquit, *ſunt homicidia*, *furta*, *latrocinia*, *& alia ſimilia*, *& graviora*, reos, vel ſuſpectos exiſtere, ut propterea damnati ſint, aut ne damnentur, formidant: ne tamen conſcientiæ periculis obnoxii ſint, qui vitam regularem profiteri optant, ſubnectit, in altera incipiente: *Ad Romanum* contra criminoſos vero, *&c. Tunc demum id locum habere volumus, & non aliter cum actis publicis conſtiterit, ipſos Judices, & Curiam Secularem ante ſuſceptionem habitus, de ipſo crimine adverſus eos, accuſationem ſuſcepiſſe, vel inquiſitionem inſtituiſſe*. Epiſcopalis Dignitas facultatem adimit habitus religioſi ſuſcipiendi ex *Cap. Licet de Regular.* quemadmodum vinculum profeſſionis in aliquo Ordine emiſſæ, eandem in alio emittendi, niſi Summi Pontificis in utroque caſu diſpenſatio interponatur: Singulare propemodum in Societate noſtra arcere, quem Ordo Regularium quicumque alias excepiſſet, delato vel ad paucos dies ejuſdem habitu, & quod mirere magis, irrita cenſeretur profeſſio, etiamſi ſolemnis nuncupata fuiſſet, uti etiam matrimonium è veſtigio dirimeretur, ſuſcepta adhuc prole, agnito alio matrimonio: nihil magis inculcatum in ſuis conſtitutionibus voluit Sanctiſſimus Parens Ignatius, quam hujuſmodi homines fędifragos repellendos, qui ſecordia, aut morum perverſitate ſemel a ſuo propoſito in alio Ordine, etiamſi per breviſſimum tempus, ut dixi, defeciſſent.

Tyrocinium. XIX. Probationem autem ipſam, quod attinet, uſu ſemper comprobatum conſtat, ut per eandem, & Ordo experimentum caperet eorum, qui admitterentur; num ſcilicet incommoda, vitæque regularis auſteritates ferre poſſent, mores, item, cęteraſque paulo ante laudatas dotes

tes excolerent: & qui habitum suscipiunt, Ordinem ipsum reipsa suis votis respondentem probarent; ne labore, ac molestia affecti, seram pœnitentiam querulis vocibus incusarent. Easdem fere rationes pro probationis usu attingit Innocentius Tertius in *Cap. Ad Apostolicam. De Regular. Hoc fuisse determinatum*, inquit, *atque statutum à Sanctis Patribus, non solum in favorem Conversi, sive Novitii; verum etiam in favorem Monasterii, seu Religionis, ut ille asperitates istius: isthæc verò, illius mores valeret probare, atque experiri.* Hactenus *Canon.* Antiquissimus hic mos ab ipso fere monastici instituti exordio, Christianæ Fidei pressit vestigia, ut quemadmodum non prius ad Baptismum ducerentur, quam Fidei Misteriis, ritibusque omnibus satis instructi existerent, unde & Cathecumeni dicebantur: ita sapienter quoque ab exortu religiosorum Ordinum emanasse putarim, ut priusquam ad Professionis vinculum quisque evocaretur, sacræ militiæ Tyrocinium inchoaret; cujus non una tamen, fixaque quoad tempus ratio habita est. Nam quarto, & quinto CHRISTI DOMINI Seculo, consuetudine quadam, & prudentiæ legibus id definitum, ut quo præstantiora essent in Tyrone religiosæ vitę specimina, propius, ac celerius professionem emitteret: Pręlatorum inferiorum authoritas plurimum in hac re sibi permittebat, quanquam Institutores ipsi antiquiores integrum probationis annuæ cursum statuissent, ut in Regula D. Basilii præscribitur. Idem sane inculcatum à D. Benedicto. Sed Bonifacii, eo nomine Primi Pontificis Decreto, alienigenis, qui incertis sedibus vagarentur, in triennium processit, quo generis conditio, & mores maturius expenderentur. *Cap. Si quis q.* 2. Qua item constitutione sancitum, ut si servum in monasterio regularis vitæ prætextu deprehensum, Dominus repeteret, in servitutem rursus, & ut in Seculum rediret, compelli posset; si vero infra idem triennium minime requireretur, & propositi tenax perstitisset, libertatis veluti jure emancipatus, exacto probationis triennio, professionem emitteret. Diuturnior hæc probatio in desuetudinem abjit, cum Innocentius Tertius Romanus Pontifex in Concilio Lateranensi

nensi probationem annuam probavit in cunctis Ordinibus, donec opportune admodum Concilium Tridentinum eandem constitutionem, & Ordinum consuetudinem inconcussè servandam firmavit *Sess.6. Cap. 15.* ita tamen, ut tempore non minor, quam per annum integrum probatio, post susceptum habitum, fieret: *Professio autem*, subdit, *antea facta, sit nulla, nullamque inducat obligationem, &c.*

Quæ in Tyrocinio servanda. XX. Ex qua quidem Concilii constitutione, aliqua, quæ olim in utramque partem disceptabantur, & ex Moderatorum Regularium arbitrio definienda pendebant, rata, fixaque indubitanter censenda. Primum ad hujusmodi probationem exigi religiosi habitus gestationem quousque novus miles Tyrocinium expleat, qui habitus, vel communis sit cum cæteris aliis sui Ordinis, vel peculiaris Tyronibus, usu tamen probatus: nisi forte per breve aliquod tempus, videlicet per dies aliquot, aut mensem, in primo ingressu, seculares vestes deferuntur, ut ad duriora sensim adsuescat Tyro, & ne levitate aliqua ductus ad primos impetus resiliat, tanquam si minus caute cum tenera adhuc, tum ætate, tum etiam virtute ageretur: unde in compluribus Ordinibus mos obtinuit, ut eodem seculari habitu, quo admissus est, probationem suam Tyro inchoet, haud refragante Concilii constitutione, quę tantum intendit habitus religiosi gestationem in Novitio, ad finem modestiæ, terrenarum rerum contemptus, animique demissionis probandæ eo magis, quo firmius omnes Ordinis leges, atque austeritates usu ipso addiscuntur. Alterum est, ad integrum ejusdem probationis annum, interpolatione aliqua paucorum forte dierum, detrimentum vel nullum, vel leve saltem accedere; nam licet verbum ipsum *anni integri*, juxta vulgarem notionem, continuam rei gestę, factique seriem arguat: quòd etiam Jo: Andreas *Cap. 1. de Elect. in 6.* affirmat, de omni generatim tempore, cum jura statuunt, debere id esse continuum: attamen interpolatio, de qua sermo, si ad annum conferatur minima censetur, & minimi adhuc facienda, ut propterea nequaquam infirmanda sit annuæ probationis supputatio; dicendum proculdubio secus esset,

ſet, ſi hujuſmodi interpolatio, ad menſes protenderetur, & collatione ad annum facta detrahi multum videretur: quod tamen in certis caſibus Prudentum judicio, ut in cæteris quoque, & ſingularibus præſertim rerum circumſtantiis dijudicandum.

XXI. Nuncupanda poſt Probationem religioſa Profeſſio, quæ uti paulo ante dictum, ante decimum ſextum annum fieri nequit, non tantùm inchoatum, ſed omnino completum, adeo, ut Concilium Tridentinum eodem *Capite* 15. decreverit, nullius roboris quamcumque Profeſſionem, quę ante id temporis emitteretur, non obſtante, quod vovens libere omnino, & nemine, ne impellente quidem, eo vinculo ſe obſtrinxiſset, quod in votis, ac contractibus quibuſcumque aliis potuiſset, & volens, ac lubens re ipſa teneretur. Diſpar hic occurrit ratio, quia de toto, ut dicitur, aſse agitur, cum arctiſſimum vinculum hominis libertatem ad ultimum uſque vitæ ſpiritum cohibens, inducatur; & quanquam eodem ętatis adultæ remedio, non omninò, perturbationibus evitandis, obviam eatur, ut deteriora ſemper ſectantes ſedari poſsint, à ſuſceptæ ſemel Religionis propoſito, votorum emiſsione, ne leviter aberrantes; plurimum tamen adjumenti proficiſci par eſt, cum exinde pateat, nonniſi paucos quoſdam in deſperationem delabi, ut promiſsioni DEO factę in tam firma ętate, conſilio omnimodæ rationis compote, nec non publicè de ſe comparata hominum exiſtimatione, quæ ad res quaſcumque egregie gerendas ſtimulos addit, abrenunciare prorſus velint. Præter quam quod religioſa iſthęc profeſsio, in tantum univerſæ Eccleſię authoritate, ac Pontificis, Supremi ejuſdem capitis nomine acceptatur, quatenus, qui eam emiſit, decimum ſextum ſuę ætatis annum compleverit, quacumq; alia conditione, aut interpretatione alia ſemota. Quid ſi dies unus, aut alter, vel horæ plures interciderent, ad ejuſdem ętatis complementum? & hoc ſane intervallo omiſso, nuncuparetur interim profeſsio? num in irritum caderet, & inanis prorſus cenſenda? Parvitas ſane maiæ, quam Theologi in ipſis Decalogi Pręceptis leviori

De Profeſſione.

culpę obnoxiam, & Juris utriusque periti. pro re nullius momenti in contractibus ducunt, quò minus eos irritos decernant, multo minus infirmandam potissimam hanc Divino Parenti decerneret promissionem. Sed affirmandū verius, infirmari, nisi certo constaret, post expletam ętatem, voventem tacite saltem instaurasse, licet non eadem Juris solemnitate, qua antea, sed eodem religiosorum munerum adimplendorum studio, præsertim circa votorum substantialium observationem. In promptu ratio est, ejusdem Concilii sanctioni innixa, cujus verba mentem declarant, & mens verbis quoque ipsis perspicitur. Etenim cum verba, completos sexdecim annos exprimant, effugium omne tollitur, atque in oppositum interpretatio quæcumque: ac tantumdem iisdem verbis significari perspicuum est, quantum eorumdem vis ipsa sonat, quemadmodum de quacumque re alia, eadem jura statuerunt. Quod mentem, aut Concilii finem spectat, nullum alium intentum jure merito affirmamus, nisi qui voventis libertati faveat, ac quantum in se est, infirmitati consultum velit, ut pro eo ętatis cursu undequaque completo, religiosam vitam capessat, citra ullam ęquivocationis, aut interpretationis aliter acceptę doctrinam; unde resilire à proposito ante præfinitum tempus tuto valeat, probata prius immatura votorum nuncupatione; neque ullo pacto veritati huic Theologi, neque Jureconsulti refragantur, qui in materiæ exiguitate tantum volunt, ne idem omnino judicium feratur, aut eadem culpæ gravitas censeatur, ubi culpę pravitas desumenda sit, ex ejusdem materiæ accessione; ad eum sane modum, quo in alienis rebus surripiendis non eadem censetur, & denarii unius; & aureorum plurium subreptio, cum altera parvam, alteram magnam invehat culpæ materiam.

Vis, & metus in Professione.

XXII. Par quoque fuit, ut ratio eorum haberetur, qui non potestate libera omnino, cujusmodi in vovente exigitur, sed vi, metusve causa professionem nuncupatam, obtenderent: quod multis quidem causis fieri posse non dubitandum sub patria potissimum potestate devinctis

ctis, & humanæ infirmitatis vitio, & immaturæ ætatis evenire solet, cum filii familias, aut compelluntur, aut metu aliquo adiguntur à parentibus, ut in Ordine aliquo religioso vota nuncupent, in gratiam aliorum natu majorum, quo amplior his hæreditatis portio accrescat; neque propterea minus gravis hujusmodi vis, aut metus censendus est, quod minacioribus verbis, aut expressis modis aliis haud fiat; sed si causa adhibeatur, unde vis, aut metus incuti possit, expensa, cum quibus agitur, conditione: nam & nutus, ut exemplo utar, asperioris tantum supercilii in parente erga puellam, gravem æquè metum incutit, ac ejusdem parentis minæ, & verbera inflicta in filium puberem. Quid igitur juris in hac parte statutum dicendum, ut libertatem totam quanta, quanta est, haud defuisse religioso viro fateamur? Et quidem subveniri metum, aut vim passo, è naturali jure habemus; unde haud dubitandum, quin religiosa professio suffulta semper eodem subsidio fuerit, sive ante, sive post Concilium Lateranense sub Innocentio II. & de tempore idem Concilium præcurrente; nulla, aut levis difficultas suboriri potest; cum subveniri facile potuerit, summaria causę cognitione coram Regulare Moderatore, aut loci Episcopo, ut ex annotatis primo Libro erui potest. Sed post Concilium, difficultas, quæ urgebat gravior, Jure Pontificio præfinita videtur per Alexandrum III. Romanum Pontificem, qui exprese tradit. *Cap. 1. de His, quę vi, metusve causa fiunt*, irritam censeri hujusmodi professionem, interveniente vi, aut metu. Porro intelligendam vim, aut metum, non quemcumque, Sapientes sentiunt, sed qui in constantem virum cadat, videlicet, cum metu gravioris mali urgente, ut eundem discutiamus, data temporis opportunitate, ferre quodammodo cogamur, quem minus gravem noverimus, libratis rebus omnibus, quæ nos tunc temporis circumstant, premuntque, veluti cum existimationis, carceris, exilii, aut ejusdem mortis metu incusso, nisi religiosum Ordinem quis amplectatur, seligat potius religiosam vitam, quam existimationis jacturam, aut quid simile subire. Eodem etiam recidit, ut paulo ante attigimus,

mus, si puella, à parentibus adigeretur, ad religiosam vitam, vel solo truculentiori eorumdem aspectu; quo etiam casu, censent Theologi, metum in constantem virum cadentem inesse, dum maturo quidem judicio vir, æquius duceret, intra monasterium pacatam vitam transigere, quam horis omnibus, intra paternam domum trucem vultum minacius quiddam spirantem, ferre.

In judicio probandi. XXIII. Quę quamvis vera sint, non ideo tamen suapte sponte Regulari hujusmodi metum passo permittitur unquam, ut habitum dimittat; nisi coram Ecclesiastico Judice, ritè probarit ante, se in hunc metum, aut vim prolapsum, vota religiosa nuncupasse; alioquin iisdem pœnis, quibus Apostatę plecti solent, subjiceretur: & re vera nunquam quæsiti metus colores deessent, deessent nunquam Regulares impudentia, ac procacitate perciti, qui, ut liberius in Seculum redirent, confictas sibi violentiæ causas, & inanes incussi metus imagines prætexerent, gravissimo Reipublicæ Christianæ scandalo, & religiosorum Ordinum detrimento. Hinc justitiæ, ac prudentiæ maxime consonum visum, judicium instituere, ut in cæteris gravioris momenti rebus fit, in quo in utramque partem deductis, quę causam propius instruunt, mature decernatur, per Ecclesiasticum Judicem, utrum, relaxari vota religiosa debeant, causam relaxationis alleganti, an contra, reniti, & tanquam inania prorsus effutientem compescere. Verùm quia addubitari à quocumq; post complures religiosæ vitæ annos potuisset, leviori quamvis conjectura, de status firmitate, in rebus maxime, suis votis adversantibus; saniori idcirco consilio Tridentina Synodus decrevit, ne Regulares reclamare quo quomodo valerent post exactum quinquennium, ab emissa Professione, eo quod maturo judicio intra idem temporis spatium existimandum sit, singulos secum reputasse, de suscepta vitæ conditione haud amplius pęnitendæ. Libet hìc apponere Concilii verba, quæ omnem sanè controversiam dirimere videntur: *Quicumque Regularis*, inquit, *Sess. 25. de Regul. Cap. 19. prætendat se per vim, aut metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam,* *Pro-*

Professum esse, aut quid simile, velitque habitum dimittere, quacumque ex causa, aut etiam cum habitu sine licentia Superiorum discedere: non audiatur, nisi intra quinquennium tantum, à die Professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætendit, deduxerit coram Superiore, & Ordinario: quod si ante, habitum sponte dimiserit, nullatenus audiatur, nec ad allegandum quamcumque causam admittatur; sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur.

XXIV. Non negarim, mitiorem sæpe admissam praxim ex ipsa Summorum Pontificum benignitate, dum relaxandum potius legis rigorem, quam paternam in filios charitatem ullo pacto imminuendam putarunt: nam etiãsi habitum juvenili quodam impetu dimiserint, reclamationi locum indulgere solent, ne ad disperationem quandam, regularis disciplinæ impatientes compellant. Præterea hujusmodi remedio, eorumdem reclamantium libertati prospicere videntur: plerumque enim, qui suam professionem irritam facere affectant, justam alioqui causam Moderatoribus suis præberent, eosdem carceri, aliisque pœnis mancipandi, quas ut effugiant, necessitate quadam compulsi, tanquam libertatis jure, quam justam etiam asserere audent, ea dimissione, ut facilius voti compotes fiant, utuntur. Accedit, quod si ad vitandum Secularium scandalum, nequeat religiosus vir habitum dimittere hujusmodi reclamationis ansa, periculosius fortasse ducerem, & graviori Seculares affici scandalo, ubi viderint Ordinis habitum gerentem, perinde se habere, ac reliquos Seculares, sine duce, sine comite hac, illac discurrentem; quod nemo cæteroqui adverteret, aut miraretur, si in exteram regionem delatus, quoquomodo reclamationis suæ causam ageret, ignotus omnino, aut ignoto similis: Unde in eandem sententiam, jisdemque rationibus probatam, conspirasse multos Theologos comperio, dummodo, antequam judicio se sistat Regularis, sui Ordinis religiosam vestem rursus assumat: nisi fortasse justas etiam rationes, ne idipsum faciat, allegaret, quia Tridentinum, ex Navarr. *Comment. 4. de Regular. ex Azor. lib. 12. Instit. Moral. c. 4.* nonnisi temere factam habitus dimissio-

Fuga à monasterio.

sio-

sionem, punire intendit. Ita etiam, si elapso quinquennio, instaret quis intra quinquennium, sibi reclamandi facultatem nunquam fuisse, vel quod Ordinis Moderatores vi, aut dolo, ab eo proposito subditum averterint, vel quod ignoraverit definitum hoc idem reclamationis spatium, vel demum justa alia de causa, poterit is, citra conscientiæ labem Judicem semper adire, & experiri omnia, quę antea jure potuisset. Magno fortasse detrimento Ordines premi possent, si isthæc validiori quodam niterentur fundamento, & contra Concilii mentem iretur, dum, perturbationes Ordinum, quas declinandas voluere Patres, plurimæ emergerent. Verum, quæ veritati affinia magis, expendenda.

Et post quinquennium reclamatio.

XXV. Ratione igitur hujusmodi ignorantiæ, sive gravioris impedimenti, vel periculi, intra quinquennium, ne reclamare juste posset Regularis, præscriptio adversus eundem non currit, adeoque eo etiam elapso reclamationi adhuc locus superest; neque id tantum indulgeri potest Minoribus viginti quinque annis, sed etiam provectioribus, eo extraordinario judicio, quod Jurisconsulti, Restitutionem in integrum appellant, de qua *l. fin. ff. ex quibus causis majores*. Nam sapienter *Sanch. tom.2. de Matrim. lib.7. disp.37.* pluribus rationibus evincere videtur sententiam, quam tuemur, appono hic duas, quarum alteram his verbis declarat: *Licet*, inquit, *contra præsumptionem juris, & de jure non admittatur probatio, admittitur tamen, quando quis probare intendit, justam causam ad effectum, ut restituatur in integrum ex clausula generali*, ut bene tradunt Ruin., Alexander, *l. inter stipulantem §. 1. ff. de verb. obligat. Ergo quamvis Tridentinum induxerit præsumptionem juris, & de jure ratificationis professionis per lapsum quinquennii, non obstabit, quin ex causa justa ignorantiæ, aut impedimenti, aut fragilis ætatis, concedatur restitutio majoribus, & minoribus, &c.* Rationem alteram quarto loco positam eruit idem Doctor, ex ejusdem Tridentini verbis: *Quia Tridentinum*, subdit, *eodem Cap. 19. diversimode loquitur, de petente audientiam post quinquennium, & de eo, qui intra quinquennium dimisso habitu reclamat. In priori enim casu, solum dicit non audiatur. In posteriori*

riori autem urgentioribus verbis utitur, ibi, *quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur. Ergo signum est in priori casu noluisse professum illum omni remedio destitui, sed solo ordinario, permisso tamen illi extraordinario restitutionis: in posteriori autem utrumque remedium denegari, quia illi superest remedium, ut sibi consulat, nimirum habitum resumere, tunc enim debet audiri, &c.* De hac sane restitutione in integrum ex justis causis semper concedenda, etsi denegetur quæcumque alia actio, nisi expresis verbis caveatur de hoc eodem remedio, docte, & fuse agunt alii tum Theologi, tum Juris Pontificii, ac Cesarei Interpretes. Molina *lib. 3, de Primog. cap.* 13. Tiraquel. *de Retractu* §. 35. Sfortias Oddus *de Restit. in integr.* 1. *p. q.* 15. *art.* 5. Guttier. *lib.* 2. *Pract. q.* 88. Unde cum nulla mentio in Tridentino habeatur, de hujusmodi remedio tollendo, perinde censetur, ac si permittendum sit, cum justa ratio exquirit; eoque magis, quod cum Concilii lex saluberrima quidem in juris præsumptione statuatur, pro tranquilliori Ordinum regimine, impedimentum omne auferre videtur, quoties ex adverso urget reclamationis ratio, quæ justiorem Ordinibus ipsis tranquillitatem restituit.

XXVI. Id tamen pro praxi adnotandum, hujusmodi de Regularium Professione post quinquennium, judicium, quod è Concilii præscripto, coram reclamantis Regulari Moderatore, & Ordinario institui, ac definiri deberet, propositis hinc, inde judiciariis probationibus, & exceptionibus, ad Romanam Curiam esse evocandum, ut ejusdem reclamantis petitioni, aut Ordini melius prospiciatur, sintne per Rescriptum Pontificis, aut per Decretum Sacræ Congregationis Concilii admittendæ reclamationis causæ, an verius rejiciendę, ut maturiori consilio postmodum decernatur, Judiciarii Fori expeditior modus. Sæpe enim partium studia intra eandem Diœcesim coram Ordinario, vel Episcopo, judicium pervertere possunt, cum nunquam desint, qui reclamanti plus nimio, aut faveant, aut adversentur, & leviora plerumque argumenta in alterutram partem adfectione aliqua Judicis animum inflectant. Eadem insuper judicii facilitate fieret, ut plures

Judicii instituendi praxis.

res

res occasionem nacti, si quid asperius à suis Moderatoribus forte tulissent, professionem suam infirmandam curarent, eadem, inquam, facilitate, qua ad delinquendum natura procliviores, difficultatibus objectis, resilimus, & tanquam Phryges, serò sapimus. De eadem hac praxi, ne quis fortasse dubiam putet, admonent Alfonsus de Leone *de Offic. Capell. q.*4. Portellus *in Dub. Regular. v. Professionis nullæ reclam.* Rodriguez *Recol.* 101. Addit Sanch. *loc. cit.* posse Prælatum Regularem se, veritate sibi constante non ratificatæ professionis, occulte hunc professum, transacto jam quinquennio dimittere ex eo capite, quod superiori cum constet, jus Religionis in eum non esse verum, sed in falsa præsumptione fundatum, nemini videatur injuriam irrogare, si secluso scandalo, eundem ejiciat: *Nec obstat*, subdit, *Decretum Tridentini, solum enim præcipit Superiori, ne audiat in Foro externo*. Ex qua doctrina manifestè colligimus, Prælatum Regularem posse, quin etiam, & debere cogere eundem Regularem, ut in Romana Curia, reclamationis causas quantocyus proponat, & perturbationes quæcumque ab inquieto homine in monasterio tollantur.

An idem dicendum de blanditiis. XXVII. An vero idem juris remedium competens metum passo, competat ei, qui blanditiis, aut munusculis pellectus professionem emiserit, subdubitari posset, & Theologi omnes negant suffragari huic levitatem suam, vel affinitatem aliquam inesse inter metum, & blanditias, quoad idem juris experiundi beneficium. Metus enim, aut vis, si non omnino tollit libertatem, infringit saltem, ut non sponte, sed graviori molestia pressus feratur, quomodocumque: blanditię autem, & omne id, quod ad gratiam conciliandam conducit, eandem libertatem expeditiorem præstant, atq; in id incumbere videntur, ut impedimenta omnia semoveant, & quæcumque retardare cursum valeant. Quidquid fere aggrediuntur homines, eò promptius, ac celerius efficiunt, quo vehementiore aliquo illicio, tanquam ęstro perciti, extimulantur, tantum abest, ut libertas detrimentum ullum è blanditiis, aut munusculis capere possit. Perspicue etiam con-

constat, jura ipsa, quæ metum passo subveniunt, subveniuntque pariter violentiæ illatæ, vel immaturæ ætati, etsi maturitatis legibus propiori, opem nullam præstare solent, quem preces aliorum, quem munera, quem amicitiæ leges ad votorum nuncupationem pertraxere, atque ut de re, in quam nullum dubium cadere possit, nullum verbum faciunt. Et quanquam Cajetanus in *Summa v. Restitutio §. Quia vero,* reputet affinia esse quoad forum conscientiæ, consentire metu, aut blanditiis, quia, ut subjicit, *his non minus, quam metu, animi libertas tollitur*: attamen, præter Theologorum omnium in adversam partem, consensionem, acriter in Cajetanum invehitur Navarrus in Manual. *Cap. 17. num.* 16. & primum ex doctrina D.Thomæ 1.2. *q. 6. art.6. & 7.* firmantis imminui libertatem ex metu, non autem ex amore, quem fovent, & adaugent blanditiç, & blanditiis affinia alia. *Dicitur enim*, ait Sanctus Doctor *art. 7. aliquid voluntarium ex eo, quod voluntas in id fertur: per concupiscentiam autem voluntas inclinatur ad volendum id, quod concupiscit, & ideo concupiscentia magis facit ad hoc, quod aliquid sit voluntarium, quam quod sit involuntarium.* Contingit secus in metu: nam, ut rectè Aristoteles in 3. *Ethic. Hujusmodi*, inquit, *quæ cum metu aguntur, mixta sunt ex voluntario, & involuntario.* Adest sane libertas in rebus agendis; nam voluntate, libertatis fundamento, movemur; sed quia non tota libertas adest, ex ea trepidatione, & molestia, qua ducimur, imminuitur propterea metu libertas ipsa. Hinc Navarrus laudatus, Cajetani sententiam, *novam doctrinam* appellat, nullo jure fundatam, nisi fortasse, cum, precibus, & blanditiis minæ saltem tacitæ inessent, quæ Domini in servum precibus reluctantem esse solent.

XXVIII. Ut convalescat professio, quæ initio nulla fuit, inspiciendum, ex quo capite nulla fuerit. Irritam defectu legitimç ætatis, cum quis ante sexdecim completos annos professionem suam nuncupavit, valescere novo ejusdem professi consensu, seu ratificatione statutum habemus *Cap. Significatum. De Regular. & Cap. Si is qui eod. titul. in 6.* Esto enim ad professionem, rite emittendam, requi- *Irritæ Professionis remedia.*

 ra-

ratur consensus adhuc, & acceptatio regularis Moderatoris, intelligendum id tantum est, seclusa quacumque alia Romani Pontificis declaratione; atqui cum Pontifex utpote Supremus Ordinum omnium Moderator, statuat, emitti posse professionem eo casu, per solam profitentis nuncupationem, videtur aut per se acceptare eandem nuncupationem voluisse, aut rescriptum dispensationis aliquod sic emittenti indulgere. Sed, si antiquitus religiosa professio, tacitè saltem emissa reputabatur, ex annua delatione habitus, quem gestare consueverant Ordinis professi; jure novo Concilii Tridentini, è superiori doctrina, integrum quinquennium à die publicæ professionis utcumque editę requiritur, quo elapso, tam defectu ætatis, quam ex quacumque alia causa, metus, violentiæ, animique ad dissensum hucusque obfirmati, taciturnitas ipsa professionem inducit in foro saltem externo, nisi eandem ratam habere, reipsa velit præsumptus jam regularis: adeoque reclamare amplius nequit; qua in re, diversa omnino ratio deprehenditur, in matrimonio, ac in religiosa professione; licet enim utrobique mutuus consensus interveniat, necesse sit, in matrimonio quidem, utriusque conjugis: in professione vero regularis, & insuper moderatoris, nomine religionis; attamen prior consensus ita matrimonium conflat, ut nullo modo suppleri aliunde posit; at in professione, consensus, sive acceptatio inferioris Moderatoris, si suppleri aliunde potest, à proxime superiori, multo magis ab eo, quem Summum Regularium Parentem agnoscimus. Cum verò Summus Pontifex statuat, ex juribus allegatis, convalescere professionem irritam defectu olim ætatis, per ejusdem professi ratihabitionem, videtur suapte authoritate eandem acceptare, si nova acceptatio exquirenda esset. Neque iterandum Tyrocinii tempus existimant magnæ notæ Theologi, ex hujusmodi professione irrita, si regularis ratam eam habere vellet, non modo cum professio tantum irrita fuit, sed affirmandum idem cum Bonacina, Castro Palao, Rodrigues, & Sanch. esto ipsum Tyrocinii tempus, nullam vim in se habuisset, vel ex Constitutione

Sixti

Sixti V., de qua superius tam susceptionem habitus, quam professionem ipsam temere ingredientium infirmante, vel ex prava intentione illorum, qui nunquam ingressi essent, ut Ordinem probarent, & Regulares essent. *Nam dum Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 15.* inquit Sanchez *loc. cit. n. 47. decrevit annum Novitiatus præmittendum professioni validæ, eo spectavit, ut faveret & monasterio, & ipsi Monacho, &c. Quæ ratio in hoc eventu nunquam locum habuit: nam verè professus ille post habitum susceptum expertus est plene religionis austeritates instar aliorum Novitiorum, & religio illius mores.* Pergit deinde Sanchez communire hanc sententiam aliis rationibus, & auctoritatibus, quibus evincamus sufficere solum consensum, & ratihabitionem ad professionem roborandam. In qua materia difficultas non contemnenda emergit, num possit hujusmodi professus Ordinis sui privilegiis, juribusque aliis frui à die, quo irritam, an quo saniorem professionem emisit? & re vera præjudicium inferretur aliis, si contingeret præferri, quorum privilegia, ac jura antiquiori tempore in Ordine, præfiniuntur, juxta professionis antiquitatem. Existimat Navarrus, rationem habendam perinde, ac si professionem nuncupasset, ab eo tempore, cum Ordo, tanquam alumnum suum, obscuro adhuc professionis vitio admisit: *Quia ratificatio*, inquit Navarr., *est quædam ratihabitio, quæ retrotrahitur ad diem actionis, quo ratificatur, idest à die professionis nullæ*. Sed secernenda plura hic existimarem, sive bona, sive mala fide, professio fuisset nuncupata. Vel enim de rebus ageretur jam peractis, pro toto eo tempore, quo vere regularis ab aliis habebatur, & censeo, ad nihil teneri irrita professione eousque irretitum; vel de quibus in posterum sequi possent incommoda, in alios antiquiores, & haud levioris momenti præjudicia, Ordinis fortasse, & aliorum Regularium perturbatione, & è conscientia is ageret, si dispensationem impetraret: quod si hoc idem absque nota apud alios nequiret curare, haud damnare ego auderem, si privilegia, & jura antiquitatis omnia vindicanda sibi duceret, multoque magis, si ferre suffragium cum aliis, in supplicationibus, in Ecclesia, in men-

sa, gradu aliquo anteire, &c. quæ modici momenti Sapientes ducunt, competere sibi contenderet, evinceretque.

Quo pacto intelligendum votum paupertatis. XXIX. Ut vero, quid singulis votis adimplendis absolute demandetur videamus, exploratū, Regularem vi voti paupertatis obstringi quidem sub gravioris sacrilegii culpa, ne ulla re tanquam propria, suapte authoritate utatur, perinde ac Dominus, etiamsi solum usum in ea sibi vendicaret, sine Prælati sui indulgentia: nisi forte exigui momenti res esset, quam Theologi expendunt, ex ejusdem pretio in furti materia, quæ vel leviter, vel lethaliter delinquentem prodit, juxta latiorem ademptæ rei quantitatem. Prælati verò facultas efficit, ut quantum de se est, vinculum tollat, ac relaxet votum, quoad illam peculiarem rei possessionem, quam subdito in usum, & vel in consumptionem ipsam tradit. Hujusmodi Prelatorum concessio se extendit ad licita tantum, & quæ communi Ordinis praxi passim probantur, non autem ad ea, quæ decentem ejusdem Ordinis statum excederent, è suismet legibus; quod verum esset, adhuc si non omnino improbaretur sententia illa, qua, qui facultatem expendendi aliquam, à suo Prælato obtineret, absque ulla rei taxatione, & intemperanter se gereret, illicita alioqui distractione, paupertatis votum haud violaret. Patet sane discriminis ratio: quia in priori casu, evidens est, subditum eo fine petere expendendi facultatem à Prælato, ut eandem Ordinis paupertatem, statumque invertat, quod nec Prelato, nec Subdito unquam licet; At cum Subditus petit eandem expendendi facultatem, absque eo quod finem suum alioqui pravum præseferat, licitè potest Prælatus vinculum relaxare, ut proinde quantum ipse possit, præstet Subdito: Cæterùm is viderit, utrum in licitum usum, vel improbandum expendat: nisi tamen expresse Prælatus significasset, facultatem illam tendere, ad coemendos libros, aut rem aliam tantum peculiarem: qua limitatione, nequiret Subditus in res alias insumere: &, si in pravos usus insumeret, tunc præter culpam alicui virtuti adversantem, paupertatis adhuc votum violaret. Audiendus est

est hic Cardinalis de Lugo *Tom.1. de Justit. & Jure disput.3. Sect.7. n.142.*, qui suo satis fundamento nixam, objectisque purgatam producit sententiam, ut inquit: *Quæ dicit, quando Prælatus dat Subdito plenam, & liberam facultatem expendendi aliquid pro suo libito, non intelligi limitasse suam sententiam solum ad usus honestos, & pios, sed potius abstulisse, quantum erat ex parte sua totum impedimentum, ut usus ille non esset contra votum paupertatis ob defectum licentiæ, atque ideo recipientem ab ipso non teneri aliquid restituere. Hanc tenent Bañes in præsenti q. 62. art.5. Ludovic. Lopez lib.2.de Contract. cap.40. &c. Et probari potest ex supradictis, quia in aliis materiis licentia generaliter concessa non intelligitur limitari ad solos usus, vel casus aliunde non turpes, nec illicitos, sed in jis etiam aufert malitiam, quam posset habere ex defectu talis licentiæ, quamvis remaneat turpitudo, & malitia ex alio capite.*

XXX. Ex eo igitur Paupertatis Voto in Ordine emisso, extinguuntur jura omnia tum naturalem, tum etiam, ut Juristæ appellant, civilem dominii facultatem inferentia, non modo in jis rebus, quas quis obtinebat tunc temporis, cum professionem proxime nuncupaturus erat, si alios in possessionem haud immiserat; verum & in quibuscumque rebus aliis, quæ obvenire in posterum fortasse possint, ut propterea civiliter mortuum, ex sua hac nuncupata paupertate jura ipsa existiment, & appellent Regularem: quia vero præcipua dominii potestas in hæreditate adeunda, ejusdemque aditæ possessione capienda, & manutenenda, in testamento condendo, hæredibus instituendis, rebusque aliis legandis, aut donandis; Regulares proinde, neque hæreditatem adire, neq; possessionem capere, aut testamentum condere, neq; postremo affines alios hujusmodi civilis, aut naturalis dominii actus exercere possunt, obsistente ipsa voti religione, quę cum ipsa rerum abdicatione, incapacitatem ejusdem dominii inducit. Apertissimi isthæc juris, sed quo sensu, qua moderatione, quibus item legibus accipienda sint, paulo diligentius ad multas difficultates expediendas, inquirendum. Et quidem incapacitatem hanc, non ex ipsa religiosæ paupertatis nuncupatæ natura exortam puto, adeo,

In Voto Paupertatis, dominium iure positivo extinguitur.

adeo, ut nequiret aliquis Regularis fieri, nisi omnimodam incapacitatem profiteretur, quemadmodum sentire videtur Lessius *Cap.* 41. *n*.8. sed verosimilius cum aliis Theologis statuo, ex jure aliquo Ecclesiæ positivo dimanasse, & ex antiquiori praxi, qua qui Ordini se devoveret, à se abdicaret, & quæ actu possideret, & quæ hæreditario cæteroqui, & legitimo alio jure obventura essent. Praxim hanc Justinianus Imperator firmatam jam tradidit Authent. *de Monachis C. de Sacrosf. Eccles.* in hæc verba: *Ingressi monasteria, ipso ingressu se, suaque dedicant: ideoque nec de his testentur, utpote nec Domini rerum*. Idem quoque in aliis collationibus *Collat. 9. tit.* 15. *de Sanctiss. Episc. & l. nunc autem C. de Episc. & Cleric.* usurpatum, ut proinde dubitari nequeat, quin Imperator legem hanc non tam prior sanxerit, quam consuetudine, suo tempore in monasteriis valescentem, sua adhuc auctoritate muniendam putarit, Pontificio insuper Oraculo legi firmandæ magis, sive vulgò canonisandæ robur addente. Nam teste D. Gregorio *lib.* 7. *epist. ep.* 7. & habetur 19. *q.* 3. *c.* 7. *Quia*, inquit, *ingredientibus monasterium, convertendi gratia ulterius nulla sit testandi licentia, sed res eorum ejusdem monasterii juris fiant, aperta legis definitione decretum est*. Non igitur Gregorius de lege alia, quam Ecclesiastica loquutus videtur, & quæ nuper tunc edita fuisset, ut Monachi dominium omne ablegarent, & neque testamentum amplius iisdem condendi facultas esset. E' converso autem fundamentum nullum, lex nulla, saltem ante Concilium Chalcedonense, in quo multa pro Monachis sancita, allegari potest, unde hujusmodi hominis incapacitas colligatur: immò potius vestigia multa extant, Regularibus dominium aliquod ante hoc idem tempus, affuisse, adeoque testamentum etiam condere potuisse. Valentinianus Augustus, & Marcianus, quorum alter anno 363. alter 450. imperium auspicatus est, legem tulerunt Monachorum ultimæ, & cuicumque alii dispositioni faventem, dummodo piam dispositionem respiceret, ut constat *ex lege generali C. de Sacrosf. Eccles. & l. si quis Presbiter C. de Episc. & Cler. ex C. Theodos. & Justin.* ubi Jurisconsulti advertunt, in

more

afore tunc positum fuisse, ut Monachi proprium haberent, sive ex jis bonis, quæ sibi reliquissent in nuncupanda professione, sive ex jis, quæ proprio labore, aut donationis titulo post professionem accessissent, præsertim quibus vita solitaria placuerat. Salicetus item notat in Authent. *Nunc autem* per eam jus antiquum correctum fuisse, quo Monachi sibi poterant dominium vindicare.

XXXI. Regularem igitur proprie quoad Paupertatis Votum, statuit, non dominii incapacitas, nisi de hoc ipso, ut fere semper fit, caveatur, sed ipsa rerum abrenuntiatio, quoad usum, nisi aliquid etiam, dependenter tamen à Moderatoribus ad ejusdem status rationem tribuatur. Et re ipsa è nostræ Societatis Constitutionibus, & ex Bulla Gregorii XIII. incipiente: *Ascendente Domino*, habemus eos, qui in Ordine exacto biennio tria vota simplicia emittunt, esse verè, & propriè regulares, & tamen non tantum dominii capaces sunt, sed & rerum dominium retinere possunt, quousque solemnem professionem faciant. Usus jisdem interdicitur jure, & voto ipso, ut non minus hi, quam cæteri, tum Societatis, tum etiam aliorum Ordinum Professi lethalem culpam, ac sacrilegam contraherent, si quidquam, inscio Moderatore, pro sua disponendi libertate, attrectarent: & ne in Societate nostra, opinandi quoquomodo libertati in re hac locus esset, in *Can.* 7. Congregationis Quintæ, & expressis verbis, statutum videmus: *Omnem dispositionem factam ab ejusdem alumnis etiam ante solemnem professionem, contra Votum Paupertatis esse.* Non obstante quod suorum bonorum dominium adhuc retineant: quia, alienatio quæcumque renunciatio, & dispositio quoad eorumdem usum, paupertatis votum in Regulari, natura sua afficit. Et ne quis doctrinam hanc, ut recens invectam, & praxi olim inusitatam putet, præter superius adnotata, videri potest epistola 26. Hiernoymi ad Pamachium, in qua is testatur, se cum fratre Pauliniano in eodem regulari statu possedisse ad tempus aliquod prædiola. Basilius quoque in nona regula affirmare videtur, potuisse Monachum, post professionem in paterna hæreditate succedere, suoque jure;

Paupertas propriè rerum usum excludit.

pie

pie tamen de eadem disponere. Multo igitur religioso statui congruentius, non obstante rerum dominio, nequire ullo modo regularem in sui, aliorumque usum quidpiam adhibere, quin è Moderatoris nutu pendeat; magisque noceat, ut adnotavit Theodoricus *Tract. de peculio relig. Regulari usus sine peculii proprietate, quam proprietas sine usu*: ex quo, laxioris vitæ occasiones plerumque dimanant. Utrum vero ex hujusmodi dominii retentione illicite tantum, an etiam invalidè Societatis alumni, disponerent suapte authoritate, insciis Superioribus, de sua hæreditate, in utramque partem à nostris Theologis disceptari solet.

Qua ratione, & quousque monasteriis acquirant Regulares.

XXXII. Ad Regulares tamen redeo, qui dominium quodcumque in Professione à se abdicant, sed nunquam ita, ut bona quæcumque, & ea omnia, quæ post professionem obvenerint, ad monasteria non transmittant, & incorrupta Ordinum praxi, & ex Authent. *Ingressi*. Nam licet singuli Regulares dominii expertes, professionis vinculo censeantur, attamen capaces sunt eorumdem Ordines, idemque jus firmavit, statuitque adhuc, quibus antea nullum erat, Concilium Tridentinum *Sess.25.Cap.3. de Regular.*, ut superiori libro vidimus, *exceptis domibus*, subdit, *Fratrum Sancti Francisci Capuccinorum, & eorum, qui Minorum de Observantia vocantur*. Qua exceptione, in contrarium firmatur Juris Ecclesiastici regula, ut cæteri adhuc Mendicantium Ordines dominii capaces ex eo Decreto effecti, possint successionis hæreditariæ, sive ab intestato capaces esse, sive ex testamento; sive directè iisdem Ordinibus hæreditas, aut legatum obveniat, sive suorum alumnorum ratione indirecte quidem, utpote qui in eorumdem jura succedant. Contra vero ii Ordines, qui dominii capaces non sunt, neque succedere, neque successionis jura alumnis suis permittere possunt, ut hæreditatem adeant. Hinc, si aliquis errore ductus sui patrimonii hæredem, Capuccinorum, aut Minorum Familiam ex testamento instituisset, eo quod filium suum ejusdem Familiæ Regularem haberet, irritum testamentum esset, & hereditas transmitti ad hæredes alios, qui ab inte-

testato succederent, deberet; neque proximi hi hæredes ullo justitiæ vinculo tenerentur hæreditatis aditæ æstimationem testatoris filio, aut monasterio restituere, è prædicta dominii incapacitate. Idem dicendum prorsus de Societatis Professis, sed paulo minus de ipsis domibus professorum, quæ institui possunt hæredes, & onus insuper aliquod testatoris subire, Capellaniæ videlicet, per Sacerdotes externos explendæ, si Moderator Generalis acceptarit: At nequeunt eædem domus Professorum bona stabilia, diu retinere, sed debent, cum commode poterunt, & decennio minus distrahere, ut liceat, juxta suum institutum, eleemosinis victitare. Eadem quoque legatorum ratio, & quoad Fratres Minores, & Capuccinos est, nisi in fraudem obtenderetur vera cæteroqui hęreditas sub legati nomine: unde si res legata stabilis sit, vel se movens, distrahi quantocyus debet, ut diurnis alimentorum usibus per dies aliquot, inserviat, aut necessitatibus monasterii, quibus in præsens prematur, non vero in fines alios, & ut substantia quodammodo confletur, contra instituti rationem: qua de re, neque legatum valeret; si eo nomine relictum esset, ut res immobilis, aut pretio utcumque æstimanda, à monasterio excoleretur, & servaretur saltem in gratam legantis memoriam. Illud nihilominus legatum, quamvis annuum censeri posset validum ex multis Theologis, quos citat Sanchez *lib.5. Summ. cap.26. n.42.* si iisdem Minoribus, & è Capuccinorum familia aliquid legaretur, non ad victum, & vestes, sed ad Divini Cultus rationem verius, quam splendorem, cujusinodi esset quidquid Sacrorum operationem spectat: nequit idipsum legari in domibus Professorum nostræ Societatis, quia è constitutionibus expressè prohibetur.

XXXIII. Porrò quod Regulares, eodem Paupertatis Voto, rerum dominium à se abigant, ac incapaces reddantur, intelligendum id est, de rebus temporariis, quæ pretio æstimantur, non verò de iis, quæ communi omnium judicio, in ordine quodam superiori recensentur, neque opulentiores, sed excellentiores præstant, qui possident; horum enim dominium in Regularibus adhuc re-

fidei, extendi, & amplificari potest, neque abdicari, nisi expresse velint, vel in peculiari aliquo Ordine, de hoc ipso aliquid sit statutum. Inter hujusmodi bona primum locum obtinet jus honoris, ac famę suæ quod quisque pro sua virtute tueri, & nervis omnibus amplificare debet, cum ex ipsis religiosis virtutibus proficiscatur, & in easdem uberius semper æstuantes provehat. In hanc sententiam ducor è mente D. Thomæ 2.2. *q*.186. *art*. 7. *ad* 4. qui ex communione quadam, quam probi viri habent cum Deo, & comprehensoribus, quoad virtutes, communionem etiam infert aliquam, quoad honorem, virtuti conjunctissimum, juxta Philosophum *in* 4. *Ethic*. unde honoris, & famæ propriæ jus alligatur religiosis adhuc viris, ut illud retineant abdicatis alioqui ex voto paupertatis cæteris aliis temporariis æmolumentis. Pressius hic me loqui fateor de eo jure, quod proprium honorem, & existimationem spectat, non autem de jure, & quidem proximo ad dignitates, gradusque licet Ecclesiasticos se extendente: nam quemadmodum hoc posterius majori virtutis, & Ordinis sui incremento ex utriusque instituto abdicari potest, ita nominis existimatio, ejusdemque dominium afficere debet regularem, ut augendum potius curare debeat, quam ullo pacto imminuendum; siquidem, vel levissima ejusdem jactura, non modo Regularem, sed Ordinem ipsum premit; & in eundem recidit. Quapropter mirandum non est, si sanctissimi viri regulares, qui contemnenda humana omnia duxerint, & dignitates valde suspiciendas, ad obtrectatorum tamen calumnias refellendas paulo impotentius resilierint, & ut indemnes se servarent, Ordinesque suos, vim omnem effuderint: de existimatione agebatur haud minus Ordinis totius, quam propria; & si propriæ utcumque cessissent, Ordini succumbendum fuisset, id quod Subditis nunquam licet. Regularibus item, non obstat paupertatis votum, quin jura alia suffragentur, & dominium tueantur, in eligendi, præsentandi, conferendi jure, similibusque aliis spiritualis jurisdictionis actibus: quia cum hujusmodi dominium nihil sibi peculiare vendicet cum dominio rerum pretio

acti-

æstimandarum cohærere optime potest cum perfectæ paupertatis voto, ut cum pluribus aliis docet Lessius *lib.2. cap. 4. dub. 5.*

XXXIV. Ne tamen aliqua religiosis Ordinibus irrepere possent, quę dominii speciem arguerent, & Regulares blande deciperent, inhibuit Concilium Tridentinum *Sess. 25. cap. 2. de Regular.* ne liceret Regularibus utriusque sexus, bona immobilia vel se moventia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere. Quæ quanquam incorrupte servanda sint, subjicienda tamen arbitror, quę in temperamentum quoddam juxta Sanctissimi Concilii mentem, aut genuinam Decreti interpretationem Theologi admittunt. Et quoad Decretum ipsum, duo maxime notanda in eo occurrunt, alterum est: *Non licere Superioribus*, verba sunt Concilii, *bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usum fructum, vel usum, administrationem, aut commendam.* Alterum est: *Mobilium usum, ita à Superioribus permittendum, ut eorum supellex*, pergit Concilium, *statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit, nihil etiam quod sit necessarium eis denegetur.* In quibus verbis diligentissime advertendum, aliam esse immobilium rerum, certorumque proventuum ex iisdem perceptorum rationem, aliam rerum mobilium: & priora quidem, ut religioso statui repugnantia absolute prohibentur quoad licitam possessionem, ut puniendi etiam Superiores veniant, qui Concilii Decreto contraiverint: nam, si & iisdem non licet concedere, delinquere eos patet, cum licere sibi animo ducunt, & licere possessionem Subditis patiuntur. At mobilia, quæ licitè permittuntur, debent, & religioso statui congruere, & arctiori Ordinis, in quo Regulares vivunt, paupertati. Utrumque sane tum ex legibus, tum etiam ex Ordinum consuetudine æstimandum. Manifestum enim in mobilium usu aliam esse praxim, aliasq; leges arctioris Ordinis S. Francisci, aliam vero, ut exemplis utar, Casinensium Monachorum, & quemadmodum ego damnare non auderem in hujusmodi usu, quæ Casi-

Quæ à Tridentino Regularibus interdicta.

nensibus à suis Superioribus permittuntur; ita hæc eadem si conferantur, cum rerum usu, in Capuccinorum Ordine permisso, absona ab eorumdem paupertate censeri possunt, cum leges juxta, ac consuetudo obstent. Patet igitur non una, eademque lege definiri posse licitam rerum se moventium permissionem, sed attendi potissimum debet quid Ordinis leges præscribant, & intra quos fines permissio isthæc concludatur, ne Concilii Tridentini Decretum quoquo modo infringatur.

Prælati facultas circa paupertatem.

XXXV. Judicium idem, & in rebus cæteris faciendum, ut & Prælati licite Subditis aliquando indulgeant, & ipsimet Subditi paulo laxius in paupertatis voto haud se gerant. Possunt nanque Prelati multa Subditis permittere, nullo fere voti detrimento, quin potius cum magna subjectorum ad cetera alia Religionis incommoda subcunda promptitudine: ut cum in honestos usus, vel ad relaxandum, è curis aliquando gravioribus animum, expendendi aliquid pecuniæ à parentibus, aut ab amicis accepte facultatem tribuunt. Superfluum id nullo modo dicendum, sed juxta prudentiæ leges, religiosæ charitati consonum, nec detrimentum ullum in paupertatis voto. Siquidem votum hoc arcte afficit voventes, ne ullius rei possessionem, tanquam naturales, verique Domini capiant, & suapte authoritate, nulla Prælatorum suorum dependentia, nutuve expectato. Ceterum, cum nihil sine eorumdem voluntate faciunt, ipsimet Prælati, Ordinis statutis præ oculis habitis, justas Subditorum petitiones pronis auribus excipere possunt, pariterque consulere quid privata etiam commoda, ad fovendam eorum alacritatem postulent, ut honestorum ceteroqui votorum compotes reddant, si Ordinis leges quod sepe insinuatum, non expressim denegent, & rerum perceptarum usus a Prælati potestate proficiscatur, & ad ejusdem nutum revocari possit, quo minus reipsa dominium in Subditis statuatur, & superfluum quid in iisdem resideat. Superfluum nanque censetur, quod nullum usum per se præstat habenti: nisi aliunde & ad delicias usque exaturato, non autem quod moraliter, & in communi aliorum exi-

sti-

ſtimatione advocatur, in honeſtum commodum, aut in-utentis decus ſtatui ſuo accomodatum.

XXXVI. Eadem plane ratione, magni nominis Theologi tuentur poſſe Moderatorum indulgentiam, extendi adhuc ad redituum annuorum permiſſionem, cum ſuperiori, quam diximus, moderatione, & neque in ipſis proventibus exceſſus ſit à religioſo ſtatu abhorrens, neque Ordinis legibus, & conſuetudini diſſonus. Æquiparantur enim, ſi inter ſe viciſſim conferas, poſſe Subditis permitti certam pecuniæ ſummam in licitos uſus, quoties juſta concedendi ratio ſubeſt, & eandem permitti in ſingulos annos, impetrata ſemel ad id Prælati facultate; quæ ſi ſuffragatur ad hoc, ut Subditus ſingulis vicibus licite accipiat, cur non & generatim, in ſingulos annos eandem rem? Aliquis plane non viderit, quid peculiaris juris, religioſę huic Prælatorum poteſtati officiat, & ſubditos ſimul violatæ paupertatis reos prodat. Quod neque etiam Tridentini proxime laudatæ ſanctioni repugnet, ex ejuſdem verbis conſtare poteſt: nam proventus annui inter bona immobilia numerari haud poſsunt, cum in re ſtatuantur, cujus dominium vel parentes, vel alii, è quibus regularis eos percipit, habent, & ſi forte haberet, è percipiendi jure, reniti contra ſuos Moderatores, nequiret, ſe ratione dominii juſte poſſidere, ac eodem titulo poſſe adhuc retinere, Prælato renuente: poſt ejuſdem dominii translationem. Dominium ſane ſi adeſſet in re immobili, è qua fructus proveniunt, monaſterio adeſset; unde ſalvis Concilii non tantum verbis, ſed & fine intento, verum rerum dominium à Regularibus omnino exterminaretur, & eleemoſinæ titulo, etiam ſi proventus permittuntur, contra religioſi ſtatus rationem, abſonum nihil inducerent. Sententiæ huic ſuffragantur Navarr. pluribus in locis *Comment. 2. de Regular. & lib. 3. Conſil.75.* Miranda *tom.1. Manual.q.* 28.*art.*8. Sanchez *lib. 7. Moral. cap. 22.* Sa *v. Religio n.*48. *ex eo Cap.* Quod Concilium in hac re, non ſtatuerit novum aliquod jus, ſed antiquum firmarit, ne Regularis quicumque citra Superioris ſui conſenſum, irrevocabili quodam jure retinere aliquid

ſi

fixum posset, maximeque statui supervacaneum, & indecens. Optime tamen monendum censuit Layman. *de Statu Relig. cap.7. n.13.* valde consultum esse Superiorum auctoritate, consuetudinem hanc, si alicubi vigeat, corrigi debere, *dummodo alia ratione sustentatio necessaria Regularibus provideatur, non autem permittendum ut in posterum sine urgentissima causa introducatur, partim quia paupertatis religiosæ perfectioni repugnat: partim quia credibile est, Tridentino Concilio propositum fuisse ejusmodi stabiles reditus, seu annuas pecuniarias pensiones omnino interdicere: quod etiam Cardinales censuerunt super Cap.2.*

De Voto Continentiæ.

XXXVII. Alterum Continentiæ Votum perpetuam obligationem inducit, ne ullam omnino veneream oblectationem in se quis admittat, sive ea in sola voluntatis consensione expleatur; sive ulterius in externum actum utcumque elicitum feratur; Purior hæc animi, corporisque quoad fieri potest mundities Summo Numini, dicata, nullam, ne leviorem quidem in hoc genere maculam ferre potest, adeo ut quæ leviora in plerisque aliis vitiis putantur, voto huic maximè adversentur. Præcipuum hujus rei fundamentum nititur consensioni Theologorum communissimæ asserentium in re venerea, nullam dari materiæ parvitatem, quæ à lethali culpa, si cæteroqui daretur, labentem excusaret; unde castitas cum voto conjuncta, multo majorem puritatis hujusce custodiam exigit, ne violari quoquo modo possit, quod sane in furto, in obtrectationibus, cæterisque aliis culpis ferendum esset, si levius fortasse, deliquisse aliquem contingeret. quam delicatiorem in continentiæ virtute solicitudinem, invehit profecto periculi metus, ne naturæ stimulis animus pulsatus in minimis punctionibus secure, & gratanter versatus, æstuaret, quin potius excandesceret brutorum more, in immodicas voluptates, facultate rationali æstu ipso abrepta, & Divinæ Legis prorsus oblita. Utcumque vero in re tanti momenti materiæ parvitas arceatur, negari nequit, continentiam voto religioso obstrictam in eo sitam esse, ut omnem prorsus voluntariam venereæ voluptatis titillationem excludat; & quoscumq;

etiam

etiam actus, qui in fecularibus licitè admittuntur, è conjugio tanquam facrilegos refpuat, ex indubitata Theologorum omnium doctrina.

XXXVIII. Hinc Regularis quicumque is fit, qui profeffionem emifit, fponfalia nullo modo contrahere valet, nec fi contrahat, vis ulla ineffe poteft, quæ contrahentem arctet: patet nanque in hujufmodi contractu. defiderari potiffimum vinculum, ideft contrahentis libertatem, à qua cum per religiofam profeffionem fe abdicarit arctiori vinculo, nequit proinde contractum quemcumque valide inire, nedum licite. Eadem fane ratio fortius urgeret, matrimonium inire attrectantem per verba de præfenti; & adhuc fi confummatum effet, irritum jure, & facto ipfo cenfetur, univerfæ Ecclefiæ, & Theologorum confeffione, è Jure Pontificio, *Cap. unico de voto in 6. Clement. unica de Confanguinitate, & Affinitate*. Adftipulantur antiquiores Patrum, & Conciliorum definitiones, Tridentini præfertim *Sefs.* 24. *Can.* 6. Peculiarius tamen dixi, de voto Regularis per profeffionem emiffo, ut exciperem fimplex caftitatis votum, five intra, five extra Ordinem fuiffet nuncupatum. Quamvis enim, qui alterutro arctatur, venereum quemcumque actum elicere citra facrilegium nequit; differentia tamen haud modica intercedit inter utrumque voventem. Solemni voto continentiæ devinctus factum, faciendumque matrimonium, nedum fponfalia, ita dirimit, ut nunquam, alicujus momenti firmitatem, obtineat, aut obtinere aliquando poffit: At fimplici tantum voto innodatus matrimonii initi, ufum tantum, ut illicitum damnat; cæterum vi fua validum adftruit, aut validum aliquando futurum, cum voti relaxationem affequeretur, fperat. Qua de re in Societate noftra, alumni, fimplicibus duntaxat votis obftricti, eandem juris interpretationem fibi tribuere potuiffent, putantes ex allegatis juribus, folemni tantum profeffione, fponfalia, & matrimonium fubfequens dirimi, nifi ejufdem Ecclefiæ authoritate peculiaris declaratio, & conftitutio alia, circa hoc idem prodiiffet: & prodiit fane ex Conftitutione Gregorii XIII. *Afcendente Domino*, in qua

Dirimit fponfalia, & matrimonium.

qua cum definiret Pontifex, simplicibus votis obstrictos dimitti è Societate posse justis de causis, addit: *Neque ante hujusmodi dimissionem, matrimonium contrahere: quinimo eos omnes ad contrahendum inhabiles, ac contractus hujusmodi nullos, & irritos esse, prout irritos facimus, & annullamus*. Eadem igitur authoritate, qua potest Summus Pontifex, & Ecclesia, matrimonii impedimenta, & dirimentia adhuc, declarare, vim, potestatemque majorem, vel minorem statuere, ut definitum constat Concil. Trident. *Sess.* 24. *Can.* 3. potest in professione religiosa, & voti cujuslibet vinculo, quemadmodum & facto ipso, & prædictis sanctionibus probatur: & eo remedio subveniri Societati maximè expediebat, ut circumventionibus, & fraudibus occluderentur rimæ: frequentiora enim effluxissent incommoda, quæ Divinum Cultum, communem Ordinis disciplinam, & religiosi status reverentiam infregissent; præter quotidiana eorumdem voventium pericula, quibus iidem objecti fuissent, è naturę stimulis, ex amicorum, vel consanguineorum suasionibus, innumerisque aliis hujusmodi illecebrarum occasionibus, si non obstante religiosi status vinculo, juniores, se ad matrimonia validè contrahenda Juris beneficio, idoneos nossent: unde, si non natura sua religiosa hujusmodi professio subsequentem matrimonii contractum irritat, evincit idipsum, canonica Ecclesiæ constitutione, quod de militibus S. Joannis affirmandum utcumque censuit. *Sot. in 4. dist.* 27. *qu.* 1. *art.* 4.

Professione matrimonium ratum dissolvitur.

XXXIX. Summatim hæc de Regularium Professione subsequens matrimonium nullum prorsus efficiente. Contra vero tanta est ejusdem professionis vis, ut, ne dum sponsalia, sed matrimonium ratum, ante religiosi habitus susceptionem, dissolvere valeat, invito adhuc, & reclamante altero conjuge. Hujusmodi veritas, quam semper Ecclesia juribus, & praxi complexa olim fuit in *Cap. ex publico, Cap. ex parte de conversione conjugat. Cap. commissum de Sponsal. Cap. unico de voto in 6.* Et quam Scholastici omnes propugnarunt ad Fidem pertinere Concil. Trident. *Sess.* 24. *Can.* 6, in hæc verba tandem docuit: *Si quis dixerit,* ma-

matrimonium, ratum non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit. Declarationi huic aditum reseravit Novatorum error è regione oppositus, quo iidem damnare videbantur Catholicos tanquam adversantes vinculo matrimonii, ex Oraculo CHRISTI DOMINI, nullo alio jure dissolvendo Matth. 19. *Quos Deus conjunxit, homo non separet*. Fortasse quia nullum discrimen agnoscentes, vel verius agnoscere nolentes, inter matrimonium ratum, & consummatum, si utrumque perfectum fateri debemus omnes, utrumque simul haud unquam dissolvendum, per quamcumq; aliam authoritatem divina minorem, affirmare cogeremur. Sed error, qui divina authoritate inniti videtur, eadem authoritate dispungitur. Verba illa CHRISTI DOMINI feruntur, in conjuges, ubi per conjunctionem effecti jam una caro fuerint, & innuit maximè vox illa, *conjunxit*, ut dubitari nequeat, quin ex conjunctione firmitas illa indissolubilis oriatur. Cum vero ipsa matrimonii rati natura, neque exprimat, neque hujusmodi conjunctionis necessitatem secum invehat, discrimen profectò magnum adesse debet, inter ratum, & consummatum; ex quo capite Alexander III. in *Cap. 2. de convers. conjugat* infert, matrimonium ratum dissolvi posse, si vinculum fortius, Deoque gratius, ideft religiosa professio accesserit. *Quia*, inquit, *cum non fuissent, una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, & alter in Seculo remanere*. Eandem in Ecclesia praxim antiquissimam fuisse, neminem latet, suadentque non tantum præallegata jura, sed multo antiquiora. *Cap. desponsatam* 27. q. 2. & tribui solet hic idem Canon Eusebio Pontifici, qui in hunc modum se habet: *Desponsatam puellam non licet parentibus, alii viro tradere, licet tamen illi monasterium sibi eligere*. Exploratum tamen, ut omittam in eadem re Ecclesiasticas Historias, de Paulo Theclam à nuptiis revocante, antequam matrimonio copularetur, atque de Matthæo item Apostolo Iphigeniam virginem ad Cęlestis Sponsi nuptias, refutata Hirtaci desponsatione, invitante; à Justiniano idem jus firmatum in *l. ult. C. de Episc. & Cleric. & in* Authent. *de Sanctis Episcop.*

collat. 9. cap. 39. Sponsalibus. Sed licet Justinianus jus hoc protenderit ad ipsum matrimonium consummatum, de quo, & quo sensu, infra; erui, par est, inolevisse semper apud Catholicos eandem consuetudinem, tanquam in Ecclesia inconcussam. Sed hoc idem juris, quod religiosam professionem attingit, non perinde se habet cum sacris Ordinibus initiato, ut possit, qui transit ad Subdiaconatum, matrimonium ratum dissolvere: Id namque valde dubii juris est, & tacite saltem improbare videntur Theologi fere omnes. Covarruvias in 4. *Ripart. cap.* 7. cujus diversitatis fundamentum esse potest, eò quod conjugium à religiosa professione plurimum distet, non item matrimonium, & Ordo quicumque sacer, quoad vivendi rationem: alterum enim Seculo mancipari quodammodo, abrenuntiare altera debet, ut mirum non sit, professioni congruere posse, quæ sacro Ordini nequaquam congruunt, si interim prętereamus affinitatem aliam, qua professioni concedatur matrimonii rati solutio, ob civilem sive spiritualem mortem professi. Nam sicut mors naturalis matrimonii consummati vinculum dissolvit, eo quod vinculum adhuc carnale sit; ita mors civilis, matrimonium ratum, quamdiu in hoc statu vinculum solummodo spirituale refert;

Constante matrimonio an professio valida?

XL. Verum, matrimonio consummato, nequit alter conjugum inscia, aut renitente uxore, Ordinem petere, & si petierit, potest uxor à monasterio revocare, implorata Judicis Ecclesiastici, qui ex officio agere teneretur, ope, si professionem adhuc nuncupasset vir, & è contra *Cap. Quidam. De convers. conjug.*, in quo sic habetur: *Respondemus quod votum non tenuit; unde ratione voti, ad monasterium non tenetur redire*. Et *Cap. Placet eodem tit.* habemus mulierem bona fide professam in monasterio, eò quod putasset virum suum defunctum, ab eodem post reditum, in domum suam fuisse revocatam. Ratio ducitur ex ipso matrimonii vinculo arctissimo, & nunquam nisi morte dissolvendo, ubi legitima, & mutua corporum traditio insequuta sit. *Legitimam* dixi; nam si forte copula matrimonium præcessisset, antequam per verba

de

de præsenti contractus iniretur, ad effectum religiosæ professionis, matrimonium non consummatum, sed ratum censendum esset, si alter conjugum in regularem vitam migraret: nisi injuria irrogata aliud exposceret. Conjux à monasterio ad Seculum revocatus liber manet; & ad summum, cum se peculiari Voto Castitatis adstrictum voluit, solemnis votorum professio in illud simplex transit, ex iisdem allegatis juribus: dicitur enim in *Cap. Placet.* Quod *licet votum ejus usquequaque non tenuerit, eatenus tamen fuit obligatorium, quatenus se poterat obligare: promisit enim intrando monasterium, se non exacturam carnis debitum, quod erat in potestate ipsius*. Ut vero conjux fieri regularis possit, præter facultatem ab altero conjuge factam, adamussim servandum, quod statuitur in *Cap. Cum sit. De convers. conjug.* ejusdem verba sunt: *Prohibemus, ne virum, vel uxorem, nisi uterque ad Religionem migraverit transire permittas. Verum si ita uxor senex est, & sterilis, quod sine suspicione possit esse in Seculo, dissimulare poteris, ut ea in Seculo remanente, & castitatem promittente, ad Religionem transeat vir ejusdem*. Idem prorsus statutum videmus *Cap.* Uxoratus, & *Cap. ad Apostolicam eod. tit.* debet igitur intercedere mutua conjugum deliberatio, & mutua regularis disciplinæ professio, ad incontinentiæ periculum arcendum. Timendum enim esset, ne, si alter ad Religionem convolaret, altera, in Seculo remanente, in ætate quidem ad procreandos filios apta, & tentationum stimulis divexata, incommoda sequantur periculosiora, quam commodum fortasse alterius conjugis è sua professione æstimandum sit. Sed si nolit alter conjux, alterius exemplum æmulari, permissione tantum ad regularem disciplinam alteri data; idcirco in capite laudato *Ad Apostolicam*, hoc modo decernitur: *Non est alter conjugum recipiendus ad observantiam regularem, nisi reliquus perpetuam continentiam repromittat; sed & vitam debet mutare, nisi forte sit ejus ætatis, ut sine suspicione incontinentiæ valeat in Seculo remanere.* Et sane pro substantiali professione alterius conjugum ad hoc, ut valide celebraretur, sufficit consensus ab altero præstitus, quamvis nec religionem is, sive potius uxor susceperit, nec votum conti-

nentiæ in Seculo manens emiserit, sive juvenis, sive grandęva fuerit, prout communiter sentiunt Canonistæ ex Canone *Agathosa* 21.*q*.2.culpandi potius essent Prælati Regulares, & puniendi, si ad professionem admitterent uxoratum, antequam constaret, uxorem, idem dic de uxore respectu viri, continentiæ saltem votum emisisse: qua negligentia, illicita, & nullo pacto invalida esset ejusdem professio, etiamsi uxor facti pęnitens revocare virum suum vellet. Inanis censeretur hujusmodi pęnitentia, eo quod per facultatem ingrediendi, & profitendi antea viro præstitam, cessisse pristino juri suo videtur, ad mutuam suorum corporum traditionem. Cum vero indulgeatur alteri conjugum, in Seculo remanere, si sit senex, nuncupata tamen continentia; inquiri potest, qui proprie ad permissionem hanc obtinendam dicantur senes, & quamvis jejune satis controversiam, dirimere conati sint Theologi: & Canonistæ alii; attamen Sanchez pro dignitate, eandem expediendam curavit, *lib.* 7. *de Matrimon. disp.*32.*num.*16. & tum ex Jure Cæsareo, ac simul Pontificio, tum etiam ex auctoritatibus Philosophorum, evincit tandem, quod inquirimus. *Ex his ergo*, inquit, *existimo virum sexagenarium esse dijudicandum, ad hunc effectum senem. Quod vel ea ætate, vel paulo post accidat hodie communiter sterilitas, & sit jam proximus interitus, &c. At fœminas quinquagenarias credo esse senes ad eundem effectum, quia attento breviori vitæ cursu ipsarum, ac celeriori senectutis adventu, tam senex est mulier quinquagenaria, quam vir sexagenarius.*

Copula in religiosis conjugibus sacrilega.

XLI. Ex eadem continentiæ religione conjuges ipsi, si mutuo consensu solemnem professionem emisissent, &, occasione oblata, conjugii usum repeterent, violatæ continentiæ rei efficerentur, nec minus, quam alii votorum transgressores. Etenim ex quo seipsos Deo dicarunt, conjugalis copula, quæ ante professionem suapte natura honesta erat, in deformem illicò actum, in ejusdem professionis nuncupatione, sacrilegii labe respersum migrat, & nulla amplius honestate afficitur, haud aliter quam si quis pretiosam rem, cujus olim dominium, pos-

ses-

fessionemque habebat, in alterius potestatem, transtulisset. Is certe nequiret amplius eandem repetere, vel cum justæ alioqui traditionis pœniteret, vel quia putaret, antiquum dominii usum pro libito revocandum: unde si eandem subripere quibuscumque artibus conaretur, tanquam furti intentati reum Judices pronuntiarent. Potiori itaque jure existimandum, religiosos illos conjuges sacrilege copulatos, qui ubi eam corporum traditionem olim rite exercitam, ablegarant Divini Cultus ratione, Deoque dicarant, facti pœnitentia, contra voti nuncupationem commoti, sibi rursus vendicant, de quibus Apostolus 1. ad Corinth. *Cap. 5. Nubere volunt*, inquit, *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*. Idest, promissionem Deo nuncupatam de continentia in posterum servanda. Minus fortasse efficax ratio ab auferente rem antea donatam ducta, pronuntiari potest, cum conjuges, licet mutuo consensu professi, censeantur adhuc ad invicem suorum corporum domini, eoque in regulari statu repetentes matrimonii usum, nec fornicationis, nec adulterii, sed sacrilegii tantum labe inficiantur. Sed si probè ratio eadem expendatur, sacrilegii labes ipsa, hoc potissimum exemplo patet. Sacrilegium enim ex rei sacræ contrectatione, invito summo numine, profluit: At si sacrilegè, religiosos conjuges constat suorum corporum traditione uti; perspicuum profecto est, traditionem eam, quam Numini per continentiæ votum libarant, tradiderantque, invito adhuc donatario, & severe prohibente, ab jisdem attrectari, & per nefas repeti. Quod vero fornicationis, aut adulterii malitia absit; ex eo dominio, ut ajunt radicali quod adhuc residet, provenire potest, de quo nulla subest dubitatio; matrimonii usum in religiosis conjugibus sacrilegium fatemur; quia is idem Divino Cultui, mutuo consensu, dicatus ullo pacto repeti, & attrectari amplius nequit, ut res semel donata; sive usus tantum donatus sit, sive ejusdem rei usus, & proprietas omnis.

XLII. Tertium religiosæ professionis Votum, quo hominis voluntas per Obedientiam homini subjicitur, quanquam non ut homini, sed, ut CHRISTI DOMINI *De Voto Obedientiæ.*

in

in eo domicilio, vel Ordine vices agenti, atque in sublimiorem Evangelicæ perfectionis metam suo imperio dirigenti; ex quo sane fundamento pronum est intelligere, Regularem, obedientiæ nuncupatę legibus, teneri ad omnia à Prælato suo præscripta, quę suum institutum proxime attingunt, & Evangelicorum consiliorum praxim, ne dum, Præcepta Decalogi, singula: etiamsi revocari in dubium posset, an quod imperatur, finem hunc debitum intendat, nec ne, favente imperanti, ipsa imperandi facultate, ut Theologi affirmant. Lethali subesse culpæ Regularem, nemo dubitat, si imperata exequi detrectet, non ad quodcumque Prælati imperium, sed cum rei gravitas postulat; cum ejusdem Prælati authoritas contemptui pateret, & cum alterutra ex his causis urgente, accederent verba ejus, cujus vices agit, authoritatem præseferentia: videlicet: *In Nomine Christi Domini: In Nomine Sanctissimæ Trinitatis: In Virtute Sanctæ Obedientiæ præcipio*, & his affinia, gravem per se inducentia obligationem: qui sane præcipiendi modus, ut vim suam obtineat, adigatq; subditum, non in re quacumque, & parvi momenti, quę venialem culpam haud excedat, in se absolute perspecta: sed in ea, quæ subditum, à noxia saltem delinquendi occasione averteret, aut meliorem probaret, juxta Ordinis leges, Divinæ traditæ Sapientiæ affines. Quid tamen in rebus aliis sit sentiendum, complures propugnant mortiferam abesse culpam, si Subditus obedire renuat, absque ullo Prælati contemptu: verum, oppositam sententiam in hac materia semper duxi veriorem, quoties Ordinis sui usus invaluit, ut plurimum ab aliis, in iisdem circumstantiis, præstitum Prælatis obsequium, eo quod turpissimus cæteroqui aperiretur aditus, detrectandis sæpè jussis, & Moderatoris authoritati infringendæ, contemptu saltem implicito, nec minus aliorum exemplis noxio. Et quamvis Miranda *qu. 26. art. 9.* doceat, Prelato indifferentia præcipiente, nullam in subdito obediendi obligationem saltem gravem, adesse; prætermitti utcumque id posset, si notesceret inania tantum, & ridicula, eo præcepto imposita; secus tamen esset, si in honestum finem referren-

rentur: *Quæ ex genere suo indifferentia sunt*, sic ait Layman. *Tract.de statu Relig. cap.9. n. 5. & non mala, si à Superiore imperentur bono fine, v.g. intentione exercendi Subditos, in obedientiæ virtute per circumstantiam finis virtuosi cohonestantur, & boni fiunt, &c.*

XLIII. Statuendum igitur religiosæ obedientiæ votum non in rem, ut cumque honestam ferri, sed tantummodo in eam, quæ proprii cujusque Ordinis scopum, legesque eo tendentes attingit, ut propterea subditum haud deliquisse contra religiosam obedientiam putandum sit ex eo quod, parere recusarit Moderatori suo honestum aliquid, at ab instituti fine alienum præcipienti. Id quanquam novum, & insolens videri posse arbitror, nec non, & regularis disciplinæ nervos infringens: attamen si probe res expendatur, eidem, solidiori adhuc fundamento favere, existimandum. Sententia plane hęc patronos habet doctissimos,& pietate adhuc illustres. Apponã Suarii verba post discussas aliorũ opiniones ex adverso pugnantium: *Dico ergo*, inquit *tom.3. lib. 10. cap. 8. de Relig. ex voto obedientiæ solum tenetur unusquisque religiosus obedire Prælato, juxta professionem suæ regulæ, idest intra limites regulæ, ut comprehendit omnia, quæ ad perfectam illius observantiam, vel necessaria, vel convenientia, aut utilia esse possunt*, subdit deinde D. Bernardi in idem conspirantis rationem subjectis verbis, *lib.de Pręcepto, & dispensat. cap.7. Is qui profitetur spondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam, sed determinatam secundum regulam, &c. Proinde si professio secundum istam regulam Abbas meus mihi aliud forte imponere tentaverit, quod non sit secundum regulam, aut etiam quod non sit secundum ista instituta, verbi gratia Basilii, Augustini, Pachomii, quęnam mihi quęso in hac re necessitas imminet obsequendi? solum quippe id à me posse exigi arbitror, quod promisi*. Annectendus etiam D. Thomas, qui 2. 2. q. 102. art. 5. triplicem statuit religiosam obedientiam necessariam scilicet, perfectam, indiscretam: quia vero, prioris generis obedientia, sub obligationem cadit, extendi eandem definit, ad ea, quæ ad vitam regularem pertinent: *Quia Religiosi solum*, subdit, *profitentur obedientiam quantum ad regularem conversationem*,

In quibus rebus obligat.

Po-

Potissima ejusdem rei ratio deducitur ex ipsis Divi Bernardi verbis, nempe, è voventis animo, quo quilibet Regularis non ad omnia sane religiosæ disciplinæ munia se obstrinxit, sed ad ea tantum, quæ in suo Ordine, usu, legibus decreta, firmataque advertit: cum vero alia, atq; alia superadduntur servanda, licet ea honesta sint, & Ordinibus aliis statuta, eo ipso, instituti fines excedunt, ad quos voventis intentio, cum professionem suam nuncupavit, ulteriorem gradum nequaquam spopondit: exemplum valde accomodatum dat D. Bonaventura in Fratrum Minorum Regula, in qua carnium comestio certis anni diebus haud vetita: vetita omnino eadem Chartusiensibus, nunquam probanda satis consuetudine: non ideo tamen quia his probata, servanda statui posset Sancti Francisci Sectatoribus, iisdemque sub obedientię præcepto inculcanda: excederet enim Franciscani Ordinis limites, & voventium animum, ea tantum sibi servanda statuentium, quæ in eodem Ordine firmata jam probe norant: Sentiendum tamen secus esset, si de rebus ageretur sui Ordinis reformationem, aut munimen tangentibus. His porro casibus relaxatas antea leges instaurari, non modo laudabile est, sed enixe pro viribus elaborandum, atque ubi monita, aut blandæ adhortationes in irritum forte reciderent, obedientiæ pręcepto, pęnisque in contra nitentes impositis, severe animadvertendum esset: etsi leges illas aliquo modo exolevisse, neque ad illas per religiosæ obedientiæ votum, se adstrictos laxiores Regulares clamitarent: non idcirco exolutos censendos; sed compellendos duxerim, propterea quod, in votorum nuncupatione, sub certi Ordinis instituto, cadunt ea omnia, quæ in eodem Ordine Sanctissimi Conditoris disciplina servanda præscripsit. Idem judicium profecto esset, cum Summus Pontifex novas videretur condere leges: nam vel Ordinum reformationem intenderet, ut ad primævam suarum legum normam revocaret, vel si novas prorsus ferret, in eum ferret finem, ut earumdem subsidio, inducta olim disciplina firmius subsisteret.

XLIV. Verum, ut doctrina hæc, in praxim sæpe tra-

trahenda, clarius tradatur, accidere potest, ut lex nova in Ordine Subditos omnes obstringens, feratur, plerumq; in Comitiis generalibus, per quam, modus vivendi arctior, Ordini insuetus, neque ad ejusdem leges proxime conducens inducatur. Quod ea teneantur omnes, & eo graviori vinculo, quo gravior præceptæ rei materies est, suadetur è vigesima nona Juris regula in 6. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*, idest usu, & praxi, quæ quacumque alia commendatione, nobilior approbatio censeri debet; sed cum Comitia generalia, penes quæ ut plurimum ferendi leges absoluta authoritas est, totiusque Ordinis corpus coalescit, statuant, quod omnes & singulos alumnos tangat; omnes, & singuli proinde complecti statutum debent ea veneratione, eademque praxi, qua cæteras alias Ordinis leges observandas sibi à susceptione religiosi habitus proposuere. Votum insuper obedientiæ potissimum id efficere videtur, ut Subditus voluntatem suam Moderatoris imperio mancipet, in iis maxime rebus, quæ Christianam perfectionem impensius fovent; hujusmodi autem cum sint, quæ præscripta in comitiis, vel à Generali Moderatore summam fere in Ordine authoritatem habente, censemus: inferendum idcirco, nequire subditum quemcumque conditæ legi, citra gravem culpam obniti, aut quomodocumque ejusdem obligationem haud subire. Oppositam tamen sententiam tanquam communiorem tuetur Vasquez *lib. 3. tom. 2. disp.* 154., & è superius jacto fundamento asserit, Subditum Regularem vi voti obedientiæ, non omnem prorsus voluntatem in Superioris imperium rejecisse, ut is pro libito, imperare possit, & imperata alius facere, sed quatenus Subditus dirigendum, se Moderatori dederit, juxta constitutionum, legumque in Ordine statutarum disciplinam, & quæ proxime eandem custodiant: qua de re, si præter receptam, firmatamque in Ordine disciplinam, alia, quamquam arctius ad perfectionem regularem pertinens, & modus alius omnino diversus decerneretur, reclamare ex adverso possent Subditi, se modum hunc, legemque, neque directe, neque indirecte contentum in Regula nolle. Quia

Quod Juris in novis legibus.

vero non tam facile suspicari possumus in hisce comitiis generalibus, in quibus convenire solent præcipui doctrina, & pietate Ordinis viri, ut ab Ordinis disciplina alienum aliquid statuere iidem velint, ut plurimum quidquid statuitur, tanquam Ordinis constitutiones propius attingens, suspiciendum, neq; proprio judicio, vel privatę alicui adfectioni immoderatius fidendum autumo: nisi evidenter constaret novum illud jus, casu aliquo, & absq; maturo examine, perturbatis rebus, conditum fuisse. Validissima quidem juris præsumptio, spectatis circumstantiis omnibus, Moderatores semper, pęnes quos Ordinis auctoritas deprehenditur, propugnat, ac propterea judicandum semper, legem illam prodiisse, & arctiorem vivendi formam, ad instauranda prima instituti fundamenta; neque aliter provideri potuisse, quam eo severiori fortasse statuto restituendæ Ordinis integritati peropportuno. Haud tamen negarim facilius adhuc infringi posse eandem juris præsumptionem in singulis monasteriorum Superioribus, quorum privatę sępè adfectiones aliquid plus sibi licere putant in Subditorum gubernatione, atque adeo in imponendis hujusmodi obedientiæ pręceptis, quam Ordinis, & paternæ Charitatis leges ferant. Id certe exploratissimum, in dubiis potiorem esse possidentis, hoc est Moderatoris conditionem, & disciplinæ regularis intendendos potius nervos, imperio, quam socordia quadam laxandos.

Urgent in reformatione Ordinis.

XLV. Quibus vero indiciis constare possit, legem novam in comitiis generalibus latam, vel ab habente supremam in Ordine authoritatem, ad Regulam pertinere, neque ullum Subditum ab ejusdem legis obligatione excusari posse, pronum erit instituti leges alias callenti dijudicare; si videlicet tanta inter antiquas, & novam hanc intercedat connexio, & dependentia, ut prioribus posterior respondeat, & aliæ hac eadem, ultro veluti sustententur. Cum igitur vota Religionis, cęteræque constitutiones substantiales labare videntur, quin potius effricta multorum fronte in exitium ruere; e regularis fane disciplinæ necessitate fit, ut severiori aliquo statuto occurratur, quod nequaquam alienum ab Ordine existimari debet,

bet, quia olim, & aliàs fortasse inusitatum: fuerit sane ita: inusitatum olim, non alia ratione, nisi quia legibus aliis morem, & venerationem gerebant Subditi; verum cum eorumdem vitio eędem leges proculcentur, & Ordo fere totus antiquam disciplinam deseruerit, remedia parari debent, quæ collapsam instaurent, & Ordinem fulciant: unde Sylvester, Armilla *v. Relig. Sanch. lib. 6. Summ. cap. 2. n. 22.* aliique, qui idem sentiunt, firmissimo hoc fundamento nituntur, ac sapienter ratiocinantur, indirecte saltem ad Ordinis substantiam pertinere, statutum omne sive latum jam, sive ferendum, sine quo nec Regula, nec Ordinis constitutiones vim suam, ad perfectionem tutandam exercere possent: & cum ejusdem Ordinis Regulares religiosam hanc disciplinam quoad substantialia profiteri, professionis nuncupatę vinculo obstricti sint, affirmandum pariter, se, in eadem nuncupatione adstrinxisse ad ea omnia, quæ proxime Ordinem munirent, vel potius quæ disciplinam notabiliter non infirmarent: frustranea alioqui censeretur nuncupatio ipsa, quemadmodum irriti ægrorum conatus, qui cum valetudinem pristinam in votis habeant, remedia tamen paulo austeriora, quamvis necessaria respuunt. Ad ejusdem sententiæ robur accedit, eos authores, qui cæteroqui leges Ordinis minus substantiales, ab immemoriali tempore, vel legitimo alio ad præscriptionem inducendam apto, desuetudine, ut ita dicam, abolitas, jejunia quædam, macerationesque alias, haud strictim obligantes, insequentes professos existimant, ex ea juris pręsumptione, quod iidem voventes, Ordinis regulam acceperint juxta suorum temporum consuetudinem, tueri nihilominus mordicus, è superiori fundamento, acceptandam esse per novum statutum reformationem: *Si temporis progressu*, ait Layman. *loc. cit. qu. 4. appareat, regulæ reformationem, strictioremque observationem, necessarium medium fore ad Ordinis conservationem: tunc Prælatus cum Capitulo, & multo magis Summus Pontifex compellere potest ad regulæ reformationem acceptandam, quippe quam implicitè promisisse censeatur, &c.* Cum autem plerumque accidat, uti ex-

KK 2 pe-

perientia nos edocet, si Ordo aliquis à Fundatoris sui institutis præceptis recedat, paulatim ad deteriora tendere, cum Ecclesiæ, & ipsorum maximè Religiosorum spirituali detrimento, ideo plerumque Professi, reformationem regulæ collapsæ factam à majore parte Capituli, multo magis à Summo Pontifice acceptare tenentur.

Obedientia in Monialibus.

XLVI. Religiosæ quin immo obedientię voto tenentur Moniales omnes, &, si ab ea, quæ monasterio præest, in gravioribus instituti sui legibus, & cum præcepto urgentur, se subtraherent, lethalem culpam admitterent, ut Regulares reliqui iisdem votis obstricti. Controversia solum inter Theologos est, quonam pacto teneantur? nam spiritualis, ea potestas est, quam residere in Moderatoribus, atque ex eadem profluere, Subditis vim imperandi, pro certo habemus. Contra vero, cum in Abbatissis, & si quocumque alio nomine nuncupantur, quæ Monialibus præsunt, spiritualis hujusmodi potestas, ratione sexus, neque insit, neque inesse possit, sequitur quod neq; imperare possint, ut Moniales imperium detrectantes, in lethalem culpam incidant contra obedientię votum. In dubium autem revocari nequit, fœminas quascumque spiritualis potestatis incapaces esse, ex unanimi Theologorum sententia, simulque Romani Pontificis definitione *Cap. dilecta. De majorit. & obed.* Sed difficultatem hanc omnino divellunt, qui in Moderatorum authoritate duplicem differentiam agnoscunt, alteram, quæ recta dimanat, à potestate propriè spirituali, virtute clavium Theologis proprie dicta, à CHRISTO DOMINO demandata, quibus commendatam voluit idem Dominus spiritualem Ecclesiæ suæ curam, in Sacramentis administrandis, in sacris Ordinibus conferendis, in Ecclesiasticis censuris infligendis; alteram vero, vulgò dominativam appellamus in potestate utcumque fundatam, qua ejusdem imperio subjicimur, alieno nomine, aut quia nosmetipsi alicui subesse patimur; & arctiori vinculo, quo possumus: Hinc ultro fatemur, Abbatissam prioris authoritatis omnino expertem: at quis vetat, potuisse Moniales peculiari obedientiæ voto alligari ad ea omnia, quæ pro-

propius institutum attingunt, ut ejusdem voti violati agerentur, cum imperium Abbatissæ, in CHRISTI Nomine præcipientis abnuerent? Certè cum Apostolus suadebat, immo & præcipiebat secularibus Principibus venerationem. exhibendam à Subditis, magni sane ducendam rationem adstruxit. *Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*, id innuens, imperium omne rite, honesteque coordinatum, a Deo Optimo Maximo esse; neque eandem gubernationem procaci animo perverti citra gravem Divinæ Majestati irrogatam injuriam posse: negare sane poterit Moniales impune, & ad arbitrium, violare posse Abbatissæ authoritatem, qui Monialium gubernationem ad Dei Cultum legibus probe constitutis haud referendam assereret, etiam si nullo certo ad parendum voto eædem Moniales adstringerentur. Quid tum, cum votum ipsum accedit, quod non coactè, sed spontè emiserunt, se obsequium exhibituras cuicumque, quæ CHRISTI DOMINI Nomine, in eo Monasterio, in quo vivunt vices gereret.

XLVII. Præter tria isthæc vota religiosum statum complectentia, sine quibus periret monastici Ordinis robur, ac substantia omnis, sunt & aliis vota alia, quę peculiare institutum aut integrant, aut exornant, & aliud ab alio perquam concinnè distinctum, spectandum se Christiano Orbi offert. Peculiarium horum votorum nuncupatio, è fine, quem quisque Ordo proxime habet, desumendus est, & commendandus, quod promptius in eundem feratur, reluctante quamvis natura ad graviora semper humanæ infirmitatis incommoda: sed vincit animus insitam naturę laxioris, cupiditatem, majori semper Divinæ Gratiæ subsidio subeunte. Camaldulensium, & Chartusiensium Ordines, quia arctiori secessui, ob rerum divinarum assiduam meditationem se dedicant, ad eundem secessum, quo firmius hæreant, voto se communiunt. S. Petrus Nolasco asseclas suos in Ordine instituto de captivis redimendis sub Paganorum potestate detentis, quarto voto obstrictos voluit, ut quoties opus esset, manerent ipsi, vel captivorum obsides, vel objecti in

Vota peculiaria Ordinum.

pi-

pignus quousque Christifideles, de quibus res agitur, liberarentur. Voto etiam peculiari, S. Francisci de Paula Sectatores alligantur, abstinendi à carnium comestione, eo quod, præcipuum Ordinis sui finem eximius Patriarcha in jejuniorum frequentiori usu propius assequuturum sperarat. Societatis JESU Professis, uti vocant viris, in suscepta proximorum salutis ope, accomodatius erat nihil, quam sedulo cavere, ne alio distraherentur, dignitatis alicujus spe ob oculos obversante, captandæque ambitionis æstro: ea propter in ipsa solemni professione, votum inter plura alia emittitur, nunquam neq; intra, neque extra Ordinem dignitatem aliquam ambiendi, sed pro viribus curandi insuper, ut quandocumque socius aliquis eandem affectaret, idque resciret, illico Superiores admonitos faceret; & ne longius evager, Infirmorum Regulares Ministros peculiare adhuc votum devincit ægrotis quoad possunt, subveniendi, inserviendiq; adhuc pestilenti lue infectis, quoties in ea urbe, in qua jidem sunt, pestis grassaretur.

Monialium Clausura. XLVIII. Singulare prorsus Monialibus omnibus, & cujuscumque Ordinis eædem sint, dummodo religiosam professionem ediderint, perpetui secessus intra monasteria, in quibus Professæ sunt, votum. Et antiquitus quidem, hujusmodi secessus ab ipsa honestate, & virgineo pudore invectus, nec tamen arctus adeo, ut nequirent certis diebus intra annum, aut gregatim, aut seorsim, relaxandi animi, aut negotiorum graviorum causa, è monasteriis egredi, faciliori eorum, qui easdem regerent indulgentia. Progressu temporis facilitas hæc in vitium soluta, cautiores Episcopos reddidit, maximeque Romanos Pontifices, ne de cætero occasio ulla ministraretur, vel nimia facilitate delinquendi, vel saltem suspicandi, quod inhonestiores puellas haud leve detrimentum inferre posset, Qua de re, Bonifacius VIII. Constitutionem hanc salutarem primus tulit, ne Moniali liceret, quovis colore quæsito, & sub excommunicationis pœna Romano Pontifici reservata, pedem extra monasterii septa, propria voluntate efferre *Cap. Periculoso de Statu Regular. in 6.* nisi aliunde

de necessitate compelleretur, haud posse ibidem permanere, sine evidenti commorantium periculo. Quam legem sua vetustate fere dilabentem, [illegible] Cōcilium Tridentinum *Sess. 25. Cap. 5. de Regular.* in hæc verba: *Nemini Sanctimonialium liceat post professionem exire è monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda, indultis quibuscumque, & privilegiis non obstantibus.* Dubitationes vero omnes, quæ suboriri poterant, circa legitimas causas, ne Episcopi ad libitum potius, quam ad rationis ductum, easdem proferrent, mire postmodum enodavit Constitutione alia Pius V. incipiente *Decori*. In hac Constitutione Pontifex innovat prædictarum constitutionum robur, additq; nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis, lepræ, aut epidimiæ, quæ tamen infirmitas, præter Ordinum Superiores, quibus monasteriorum cura incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiamsi prędicta monasteria, ab Episcoporum, & Ordinariorum jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita, & in scriptis approbata sit, à monasteriis præfatis exire, sed nec in prædictis casibus, extra illa, nisi ad necessarium tempus stare licere.

XLIX. Explicata votorum substantialium obligatione, cætera attingenda hic sunt religiosis omnibus viris communia, & religiosum ipsum statum perficientia: quia tamen singula ex professo tradere immensi prope operis duco, tradam potiora, quæ Tridentinum complectitur *Sess. 25. Cap. 1. de Regular.* ut pote eidem statui magis necessaria, quin etiam salubriora. Tridentinum igitur, ad instaurandam regularem disciplinam, laudato Decreto præcipit: *Ut omnes Regulares*, ejusdem sunt verba, *tam viri, quam mulieres, ad Regulæ quam professi sunt, præscriptum, vitam instituant, & componant, atque in primis, quæ ad suæ professionis perfectionem, ut obedientię, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sunt, alicujus Regulæ, & Ordinis peculiaria vota, & præcepta, ad eorum respective essentiam, nec non ad communem vitam, victum, & vestitum conservanda pertinentia fideliter observent, omnisque cura, & diligentia, à Su-*

Quæ Tridentinum Regularibus inculcet, & primum quoad Ordinis leges.

pe-

perioribus adhibeatur, tam in Capitulis Generalibus, & Provincialibus, quam in eorum visitationibus, quæ suis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis non recedatur, cum compertum sit, ab eis non posse ea, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari. Si enim illa, quæ bases sunt, & fundamentum totius regularis disciplinæ, exacte non fuerint conservata, totum corruat ædificium necesse est. Hactenus Concilium, quo præeunte, quæ paulo diligentius discutienda sint, subjiciam. Suæ, cuique Ordini leges in primis, quæ affigantur, excolendæ: meminerint Regulares, nomenclaturam suam ab ipsa Regula, sive potius ab ejusdem observatione dimanasse, ut pudore afficiantur, si ejusdem familiæ, in quam cooptati sunt, genus, & vivendi normam tam factis, quod longe deterius est, quam verbis, respuant: nec ego in conscientia omnino tutum, & ab omni mortalis culpæ periculo immunem judicarem Regularem illum, qui nullam sane diligentiam, nullumque conatum proferret in servandis Ordinis legibus, quamvis ex contemptu nequaquam ageret, neque ad illas teneretur è graviori obedientiæ præcepto, in iisdem legibus statuto duplici sane fundamento moveor, & altero, e propiori occasione divinam gratiam, divinamque legem prætermittendi. Fieri enim nequit, ut qui in statu religioso laxiores mores habet, legesque omnes parvipendit, in eo confinio diu immoretur, quin gravius concidat, insita naturæ libertate, & vitiorum stimulis ab eadem laxitate potentioribus. Alterum sane fundamentum præstat ejusdem religiosi status natura, per se in Christianam perfectionem inducentis, adjumentis alumnos suos quoquomodo urgentibus, ne dum allicientibus: unde nescio an ab eodem tramite omnino abscedere, sine conscientię magna perturbatione peragi possit, esto hujusmodi Regularis animo sibi proposuerit, religiosa vota, cęteraque sub gravi obligantia, ut reliqui alii, religiose custodire. Cæterum, quia in re hac, non una omnium Theologorum sententia, has partes tuetur, & ego ipse priori libro à lethali culpa excusarim, qui secum statueret graviores tantum noxas, se declinaturum, ac in rebus singulis molestius fortasse hæ-

rere

rere posset: non ideo tamen labendi periculum, è frequentiori hujus libertatis usu semovi, neque Theologus ullus unquam dixerit. Quid in praxi expediat magis, conscientiam suam quisque consulat, instituti suscepti cursum, & quotidianos fere laxiorum Regularium exitus.

L. Quid tamen dicendum sit, de Ordinis cujuscumq; Regula, singulisque legibus in ea contentis, facile definiri posse arbitror. Inter Ordinum Conditores, aliis arrisit suavius in Subditis, quoad conscientiam, legumque onus, & ne ad culpam venialem saltem, obstringendos eosdem voluere: quod præclare præstitere D. Dominicus, D. Ignatius, & D. Theresia: contra alii, strictiori obedientiæ vinculo, lethalem culpam in transgressores statuente, &, si non omnes, plerasque nihilominus leges servandas mandarunt. In jis numerandus D. Franciscus, qui, ut eo studiosius asseclæ Regulam profiterentur, certa jejunia præsertim, & è rudiori panno, habitus gestationem perpetuam, sub gravi, suis indixit. Eundem morem sequuti, qui ejusdem Ordinem reformarunt, aut primævam disciplinam prædicta severitate revocarunt, aut gravioribus præceptis auxerunt. De his sane nulla occurrit difficultas, quod lethali culpa premantur, quoties obedientiæ præceptum legi affixum, violent. Sed quamvis priores, de quibus diximus, ad nullam arctentur culpam in earumdem legum transgressionibus, ex ipsa institutorum indulgentia, haud propterea à levioribus omninò immunes affirmarim: nam illa ipsa religiosæ disciplinæ detrectatio, commodique captandi frequentiores occasiones, non eo usque tantam honestatem præseferre possunt, quin omni prorsus culpa vacent, qui in id genus vitæ assueverint. Utinam qui sibi laxius indulgent, non aliquando & vota ipsa concutiant, inveterata aliarum legum, etsi laxiorum, levitate. Verum si leges à suis Conditoribus latę, nec graviorem, nec leviorem transgressoribus culpam irrogant, verosimilius Theologi existimant, perinde habendas, ac si leviori culpa, Subditos innodarent, quacumque lege eam conditionem secum ferente, ut tantum oneris imponat, quantum verbis exprimat, & materiæ

Ad quam culpam obligent.

gravioris ratio expofcat; unde cum neque è verbis ipfis, neque ex ejufdem oneris neceffitate, neque etiam ex confuetudine, graviorem hanc obligationem inducente, colligi poffit, lethalem culpam prædictis legibus fubefse, pro libertate ftandum. Hæc omnia erui poffunt è doctrina D. Thomæ 2.2. *q.*186. *art.*9. qui, nifi conftaret, ab Inftitutoribus graviori mortiferæ culpæ vinculo violatores addictos, ex contemptu tantum admitti eandem culpam affirmat: *Quando autem*, fubdit, *ad* 3., *è converfò propter aliquam particularem caufam, puta concupifcentiam, vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra ftatuta legis, vel regulæ, non peccat ex contemptu, fed ex aliqua alia caufa, etiam fi frequenter ex eadem caufa, vel alia fimili peccatum iteret, ficut Auguftinus dicit in lib. de Nat. & Grat. quod non omnia peccata committuntur ex contemptu, &c.* Hujufmodi autem caufæ, cum cenfeantur effe tantummodo leves; nam fi caufæ effent ex violatione Divini, vel Ecclefiaftici Pręcepti, nulla fuboriretur de mortifera culpa dubitatio, inferri idcirco debet, in Ordinis legum tranfgreffione, culpa tantum venialis, cæteris rebus fic ftantibus. Porrò eandem venialem culpam frequenter intercedere, etiamfi ab Inftitutoribus nulla in violatione decernatur, intelligendum eft, dummodo ea violatio procéfferit, ex immoderata quadam animi adfectione, vel ex torpore in rebus, quę fpiritualem profectum fpectant, paffim omittendis: non vero fi regulæ tranfgreffiones ad nullam culpam fuapte natura, & Inftitutorum voluntate adftringentes, in honeftum aliquem finem à Subditis aliquando traducantur. Tunc enim in virtutis actum migrat, eadem regulę violatio. Explico exemplo filentii, quod injungitur horis omnibus, poft remiffionis permiffæ tempus. In jis igitur filentii inculcati horis, fi quis focium adiret, ut apud illum, graviorem aliquam triftitiam deponeret, ac leniendam fimul curaret, familiari illa collocutione; vel eadem hac, triftem focium in religiofam hilaritatem inducere vellet, honeftate utique ad collocutionem per regulam cæteroqui vetitam, uterque permoveretur: unde non tam regulæ violatio, quam eutrapeliæ, aut charitatis munus dicen-

cendum esset. Sed nec eò minus religiosè, & ex officio ageret moderator, si exterius contra regulam delinquentem, ordinariis in ordine statutis ad leviores has culpas eluendas, pœnis, coerceret; quippe qui regularem disciplinam ex officio tueri debet; regularis autem disciplina legibus continetur, ab Institutore præscriptis: qua ratione Subditus tenetur pœnam subire, eadem obligatione, qua regulę se subjecit, juxta spiritualem, vel prudentiorem saltem gubernationem in externis rebus. Sanch. *lib.6. Summ. cap.4. num.14.* Valentia *tom.3. disp.10. q.4.* Layman. *tract. de stat. Relig. cap.9. n.8.*

LI. Sed quamvis lethalis culpa à Regulæ transgressionibus abesset, nequaquam tamen excusari possent, quorum negligentia, culpave alia, tanta inordinatio in legibus fit, ut Ordinis bases, & fundamenta corruant, leges videlicet omnes communem vitam, victum, & vestitum tuentes; quas arctè observandas jubet Tridentinum; nec dubitandum sub gravi; cum de materia agatur, quæ religiosi status decentiam maxime probat, suaque mole sustentare Ordinem videtur, ex ejusdem Concilii allegatis verbis. Communis namque vita, probandam se primum offert in communi mensa, victuque, qui omnes æquè alat, eodem, haud minus ciborum usu, quam charitatis nexu. Nulla quidem deterior in religioso Ordine seditio censenda, quam quæ ex difformi rerum usitandarum communione proficiscitur. Illicò, ut hæ regularis vitæ leges scinduntur, exolvitur charitatis vinculum, & intima animorum quoque conciliatio. Illud meum, & tuum, discreta reddit omnia, & juxta Chrysostomum, frigidum quamvis verbum, innumera intestini belli progignit mala, malorumque nunquam interitura semina, partium videlicet, æmulationum, discordiarum, artium propria commoda aucupantium. Hinc laxitas omnis, & tandem pernicies. Hujusmodi malorum fomes, sive potius origo, è peculiari quodam rerum usu perblande subit, serpit dein latius, & ut in contagione, aut in seditione fit, unde pauci erant, Regularium cętus fere omnis lascivire pertentat. Sed mirandum magis, è præstantiori-

Quæ ad cōmunem vitam faciant.

bus plerumque in Ordine, vitæ communis formam, legesque infingi: propterea quod multa sibi deberi supra reliquos putent; sed monstrante viam exemplo, cæteri omnes eadem affectant, ut reliquum vulgus potentiorum authoritate suffultum. Iidem ferme gradus in relaxanda Ordinis disciplina, quos in Rerumpublicarum mutationibus Aristoteles detexit *lib. 5. Politic. cap.* 1. ut è levioribus, ad majora semper progressus fiat: enixius curandum idcirco, ut mensę, rerumque aliarum necessariarum usus omnibus æquè, & in communi suppetat, & ab hac communi lege secerni, sacrilegii quoddam genus reputetur. Verum quia non ubique monasterii proventus suppetere omnibus possunt, cavendum saltem, ne quod alii sibi comparant, ab antiquiori disciplina recedat, & inordinatum vivendi modum aliis ministret. Qua de re complures Theologi, inferiores, aliosque Regularium Prælatos non immerito mortalis culpæ redarguunt, cum non ex officio puniunt Subditos delinquentes in levioribus cęteroque transgressionibus, sed quę communem vitam spectant: esto enim eædem nullius fere momenti ducantur, ea tamen omittendi libertas, & impunitas, maxime, de quibus Ordinis existimatio, è vitæ communione pendet, & è qua externi, cætera ad regularem disciplinam conducentia colligunt, Ordinem fere totum inverteret, atq; labefactaret.

Religiosi habitus gestatio.

LII. Propior communioni huic, religiosi habitus gestatio est, proprium militiæ, cui nomen Regularis dedit, insigne. Et quamquam de religiosi status ratione haud ita sentiendum, ut sine habitu gestatione Regularis consistere nequeat: attamen inter præcipuas hujus muneris conditiones decernitur, antiquissimo sane usu, & ab ipsis monasticæ vitę institutionibus, ut peculiaris in unoquoque Ordine amictus corporis, omnem fere suarum legum disciplinam, referret, & aspectu ipso comprobaret, Ecclesiasticis etiam inflictis pęnis habitum suum dimittentibus. *Cap. 2. ne Clerici, vel Monachi in 6.* quo capite excommunicationi subjicitur Regularis quicumque id patraret, temeritate ductus, hoc est nulla honesta causa, ad tem-

pus

pus adhuc dimittendum habitum suadente; quæ honesta ratio toties locum habet, quoties probatam alias apud moderatores suos, non improbandam rursus coeuntibus rerum gerendarum circumstantiis, idem Regularis, qui dimitteret, nosceret. Verum seclusa adhuc graviori hujus sanctionis pœna, lethale adhuc peccatum inesset, deesse suo Ordini, in tam severa disciplina, unde Ordinis laxitas incusaretur, & regularis quicumque is esset, pessime audiret: quod quidem scandalum, vel mortalis culpę labes arceretur, cum breviore temporis intervallo, & ipsa corporis necessitate, aut munditie postulante, hujusmodi dimissio, aut depositio privatim contingeret. An vero eodem parvitatis beneficio gaudeant, qui arctissime, ad gestandum semper habitum, & nullo pacto deponendum, obedientiæ præcepto urgentur, quemadmodum Divi Francisci alumni, & qui strictioris observantię appellantur, negare omnino non ausim, cum sua argumentorum potestate muniuntur, dum per modicum temporis spatium, per horam circiter, sibi utcumque consuluut absque aliorum offendiculo, è Jure Divino exemplum trahentes, cui aliquando contraire in re parvi momenti, lethali vacat culpa,

LIII. Tanti vero faciendus est gerendi habitus usus ut incorrupte servandum Romani Pontifices sanxerint, & ne tum quidem, cum ad Prælaturas externas, ad Episcopatus videlicet, & ad ipsum Purpuratorum Senatum Regulares promoventur, sui Ordinis insignia dimittere valeant. Forma tantum placet, ad Episcoporum majestatem, munusque, cui destinantur, ut in cæteris aliis composita: cęterum rudior panni textura, & color idem plane, qui antea, in suo Ordine usitatus; nisi forte è Clericorum Regularium cętibus in has dignitates migrassent: nam & his, cum cęteris Clericis habitus fere communis. Porro quoad hanc distinctionem attinet, conjiciendum Summos Pontifices noluisse in Episcopis Regularibus prisci habitus semotionem, ut eo admonerentur suarum partium esse, & quæ Episcopalis muneris sint, & quę simul Regularis explere, ne hujusmodi migratione monasticis *Demandatur adhuc Episcopis, & Cardinalibus Regularibus.*

om-

omnino legibus se absolutos arbitrarentur, & severioris vitæ institutum ablegasse: cum re vera, dignitate ipsa non tam prioris vitæ leges dediscere debeant, quam graviori oneri humeros supponere, viresque in Christianam perfectionem cumulatius augere. Accedit eadem Ordinis tessera, Ordini ornamentum; & cum Regulares in ea dignitate constituti præ se ferre videntur, avitæ disciplinæ insignia, suique Ordinis amplitudinem, innuunt vel ipso aspectu, se Christianæ Sapientiæ sublimiores Spiritus ad Dignitates Ecclesiasticas obtinendas ex eo fonte hausisse, ut & cæteris aliis idem pateat aditus, eademque exuberet vena. Quo vero jure, in Episcopos, vel Cardinales assumpti Regulares, nequeant habitum sui Ordinis dimittere, habetur ex eodem, quo nequeunt Regulares omnes, cum Episcopatus, & Cardinalatus insignia haud officiant, quin vere sint iidem promoti, Regulares, ut optime comprobat D. Thom. 2. 2. *q.* 185. *art.* 8. evincit hoc idem inveterata in Curia Romana praxis, ne absque scandalo dimittant, quidquid secus de hujusmodi dimittendi, citra lethalem culpam facultate senserit, Berthachin. *de Episc. I. Par. lib.* 4.

Regularium Clausura.

LIV. Secessus, & Regularibus omnibus custodiendus, ex hujusmodi vitæ instituto: secessum plane dico non illum, quem excolit sylvicola, aut quam excoluere antiquiores eremi cultores, sed quem sibi parat animus, à curis, & negotiis secularibus semotus, intra monasterii claustra, & domesticos cellę parietes. Eundem tanquam necessarium Monachorum instituto, non tam peculiaribus legibus sanxere, quam agnovere antiquiores Patres. Unde & Concilium Nicænum monendo potius, quam re vera præcipiendo Regularis munus expressit, ut in *Cap. Placuit C.*16. *q.*1. in hæc verba: *Placuit omnibus residentibus in Sancta Nicæna Synodo, ut Monachorum conversatio, & vita secundum etymologiam nominis ab omnibus discrepet. Monachus enim Græcè, Latine singularis dicitur; unde Monachum per omnia, singulariter agere oportet.* Si verò diligenter attendamus complura sunt, in quibus hujusmodi secessus statuitur, tum ex legibus Ordinum peculiaribus, tum etiam Ponti-

fi-

ficum Decretis. Atque in primis haud ambigendum, nullum Ordinem reperiri, in quo, si regularis observantia, ut par est vigeat, non pariter Prælati diligentissime caveant, ne Subditi, extra monasteria evagentur absque rationabili causa; disciplinæ vis fere tota concideret, quoties Regulari potestas hæc accederet, ex libito discurrendi; periret obedientiæ vinculum, quo se Prælato subdendum præstitit, voluntatem suam abnegando, & monasterii consueta aliis onera subeundo. Submota semel secessus lege, libertatis commoda tanquam in Seculo redeunt, nec quid faciendum expediat Prælato, sed quid sibi, suo tantum jure libeat, exequitur: quamobrem, sapienter Eugenius Pontifex, 16.*q.* 1. altero *Cap. Placuit*, exposuit necessitatem summam in Regulari, continendi se intra Claustra: *Sit Claustro suo*, inquit, *contentus, quia sicut piscis sine aqua caret vita; ita sine monasterio, Monachus*, & apposite quidem: nam monasterii leges sunt, quæ naturam liberioris vitæ avidam coercent, detinentque, ne suo impetu corruat, & si omnibus indistinctim, maxime tamen junioribus hujusmodi semotionis restrictio adhibenda: quibus & naturæ impetus acriores, & virtus minus firma, ut constantiam ubique servet, & labendi occasiones despiciat potius, quam recolat. Ut enim plantæ quo teneriores, eo ventorum concussionibus, aliisque aeris mutationibus, magis obnoxiæ: ita & juniorum vita quamvis innocentia morum suscipienda, & ad regulares leges promptior, haud æque solidiori virtutum robore præstat, quin eadem facilitate in contrarias partes abeat. Ea propter Clementis VIII. Decreto, optime statutum, ut semotiorem ab aliis Regularibus locum haberent, per annos plures post votorum adhuc nuncupationem, ne liberius intra ipsa monasterii septa agerent.

LV. Studium plane hoc, intra monasterium se continendi Regulari plane necessarium, plura secum trahit ad finem, quem is intendit spectantia, præcipuè tamen ne frequentiorem saltem externorum societatem, familiaritatemque admittat; & si secus Regularis faceret, fine suo procul dubio careret, sibi & Deo vacare: abesset multum *Quibus in monasteria, ingressus probibeatur.*

tum

tum religiosam vitam capessere, ut secularium hominum artes, studiaque, rebus inanibus inhiantia declinaret, & eorumdem cætus, strepitusque in monasterium pertrahere, & familiarius cum iisdem, tanquam si in Seculo viveret, versari. Faria sane reputarentur, quoad laxam morum disciplinam, per urbem discurrere, & urbis ejusdem contubernium ad se invitare colloquiis mutuis, atq; aliis diverticulis fovere. Hoc idem in Patrum, & Ordinum disciplina passim occurrit, ne remissius in religioso secessu, vitam transigamus, otiosorum, susurronum, aliorumque ejusdem farinę circumcursantium hominum conventu. Sed quod in monasteria mulieres ne pedem quidem inferant, nullo non tempore severe indictum. Et vitæ quidem monasticæ exordio, eadem honestatis ratio edocuit, periculosissimum semper futurum hujusmodi communionis genus, arcendumque omni legum, pœnarumque subsidio, & periculi quamvis remotioris occasio, ferendæ adhuc legis materiam subdidit, ipsis prioribus Seculis, ne monasteria puellarum propinquitatem haberent cum monasteriis virorum. Hanc sanctionem editam in Concilio Aghatensi circa annum 500. scimus, his verbis: *Monasteria puellarum longius à monasteriis Monachorum, aut propter insidias Diaboli, aut propter oblocutiones hominum, collocentur. Cap. Monasteria puellarum* 18. *q*.2. & Synodus Nicæna, æcumenica septima, Monialium, & Monachorum cohærentia Monasteria interdicit. Legem hanc perpetuo servatā ex ipsa honestate beneficium aliquando dispensationis relaxavit, ut liceret Matronis sua nobilitate insignibus nedum honestioribus, certis diebus ingredi in monasteria virorum, ad breve tempus, aut per paucas horas: quam dispensationem irritam declaravit in posterum S. Pius V. motu proprio, & constitutione edita anno 1566 cujus initium per hęc verba *Regularium Personarum*. Hac constitutione, quemadmodum, & altera, quam edidit Gregorius XIII. *Ubi gratiæ* abolentur privilegia omnia olim, aut concessa, aut quomodocumque usurpata, quibus mulieres cujuscumque gradus, ac dignitatis fuerint, præsumerent licitum hujus-

jusmodi sibi ingressum in virorum monasteria, sive hæc Carthusiensium sint, sive Regularium quorumcumque sub excommunicationis latæ sententiæ, eidemque Pontifici reservatæ pœna, in contravenientes, nec non suspensionis à divinis facto ipso afficientis, cum officiorum omnium privatione, simulque ad alia quæcumque in posterum obtinenda juris semotione, in eos Præsides, & Regulares quoscumque, qui scienter admitterent mulieres intra Clausuræ fines. Addidit Gregorius XIII. excommunicationem eandem latæ sententiæ, quam Pius prætermiserat. Et quamvis utraque constitutio potissimum emanarit, in censentes, se hac ingrediendi facultate munitas; non idcirco aliis fęminis aditum quemcumque patere existimandum est: nam uterque Pontifex salva monasteriorum jura, per suas constitutiones voluere; & munita satis existimarunt, si aditus occluderetur, quo laxari posset, antiquus eorumdem rigor, sive Ordinum constitutionibus, sive inconcussa praxi, sive aliis fortasse Ecclesiæ juribus ubique in inhibendo mulierum ingressu, firmatus. Calculum huic sententiæ ferunt Theologi, & Canonistæ omnes, neque sine ingenti temeritate in dubium revocari posset. Limitationem tamen aliquam iidem admittunt, & constitutiones ipsæ præseferre videntur, ut minime comprehendantur mulieres, dignitate regia præfulgentes, atque earumdem fortasse filiæ cum suo comitatu moderatiori tamen, quam alias stipari consuevissent; aut mallent, juxta arbitratum potius, quam juxta prudentiæ leges: quia si has etiam comprehendendas duxissent Pontifices, non generali verborum, & mulierum clausula, Ducissarum, Comitissarum, &c. sed honore dignitati habito, Augustas, & Reginas, earumque filias ab ingressu arcendas expressissent, quam interpretationem ex usu ipso hodieque valescentem videmus, pariterque ad mulieres cęteras inducendas, cum pietatis, & religionis exercitium adest; adeoque mos obtinuit, ut dum intra claustra ab Ecclesia, certis anni diebus publicam supplicationem Regulares instituunt, aut Eucharistiam pro ægrotis deferunt, comitari eam valeant, eo tantum tempore, quæ

adsunt mulieres, etiamsi curiositate verius, quam devotione ducerentur. Sed si tanta necessitas esset aliquando, eaque gravissima, ad extinguendum forte incendium, vel quod nequiret, suppleri aliunde, nisi per alicujus fœminæ peritiam, posset hæc in monasterium introduci, dummodo notesceret in honestum, ac necessarium prorsus finem, patefactum mulieri per eam vicem, aditum. Utraq; causa, necessitatis, vel religionis, in utraque constitutione exprimitur, & quoad religionis casus alios, in alio motu proprio, ejusdem Pii V. anno 1568. ut refert Manuel Rodriguez.

Ingressus in monasteria Monialium arctius.

LVI. Eadem honestatis ratio, & fortasse potior, quæ arcere re ipsa potuit mulieres à limine monasteriorum, in quibus religiosi viri cohabitarent, semovit adhuc ad minus quoscumque, infantia saltem exacta, ne in monasteria Monialium se inferrent, nisi urgente necessitate, quam probare debent Episcopi, & pro sua conscientia dijudicare, quoties expedierit, Confessarios, Medicos, fabros, in necessarios aliquos usus, intra monasterium inducendos, *Cap. Periculoso. De statu Monach. in 6.* quam constitutionem firmavit Concil. Trident. *Sess. 25. cap. 5. de Regular.*, atque ingressus inhibitionem, in hunc modum inculcavit: *Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cujusque generis, aut conditionis sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda: dare autem tantum Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessariis, neq; alias ullo modo possit, etiam vigore cujuscumque facultatis, vel indulti hactenus concessi, vel in posterum concedendi.* Non una hac lege Monialium clausura continetur, sed substantiali adhuc, quod paulo superius explicuimus, voto, ne egredi unquam, nisi in casibus expressis, è monasterio possent, juxta Bonifacii VIII. laudatam constitutionem. Admonitum tamen Lectorem velim, Pontificem hunc, non fuisse primum, qui has clausuræ leges tulerit, sed aliquanto arctius, Moniales devinxisse, tum quoad votum manendi intra eadem monasterii septa, tum etiam quoad hanc partem ingrediendi facultatem cuicumque inhibitam.

tam. Nihil enim antiquius ſtatutum in ſacrarum Virginum monaſteriis, ex honeſtate ipſa, & ex Epiſcoporum munere, quam, ut promiſcua hujuſmodi familiaritas intra monaſteria arceretur. Quamobrem in multis Conciliis olim Provincialibus vetita: & ex antiquioribus Concilium Matiſconenſe *Cap.* 2. in hanc inhibitionem incumbere viſum eſt, quemadmodum etiam Arelatenſe IV. *Cap.* 7. ita tamen, ut parentibus, & aliis ſanguine conjunctiſſimis ingreſſus pateret, ex ea generatim moderatione, qua Layman. *Tract. de ſtatu Relig. cap.* 12. teſtatur, non ubiq; uſu receptam ſecundum omnem prohibitionis modum, conſtitutionem prohibentem ingreſſum in monaſteria Monialium: *Cum adhuc in Germania*, ſubdit, *ſint monaſteria Monialium, in quibus tum viri, tum mulieres ingredi ſolent domos, ſeu habitationes proprias ipſarum Monialium: ſæpe etiam facili de cauſa, mulieres, & ſeculares Religioſæ aliorum Ordinum, ad ipſarum Monialium Clauſtrales cellas admitti ſolent.* Utrum vero Epiſcopi, & locorum Ordinarii etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, quibus hæc cura incumbit, ſi cum omnino debeant, & paulo adhuc difficilius aſſequi tandem poſſint, clauſuræ legem ibidem ſervandam, tranquilla nihilominus conſcientia omittant, eadem ego conſcientia probare nullatenus auderem. Quibus vero legibus clauſura in monaſteriis utriuſque ſexus Regularium circumſcribatur, præter conſuetudinem, quæ maxime in rebus his attendenda, plura dabimus, cum de Regularium Privilegiis agendum erit.

LVII. Arctiorem hunc juxta Regularium conditionem, ſeceſſum, tum ex propriis cujuſque Ordinis conſtitutionibus, tum etiam Pontificio Jure, inductum, ne ea animorum tranquillitas, quæ intima ſui ipſius cuſtodia paratur, huc illuc in anxias curas diſtraheretur, communire videntur Pontificiæ aliæ leges, religioſo ſtatui proximæ, quamvis & Clericis aliis communes cenſeantur, ut ſunt, quæ in Titulo: *Ne Clerici, vel Monachi ſecularibus negotiis ſe immiſcerent*, eoque prætextu, extra monaſterium vagarentur. Hac igitur de cauſa, etiamſi plures aliæ idipſum inculcarent, nullus Regularis, pu- *Regularibus multa Pontificio Jure prohibentur.*

 bli-

blicam ſtudiorum Univerſitatem adire poteſt; ut Medicę artis, & Cæſarei Juris artes addiſcat, & excommunicationi jure ipſo ſubjicitur, niſi infra bimeſtre ad ſuum monaſterium redeat. *Cap. final. Ne Clerici, vel Monachi*. Neque tantum hujuſmodi artes addiſcere extra clauſtra prohibetur, ſed ſcientias quoque alias, etſi ſacras, ſacrarum litterarum expoſitionem, Theologiam Scholaſticam, vel Dogmaticam, &c. *Cap. 2. eod. tit.* cum ea tamen limitatione, quod Medicinam, & Jus Cæſareum audire extra Clauſt[illegible] mnino vetitum; cæteras verò diſciplinas, ſacras præſertim, non niſi prævia Prælatorum ſuorum facultate, accedente conſenſu adhuc aliorum in eodem monaſterio ſeniorum, & dummodo habitum temere haud dimitteret: unde, cum in his legibus pœnalibus ſtrictim interpretatio ſit facienda, exiſtimandum, contra has conſtitutiones abſonum nihil admitti, neque ſtatutis ibidem pœnis locum eſſe, ſi Regulares, facultate à ſuis Prelatis accepta, exeant è ſuis domiciliis, ad has ſcientias audiendas, ſed poſt publicè auditas lectiones ſingulis vicibus redeant: nam ſi conſtitutiones indulgent duos pene menſes, ne cenſuris innodentur, non redeuntes infra hoc ſpatium ad ſua monaſteria, multo magis indulgere videntur, ſublata evagandi, extra monaſteria, occaſione, ſi diebus ſingulis audientes redeant: nequirent tamen Prælati audiendi facultatem Subditis dare, ut extra clauſtra detinerentur ultra duos menſes; quia inferiores nequeunt in lege Superioris diſpenſare, neque jiſdem, ex eadem conſtitutione tribuitur hæc diſpenſandi facultas. Inhibitum deinde Regulari, in judicio ſe ſiſtere, ut actorem, vel reum agat, Advocatum, vel Procuratorem, ſuo, vel alterius nomine, niſi Prælati accedat conſenſus, & ob ſolam utilitatem, indirectam ſaltem monaſterii: & ſi ſecus faceret, acta reſcindi deberent, juxta diſpoſitionem Clement. *Religioſus. De Procurat. Cap. Monach. 16. q. 1. cap. 2. de Poſtulando*, quemadmodum etiam, ſi ageret in cauſa criminali coram Judice ſeculari. E' proxime dictis, efficax ratio habetur; expediebat enim, ut occaſiones tollerentur omnes, quæ Regularem à ſtatu ſuo utcumque dimo-

ve-

verent, ut sunt negotia secularia, & potissimum forenses causæ, animis perturbandis affixæ: sed cum monasterii utilitas postulat, necessitate quadam fit, & parciori aliquorum usu, ut aliis salva sit tranquillitas sua. Ita etiam requiritur Prælati consensus: quia Regularis, cum omne jus suum in monasterium transtulerit, tanquam mortuus reputatur, æquaturque servo, cui nulla in judicio datur actio, *l. Servus Cod. de Judiciis*. At posset Regularis externis consulere, quid secundum jura ipsa agendum esset, absq; status sui detrimento: nam id proprie in judicio, neque agere, neque procurationem ullo modo suscipere esset, quod communiter declarant Summistæ *v. Advocatus*. Posset adhuc Arbitrator esse, qui partium jura, & colliti-gantium jurgia, tanquam pacis sequester componat, sine magna alterius partis læsione, eo quod id muneris, à Regularis statu haud removeatur, non tamen Arbiter, qui proprie à partibus statuitur, ut juxta juris terminos definiat, & *ex l. 2. ff. de Arbitris*, & Judicis nomine venit. Quamobrem, inconsulto Prælato, Regularis Arbitri quæcumq; definitio in controversia, è superiori doctrina, irrita esset; sed arbitratoris, illicita tantum. Qui verò Prælati, ad judiciales hujusmodi actus facultatem tribuere possent, ex Ordinis cujusque constitutionibus, eruendum: in nostra Societate Præpositus tantum Generalis id juris habet. Arcendam insuper negotiationis pestem, quæ animum malorum omnium fomite incendit, à Regularibus, Ecclesiasticæ Sanctiones curarunt, *Cap. negotiatio. dist. 88. Cap. Secundum. Ne Clerici, vel Monach. & Cap. fin. de vita, & honest. Cleric.* Neque tantum negotiationem proprie dictam, qua res empta, nulla mutationis accessione carius distrahitur, sed alteram adhuc minus propriam, qua eadem res empta, artis, industriæque beneficio, in meliorem formam traducta, in lucrum, & quæstum magnum, venditorem erigit. Utraque enim negotiationis species regularibus absona, quos nunquam decet lucris captandis inhiare, atque regularis status sanctitatem, in mercimonium vertere: ac proinde Regulares, simulque Clericos hujusmodi negotiationem exercentes, à lethali culpa non excusari

affir-

affirmant passim Theologi: nisi forte proprio opificio materiam aliquam elaboratam suis manibus, ad vitandum subcisivis horis otium, distrahere deinde aliquis, occasione data, vellet, Monachorum veterum corbes, aliaque hujusmodi componentium, exemplo; quod in Vitis Patrum, & in *Epist.* S.Hieron. *Ad Rusticum liquet.* Sed si veteres ad opificium permovebantur, ut manuum labore viverent, summa quodammodo egestate pressi, non propterea culparim Regulares alios, si in eandem egestatem haud ducti, moderatum tamen lucrum, è sua industria, percipiunt. Excusare eos videtur honesta industriȩ ratio, non ad captandum lucrum per se intenta, sed ad otii fugam, simulque illustre alicujus operis exercitamentum.

De Divini Officii recitatione.

LVIII. Optimo sane jure à Regularibus isthæc arcenda, ne nobilior illa animorum tranquillitas periculosis hisce occupationibus præpediatur, pariterque religiosa Professio sordidis quæstibus vilescat. Compedes sunt, quæcumque terrenarum rerum adfectiones, *& ubi*, juxta Augustinum, *concupiscimus, ibi hæremus*; maximo perfectionis religiosæ detrimento, quæ non tantum Christiani Caracteris formam singulis virtutibus elargitur; sed omnia Regularium studia, in summum rerum conditorem refert, intimeque eosdem nectit., nunquam minus otiosos., quam cum hujusmodi otio vacantes facit: expeditiores enim in Divinum Cultum, totius hominis, maximeque Regularis scopum trahit, quo, ut certius, firmiusque tendant iidem, nullo non tempore, horisque fere singulis, statutum legibus, in quibus exercitationibus, quibus in virtutibus versari potissimum debeant. Ad Psalmodiam, precesque horarias Divini Officii, juxta Breviarii Romani, vel cujusque Ordinis probatum morem, pluries in diem, statis horis, accedunt, & in Ecclesia alternis versibus, elataque voce recitant. Arctiores Ordines, in nocte media surgunt, & in Choro alternatim canunt, rati horas sopori, & reficiendis viribus permissas, haud suaviori quiete, quam in Divinis Laudibus præcinendis insumi: Cæteri, uti etiam Monialium Ordines, summo mane,

ne,

ne, & maturius, quam naturæ commodum ferre videtur, adesse coguntur omnes, ut Summo Numini obsequium hoc rependatur, & diurnas quisque suarum actionum primitias offerat in Matutino, quod ajunt, persolvendo. Extra controversiam est, ad diurnum Divini Officii pensum, sub mortali teneri Ministros Ecclesiæ omnes, & Regulares adhuc, ex quo Subdiaconatum susceperint; sed non vacat difficultate, an teneantur Regulares alii sub eadem culpa, si non obstringantur, è Regulæ saltem consuetudine, solius religiosæ professionis vinculo: & pressius loquor, de Regularibus Choro addictis; nam non addictos, contraria tuetur consuetudo: in qua controversia, quamvis Cajetanus *v. Horæ Canonicæ* cum Jo: Medina *q.7. de Orat.* Onus hoc professis, sub mortali labe affixum neget, nisi ex consuetudine, quæ vim regulæ habeat, *dicuntur*, inquit, *& tertio obligati religiosi professi. Et certe nisi consuetudo illos obliget, de qua nihil scio, non tenentur ex professione, &c. Hinc enim patet esse professos Monachos in Dei Ecclesia, absque Horis Canonicis. Vide si vis S.Thom. in ultima q. 2.2. art.8.ad 2.* Quo fundamento adhuc pateret, Moniales eximi; probabilius tamen, & communiter Theologi eandem obligationem firmant, si Novitios demamus, & Laicos, in iisque etiam, qui Moderatorum suorum facultate, ad sacros Ordines promovendi prius, mutata sententia, in eorumdem Laicorum numerum, postmodum migrarent, ex eadem status mutatione: non aliunde motos scimus Theologos in hanc sententiam, nisi ex usu ipso Divinum Officium recitandi, ad quod urgentur singulis diebus, statisque horis professi omnes Ordinum Choro affixorum: Cum vero hic usus Divini Cultus rationem, proprium Regularium munus adsciscat, quicumque ab eo recederet, prætermittere videretur, si publicè, vel privatim omitteret, præcipuas quodammodo sui muneris partes; & ne tueri quis se posset, Cajetani oppositum sentientis, effugio illo, quo diceret, ignorare consuetudinis vim, an saltem sub gravi obliget; eo magis, quod Jus nullum Ecclesiasticum vi professionis ad recitationem, Regularem compellat, firmata tantum regula

la pro initiatis Subdiaconatu, & Regularibus *Cap. Dolites de celebr. Missar. & Clement.* 1. *eod.tit.*, is idem usus ratione, & fine suo vallatus abunde edocet, nequire omitti absque notabili Divini Cultus, hoc est professionis suæ detrimento, maxime si sæpe omitteretur. Cajetanum perstringit *Canus lib.* 12. *de loc. Theolog. cap.* 9. & cum labore confectum videt, dum legem prædictam quæreret; *Multa sunt*, excipit, *mihi crede, Ecclesiæ leges, quas non Scriptura, sed usus interpretatur; neque juris volumen, omnia Conciliorum, atque Pontificum Scripta amplectitur.*

An publica omitti possit.

LIX. Ejusdem consuetudinis robore, minime tutos in conscientia censerem Moderatores, aliosque, quorum culpa lata saltem fieret, ne Divinum Officium, juxta morem, in publica Ecclesia, vel in Choro, alternis versibus, ab ejusdem monasterii alumnis persolveretur: siquidem consuetudinem hanc tollere, vel notabiliter infirmare Divino Cultui detrahere præcipuum aliquod esset, & ejusdem urbis, in qua immorarentur, Christifidelibus, iidem Regulares perniciosum offendiculum exhiberent, quemadmodum etiam quotidianum detractionum fomentum: quippe qui perspiciant, Divino Ministerio sua professione addictos, longius semoveri; & ne eas quidem partes obire, quas ipsi Sacerdotes Seculares omittere erubescerent. Moderamen tamen aliquod huic sententiæ, tribuendum est, ne graviori culpa innodaret delinquentes, si aliquando, & raro fortasse omissio hæc permitteretur, justa interveniente causa, vel si, ex consuetudine, tunc solum, cum tam parcus Regularium numerus in monasterio esset, qui nequiret, id muneris rite explere. Cæterum, quantum mihi libuit, de communi fere Theologorum sensu colligere, in hac parte, optimè contraxit, edíditque Layman. *Tract. de Horis Canonicis cap.* 4.*n.*1. in hunc modum: *Quatenus ea obligatio, ex generali consuetudine incumbit toti Communitati, sive Capitulo, in primis vero Prælato, ut curam adhibeat, ne in sua Ecclesia cantus Canonicarum Horarum statis temporibus prætermittatur: quæ obligatio haud dubie gravis, sive sub peccato mortali est. Ad singulos vero Religiosos, obligatio hæc non ita descendit: quare mortalis*

peccati damnari aliquis non debet, si, aliis in Choro rite canentibus, ipse ob pigritiam sileat, vel omninò absit. Quod enim nemo à Choro abesse, omnes præsentes canere debeant, id solum provenit ex Abbatis dispositione, ac præcepto, vel regulæ dispositione, quæ plerumque non sub peccato mortali, sed potius sub pœna, secundum Ordinis, vel monasterii consuetudinem infligenda, obligare solet.

De Oratione.

LX. Publicam, privatamve hanc Divini Officii recitationem, aut præcedit, aut comitatur, aut subsequitur, orationis, & certæ contemplationis modus, qui versatur in Divinis Attributis, vel CHRISTI DOMINI vitę cursu, singulisve virtutibus recolendis, juxta annuas solemnitates, aut peculiares in contemplante devotionis stimulos. Hoc certe quotidianarum meditationum studio mens à terrenis cupiditatibus secreta, mire in res divinas attollitur, affatimque se reficit: &, ut communis cibus dentibus minutatim attritus, & in ventriculum immissus fermentatione sua serius ocyus, in solidioris alimenti substantiam transmutatur; ita qui rerum terrenarum caducitatem æternarum comparatione relegit, & veluti sæpissimè mandit, cœlestes prorsus spiritus haurit, & in sublimiorem propemodum substantiam migrare videtur. Ejusdem meditationis jugem, ac salutarem usum, expendunt, inculcantque Patres, non tam ex sui ingenii, doctrinæque pęnu, quam è CHRISTI DOMINI instituto, monitisque, dum viveret frequentioribus, ipsa adhuc optime precandi, meditandive methodo inculcata, qua nobis Summum Parentem facilem, semperque annuentem reddamus. Huc spectant Divina illa Oracula: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem*, Matth. 26. *Quoniam oportet semper orare, & non deficere*, Luc. 18. *&c.* Sed idem CHRISTUS DOMINUS Divino suo exemplo pręibat, & ab urbibus secedebat; noctesque totas contemplationibus vacasse habemus, Luc. *Cap. 6. Erat pernoctans in Oratione Dei.* Quam doctrinam inexplebili siti excipientes Apostoli cum aliis suis Sectatoribus, orationi instabant creberrime; iisdemque meditationibus affixos, Spiritu Sancto in solemni Pentecostes die afflatos fuisse, idem Evan-

gelista *Act. cap.* 1. testatur: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum Mulieribus, & Maria Matre Jesu, & Fratribus ejus*. Unde haud mirandum, si Apostoli, eandem orationis, & contemplationum divinarum praxim, Ecclesiæ universæ maxime commendatam tradiderint. *Orationi instate*. Ad Coloss. 4. *sine intermissione orate*, 1. ad *Thess.* 5. Joannes quoque Evangelista *Ep.* 1. *cap.* 5. *Et hæc est*, inquit, *fiducia, quam habemus ad eum: quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos, &c.* Jacob. *Epist. Canon. cap.* 5. *Et orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio justi assidua*. Hæc disciplina Patrum. Hæc antiquiorum, & recentiorum Ordinum consuetudo, legibusque insculpta, ne unquam, neve ullum diem sine oratione Regulares transigant: & precibus tum vocalibus, in communi, tum etiam mentalibus, quas ajunt, in meditationibus statutis insistunt, adeo, ut Laici ipsi, cum cæteri Choro intersunt, adesse simul jubentur, certasque preces fundere, aut divina aliqua contemplari debent. *Nostrum sit opus*, ait Chrysost. *Homil.* 30. *in Genes. continuis insistere precibus, & non ægre ferre, si differatur, quod petimus: sed longanimes esse. Neque enim renuens preces nostras differt: sed hac arte sedulo efficiens, ad semetipsum attrahere vult Deus*. Nam id è munere Religionis, præsertim jis, qui arctiori nexu eidem Religioni affixi, votis se mancipant: quamobrem, quod Lactantius *lib.* 4. *cap.* 28. *de vera Sapient.* affirmavit omnibus congruere, peculiari jure ad Regulares pertinere comprobandum. *Hac conditione*, inquit, *gignimur, ut generati nos Deo, justa, & debita obsequia præbeamus: hunc solum noverimus, hunc sequamur; hoc vinculo pietatis obstricti Deo, & religati sumus: unde ipsa Religio nomen accepit, non ut Cicero interpretatus est, à relegendo*. Quis vero inficiari audeat, assiduarum meditationum studio, & quotidiano veluti pabulo Deo devinctos, Deo propiores fieri, intimeque conjungi? ea est orationis natura, & verius potestas, ut ascensus mentis in Deum sit, intimaque societas Hominis cum Conditore suo.

De mutua Charitate. LXI. Charitatem Dei, in religiosæ professionis votis, atque in quotidianis precibus excultam, sine qua virtutes cæ-

cæteræ, commissiones meræ, atque in Christianæ perfectionis substructione arena, sine calce esset, proximi charitas in juvandis aliis arctissimè devincit: quia vero, juxta ejusdem charitatis ordinem, sacris litteris proditum *Cantic.* 1. *Ordinavit in me charitatem*: ea nobis propior, quæ conjunctior accedit, Regularium proinde cætui, amor enixius inculcatus, concordia proprie dicta, quibuscum potissimum vivunt; cui fovendæ, provehendæque industria omnis insudare debet, eo nexu, quem palmites inter se, cum communi vite, è qua prodeunt, habent, ut CHRISTUS DOMINUS Joan. 15. innuit, eodemque studio, quo Petrus Apostolorum Princeps Christifideles omnes adhortatur *Ep.* 1. *cap.* 4. *Ante omnia autem*, inquiens, *mutuam in vobis metipsis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hospitales invicem sine murmuratione. Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei*. Ut mutuam hanc charitatem, qua nihil in Regularium contubernio jucundius, foveamus, exterminanda dissidiorum semina, ut plurimum ex æmulatione manantia: æmulatio namque, ut pręclare Plinius in *Panegir. ad Trajanum*, *nascitur ex conjunctione, alitur æqualitate, exardescit invidia, cujus tandem finis est odium*. Eademque oriri consuevit, è generis, Patriæ, morum, studiorumve, cum iisdem sociis dissensione aliqua, quam nisi religiosæ charitatis stimulis, confestim depuleris, in odium, nec facile interiturum, exardescet. Præterea rationes illas, è profanis authoribus in id coacervatas, Rempublicam, civium concordia unice stare, ac procul dubio in exitium vergere, cum dissidia pullulant: quemadmodum & experimento satis tritum Sapientum, ex Salustio effatum: *Concordia res parvas crescere, discordia res magnas dilabi*: validiora nobis argumenta ministrat Regularium contubernium, quod, cum charitate coaluerit, charitate simul communiri, operæ pretium sit; edocente natura, naturales quascumque res servari, quibus primum coaluerint, ut stirpes, plantasque primævo humore, ad sensilem vitam eductas, eodem adultas, ad maturitatem suam, fructus parturire.

rire. Contra vero, absente à Regularibus concordia, infelicissimum vitæ genus, ne dum religioso statu indignum, ducendum esset, & feris potius, quam humanæ societati comparandum: si quos communes ædes excipiunt, eadem genitrix in charitatis pręmio fovet, iidem cibus innutrit, eadem prorsus aeris communio per momenta singula reficit, in eam tamen necessitatem redigantur, ut quocumque oculos vertant, torva supercilia, asperos vultus, minacia verba, dentibus nescio quid infrendentia, semper ferant, paveantque in dies funestiora. Prædonum solent esse hujusmodi mores: quibus tamen, parcendum utcumque esset, dum maturare aliò fugam confestim possemus, & naturæ vitio tribuere, quod tam infense cum aliis se gerant. At in religiosas domos, in quibus mens una debet inesse, voluntas sentiendi eadem, eademque peragendi, juxta charitatis leges, quodnam sane perfugium quærendum, quodnam remedium expectandum, cum charitas, præcipuus religiosę vitæ, quoad vivimus, fructus, quam longissime amandata, nexum illum divinum, nullum consistere sua absentia passa est? Miretur potius Bernardus *Serm. ad Fratres de Monte Dei*, à religiosis viris suspici posse majus aliquid, tranquillitate animorum, quam impense fovet in Ordine charitas: *Quid vos contristare*, inquit, *poterit*, *si intus bene estis*, *& fraterna pace gaudetis?*

In alias etiā omnibus Ordinibus præscribitur.

LXII. Angustis his dumtaxat finibus, Regularium charitas sibi haud facit satis, intra monasterii claustra haud contenta delitescere: ampliorem sibi meritorum segetem parat; per Provincias, & Regna excurrit, ardentius, si inhospitalia, & barbaris populis oppleta. Ipsi sane Ordines, quos austerioris alioqui vitæ amor, procul ab hominum turba detinet, Carthusienses, Camaldulenses, aliique, si peregrinationibus in proximorum salutem, aliaque externa corporis ope abstinent, suarum legum præscripto, vigiliis, suspiriis, sanctis precationibus, à Deo proximorum salutem implorant. Reliqui vero, Apostolorum more, Evangelii Pręcones, Divini Verbi prædicationem, peccatorum expiationes; frequentiorem Sacramentorum mi-

ministrationem exhibent, magno quidem æmulationis æstu, sed majore cum animarum æmolumento. Tantus inest omnibus Religionis protelandæ amor, ut nullus Ordo reperiri possit, qui suos Martyres non habeat, Apostolos suos, & Christianę Fidei insignes Præcones, scientiarum, & sacrarum litterarum ope, quarum usus apud Regulares fere communis, non ut vanam præseferant, affectentque eloquentiæ laudem, sed ut proximorum lucrum captent, linguarum peritia, Philosophicis, ac Theologicis disquisitionibus, sacrarum litterarum interpretatione: quæ causa verissima fuit, ut quotidiana olim Monachorum exercitatio, attexendis sportulis, aliove opere manibus perficiendo, in hæc liberalium, & sacrarum artium studia felicius cesserit, affluentibus Christifidelium eleemosynis, quo minus incommodi subire possent Regulares, in alimentis sibi proprio labore comparandis; & promptiores ad juvandos proximos adessent. Id tamen firmissimum esse debet, unumquemque Regularium Ordinem pro suo instituto, adeoque pro divinæ charitatis explendæ munere, in hanc proximorum opem frequentissime incumbere, & quod Apostolus 1. *ad Timoth. cap.*2. commendandum curavit: *Obsecro vos, primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*, à Regularibus cumulatè impendi. Omnium votum, & quotidiana precatio est, Christianæ Reipublicæ tranquillitas, Fidei hostium ad Catholicam Fidem traductio, velle demum, omnes homines salvos fieri.

LXIII. Ad Charitatem, cæterasque Christianæ perfectionis virtutes comparandas, quæ faciunt voluntariæ corporis castigationes, crebriores, apud Regulares cujuscumque Ordinis; ut edomitis per easdem, affectionibus, corporisque punctionibus, expeditior animus ad res divinas, eximiasque virtutes exacuatur, cum ratione evidentiori constet, nimiam corporis tuendi sedulitatem, blandamque captandæ voluptatis illecebram, in abrupta, & inhonesta, hominem propellere, adeo, ut is sui immemor, cœlestem originem quodammodo dediscat, ni- *Corporis macerationes.*

bilq;

hilque cupidius expetat, quam vitiorum cœno, belluarum more, conquiescere. Accedit sævior in momenta impetus, & quo magis æstuat, eo turpius à ratione descîscit, non secus quam ignis, qui semel accensus obvia cuncta depascitur, & ut sacri eloquii verbis, *Prov.cap.30.* utar, *nunquam dicit, sufficit*, nisi restinguere citius properes. Crucem, & martyrium in eundem finem, religiosum Ordinem cum Bernardo fatemur, *horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius*. Corpora jejuniis Regulares sæpe frangunt, carnem cilicio domare assuescunt, pravos concupiscentiæ motus flagellis comprimunt, ætatem vigiliis, aut parciori somno, aliisque castigationibus sensim absumunt. Sua, cuique Ordini injuncta, spectantibus aliis, afflictationum subsidia, moderatione adhuc definita, ne immodica virium debilitate, corpus opprimant acrius, quam animum, in abnegationem proprię voluntatis evehant. Suspicenda hic etiam est auxiliaris Numinis Providentia, quæ ad tolerandas sui Ordinis afflictationes ministrat Regulari, vires, animumque alacriorem, quam ab externis aliis ferri possint: quantumvis in Seculo quis delicate vixerit, si animum ad regularem disciplinam totum adjiciat, robustiorem se macerationibus consuetis sentiet. Et primo se offert Carthusianorum, insignis illa à carnibus per totam vitam abstinentia, citra ullum dispensationis beneficium, in gravissimis adhuc ægritudinibus, aut senili ętate, in ultimum vitæ discrimen vergente: quod quanquam infirmitati humanæ minus consonum videri possit, attamen pensitata Ordinis austeritate, vitæque minus exercitæ instituto, intra cellulas suas, non est quod aliquid in eo reprehendendum putes, quin potius laudibus efferendum occurrit, consuetudine tantum, eam abstinentiam inductam, quam pro lege firmissima jam tuentur Ordinis alumni: maxime quod è peritioribus Medicis prodierit, carnium subsidium, reficiendis sæpe viribus requisitum, recentioribus ovorum vitellis suppleri posse. Mitius cum Minimorum Ordine Franciscus Institutor egisse videtur; nam suos eousque ad hujusmodi abstinentiam voto obstrinxit: quousque Medico-

rum

rum judicio pronunciatum sit, ægro corpori prodesse carnium comestionem: ea causa insurgente, permittitur in valetudinario: sed ad pristinam valetudinem ægro restituto, ad priorem redit abstinentiam. Ita Sanctissimus Fundator præclare corporis macerationem, cum necessaria corporis ope composuit, mediamque viam iniit, ut corporis, animique remedia, opportune cum usus postularet, adessent. Quid de S. Theresia, & de S. Petro de Alcantara dicam? Inter cæteras afflictationes, quas in suis Ordinibus statuerunt, præcipua est somni, non tam conciliandi, quam excutiendi ratio. Et, si iidem, Sectatores suos nuda humo cubare haud patiuntur, tabulas nihilominus permittunt, vili, rudiorique superposito stragulo, ut excruciari crederes, non cubare. Commoda tantum sunt, cum ęgritudinis molestia arcessit, ut natura repetere munia sua possit, si convalescat. Asperrimam sane tunicam gerunt strictiores Divi Francisci Regulares: neque duabus saltem alterne uti, apud eos, usitatum, quamvis neque arcendo frigori, neque immodico æstui temperando operimentum illud par sit. Paupertatem in rebus cæteris ad victum spectantibus admiraberis, cum emendicato ostiatim pane, obsonioque reliquo, nil sibi quidquam certi spondere possunt: & tamen inter innumeros Regulares, voluntariis corporum macerationibus in breviorem vitę cursum properantibus, paucos forte reperias, qui præ cæteris in Seculo degentibus, delicatiori victu, & deliciis cęteroqui diffluentibus vivaciores, ac etiam obęsiores, feliciori adhuc senecta, haud valeant.

LXIV. Hactenus & generatim traditæ tertio hoc Libro leges, omnes Ordines afficiunt, sed non ęque; claustrales Regulares arctius: paulo mitius Militares, juxta suas constitutiones, è quibus, pariterque, ex aliis postmodum Pontificiis dispensationibus temperamentum manavit. Ut vero ab obscuris explorata secernamus, in his Militaribus Ordinibus, pro comperto habendum, horum Regularium professionem ita firmam censeri, quoad emissorum votorum rationem, ut perpetua perinde consistat, ac claustralium cęterorum; neque sacrilege minus de-

Circa prædicta Ordinum Militarium usus.

delinquant Militares, si votum aliquod violent, quam arctioris Ordinis quicumque alii Regulares: sed utrum ex hac perpetua firmitate in nuncupandis votis, Professio, solemnis dicenda sit, & tanquam solemnis ab Ecclesia acceptetur? Et quoad firmitatem ipsam, haud ambigendum, quin Ecclesia reipsa in professione, solemnitatem statuerit; nam si secus res esset, Magistri Generales horum Ordinum suapte authoritate, possent Subditos professionis vinculo solutos aliquando dimittere, quod nequaquam fieri posse, certi juris est: verum, quia professio solemnis inter alia respicit, matrimonii subsequentis irritationem, ut habemus in *Cap.unico de Voto in 6. Declaramus*, inquit eo capite Pontifex, *solum illud votum debere dici solemne, quantum ad matrimonium post contractum dirimendum*: affirmare idcirco debemus, in iis Militaribus Ordinibus professionem solemnem esse, in quibus matrimonium dirimitur post contractum. Cum igitur Militares Ordines, in duplici ponantur differentia, & alii quidem voveant castitatem tantum conjugalem, alii vero limitatione nulla circumscriptam, quam nuncupant Regulares Milites S. Joannis, ab ipsis proprie professionem solemnem emitti, dicendum. Nam re ipsa per eorumdem votum, matrimonium ratum, non consummatum dissolvitur, & dirimitur adhuc subsequens, è communi Theologorum sensu, ac perspicua sententia; sive hæc matrimonii irritatio, ex ipsa professionis natura oriatur; sive potius ex Ecclesię Pontificiique Juris statuto, quod propugnat Soto *lib.7. de Just. & Jure*. Alii vero Militares Ordines, seclusa votorum perpetuitate, neque matrimonium ratum per suam professionem, neque post nuncupatam eandem, subsequens dirimendum alumnis suis statuere possunt. Suis nanque legibus, veritatem hanc firmant. Profitentur, non votum continentiæ integrum, sed libera conjugii ineundi facultate, remissius; unde si hujusmodi professio coalescere potest, cum vinculo matrimonii, patet, horum Militum professionem mitiorem esse, quam matrimonium sive ratum, sive consummatum dissolvat, neque tam solemnem esse, quę vinculum illud

idem

idem dirimere, & cum Ordine S. Joannis comparari possit. Cæterum pro sua quisque professione, quoad idem continentię votum, tam sacrilege delinquerent S. Joannis Milites, actus quoscumque venereos elicientes, contra ejusdem voti substantiam, quam delinquerent cæteri Milites conjugali continentia obstricti, si actus eosdem extra conjugii usum quoquomodo, libero consensu vellent.

An bonorum dominium competere iisdem possit.

LXV. Difficultas, & controversia potior urget hos Milites, quo sensu, intelligendum sit Paupertatis votum, quod nuncupant, & qua item praxi paupertas nuncupata servanda. Verum antequam quid sentiendum in hac controversia sit, exponam, secernimus in his Ordinibus Militaribus, quos ad Divina Ministeria, & Ecclesiarum suarum cultum cooptant, & Capellanos vulgo appellant, quemadmodum Ministros alios inferiores domorum ministeriis dicatos, in morem Laicorum intra claustrales Ordines, quos omnes Regulares proprie fatemur tribus substantialibus votis citra moderationem ullam emissis. Cum igitur de paupertate, sicut, & de cæteris aliis votis Ordinum Militarium inquirimus, petimus tantum Regulares Milites, & communi vocabulo Equites dictos. De horum paupertate prior dubitatio est, circa rerum paternarum, sive etiam propria partarum industria, & quocumque alio jure dominium: An ita abdicarint, ut nullo pacto aliquid tanquam proprium vendicare possint absque sacrilegii labe? Excipere hic libet, & semovere ab hoc periculo Equites S. Stephani in Etruria, & S. Mauritii in Sabaudia, qui perhibentur, non proprie paupertatis votum in professione nuncupare, sed modum quemdam, legibus potius aliis suorum Ordinum inculcatum: de cęteris vero cum exploratum sit, eos in nuncupata professione, promittere rerum omnium abdicationem, quibuscumque verbis eandem exprimant, patet, nullo rerum dominio posse eos frui, sive ante professionem, substantiam habuerint, sive postmodum, quomodocumq; acquisierint. Usus solummodo suffragari posset in hujusmodi bonis, qui tamen è Superiorum suorum nutu dependeret, juxta aliorum Regularium praxim: ob quam

forte rationem, non tam rerum suarum Domini appellantur, quam Administratores, vel Commendatarii. *Neque audiendi sunt quidam*, inquit Lezana *tom.2.cap.5.n.24. Summ., etsi alias docti, qui admittunt hujusmodi Commendatarios, eos scilicet, quibus permissum est contrahere matrimonium, esse veros Dominos prędictorum bonorum. Molin.tom. 1. de Just. disp.141. Sanch.lib.7.in Decal.cap. 8.n. 28. Hi enim Theologi, dum mites, & suaves esse volunt in hujusmodi Milites, acres tamen, & acerbi sunt in illos, eis tollentes veram rationem Religiosorum: impossibile enim est, veram rationem Religiosi, cum proprietate, & dominio præsertim expedito componere, &c.* Sed quam immerito is Author damnet eximios laudatos, aliosque Theologos, in oppositam sententiam concedentes, inferri par est, ex traditis, aliis in locis, juxta Pontificias Constitutiones definientes Societatis alumnos esse vere, & proprie Regulares cum dominii capacitate: unde quemadmodum Lezana ex eo quod patet non posse componi Regularium statum cum dominio, subinfert. *Vel prædictos Milites Religiosos non esse, quod non est dicendum, ut constat ex dictis, vel dicendum eos non habere bonorum suorum proprietatem, aut dominium saltem liberum, & expeditum, quia hoc est de essentia veri Religiosi*: adversus eundem subinferre liceret: Vel Regulares non esse proprie Societatis alumnos post bienni vota, è rerum suarum dominio, quod adhuc retinent, & aperte id refragaretur Pontificiis Constitutionibus, vel regularem statum cum rerum dominio, & proprietate componi reipsa posse. Si tamen per particulam illam additam dominio, *expedito*, intelligere vellet, de iis, qui citra dependentiam Superiorum ullam dominium retinerent, nuncupata professione, verum utique affirmaret; sed nihil hujusmodi aliquid in Regularibus Militibus: propterea quod, etsi dominium bonorum suorumque haberent, dependenter à suis Superioribus haberent post Professionem, idque satis esset pro Regulari, ne dominium expeditum, vel omnino liberum in eodem statueretur.

An re ipsa competat. LXVI. Verum etsi religiosę Professionis vinculo in Militaribus hisce Ordinibus, dominium hujusmodi expedi-

ditum, ac liberum, cujusmodi Seculares omnes sui juris habent, dimittatur; promittunt enim se victuros sine proprietate ulla, si demamus S. Stephani, & S. Mauritii Milites; & usus, & consuetudo cujusque Ordinis praescribit, quibus confiniis contineatur paupertas, & quousque jus hoc utendi, fruendique suis bonis, à supremis Ordinum Moderatoribus protendatur. Quoad domesticam, paternamque substantiam, Melitensis Ordo arctius cum suis habere se consuevit, quam Ordines alii, in quibus conjugalis tantum castitas reliquis substantialibus votis, respondet. Hi namq; Militibus indulgent dominium, cum ea testandi facultate, qua ad liberos suos, legitimosve alios successores avitam substantiam transmittere valeant, dummodo, ut mos in aliquibus obtinuit, denuntient sub ipsum professionis tempus, quę bona possideant iidem Milites, quo tutius, & sine ulla conscientię molestia in posterum vivant. Et, si idipsum aliquanto scrupulosius faciendum sit, aut remissius, ex ipso Ordinis usu, & aliorum ibidem authoritate, & vitae honestate praeditorum praxi, pronum erit definire. Consuetudo propemodum alia apud S. Joannis Milites, quibus cum votum integrum sit continentiae, neque liberorum cura ulla anxios reddat, supremus Ordinis Moderator, quae Militis cujusque decentem statum tueatur, perspicit, indulgetque: unde cogitur Miles, antequam professionem suam nuncupet, caetera bona patrimonialia, & dominium omne abdicare, quibus de jure, vel quibus maluerit. Bona item alia, quae nuncupata professione proveniunt, vel ex suis Ordinis proventibus, & ratione commendae proficiscuntur, vel ex capite adhuc alio, ut quoquomodo adventitia, castrensia, vel quasi, & proventus prioris generis permittuntur, appositis aliquot limitationibus, ut videlicet in honestos Militis usus, sustentationem, cultum, decus, caeteraque hujusmodi transeant. Non negarim tamen, praeter lethalem culpam contra paupertatis votum pro ratione materiae, si secus in ludos, illicitosque alios usus prodigerent, ad nihil aliud teneri, & à restitutionis onere plerumque excusari: &

hoc ideo, quia Ordines, ad quos facienda esset restitutio, prodigos Milites, licet turpiter quandoque erogantes, hujusmodi bona restituenda fere nunquam curarunt, & ne puniendos quidem delinquentes: aut fortasse quia, quasi dominium transtulisse cum proventibus non ęgrè tulerunt, ipsi Ordinum Præsides. Qua latiori Moderatorum indulgentia, & honestiori adhuc ejusdem permissionis usu, posse Commendatarios Milites è suis proventibus Majoratus instituere, ad amplificandum suæ familię, suique nominis splendorem, & juxta morem patriæ, suique generis decus, feudum suis comparare, latifundia, proventusque domesticos augere, facile sibi quisque persuaserit, qui ferendas utcumque profusiones, & culpandas cæteroqui donationes, duxerit. Et sane prædictis dispositionibus majoratuum, locus esse posset, si in Ordine, nihil quidquam contra statutum esset, vel si Moderatores ipsi nequaquam refragarentur, quorum voluntati expresse saltem contraire in permissarum rerum usu, paupertatis votum violat. Idem judicium esto de rebus cæteris adventitiis, vel castrensibus: nam quidquid Milites hi acquisierint, aliorum donationibus, industria, è militiæ stipendiis, & quocumque alio jure, haud aliter eodem voto premuntur, quam si claustrales essent, post professionem, ut omnia proprio Ordini acquirant: in eo tamen discrimen aliquod, quod cum paupertas Regularium Militum, rerum usum ex ipsa Moderatorum indulgentia, justisque adhuc causis è statu petitis, ampliorem assequi possit, firmari potissimum debet: An Moderator in rebus quomodocumque, dummodo justè partis, annuat potius, quam abnuat.

Quibus conditionibus valescat permissio.

LXVII. Ad validam, licitamque adhuc prædictarum rerum permissionem, & ne Moderatores censeantur renuere, præter conditiones forte alias, in plerisque horum Ordinum statuitur, ut in annos singulos semel, vel cum ad id prærequisiti à Visitatoribus fuerint Milites, rerum suarum inventarium conficiant, exhibeantque, vel pro redituum annuorum summa, certam quandam pensionem Ordini solvant, & quoties ejusdem Ordinis graviora

viora onera persolvenda premunt. His sane casibus sub gravi tenentur parere, oneribusque succumbere: unde si remissiores fortasse in conficiendo inventario, fuerint & ne plus solvant, è suis rationibus, rebusque minus exhibeant, pro parciori rerum detectarum summa, gravius, contra paupertatis votum, juxta suas constitutiones emissum, delinquent, atque suos Moderatores de cætero non ita faciles ad reliqua sua commoda, & quales antea, habendos damno suo ducerent. Potissimum id juris servandum, ut testari valide possint, cum cæteroqui prohiberentur religiosa professione, de rebus suis disponere. Sed ubi Pontificiis Constitutionibus beneficium hoc conceditur, præscribere solet Ordo, ne quis testamentum condere possit, sine prævia, & expressa Supremi Moderatoris authoritate, neque alia conditione, quam ut pro facultatum modo, compositionem quandam cum Ordine faceret, & pecuniæ summam in ejusdem Ærarium inferret: sin minus, tanquam proprietarius, & paupertatis violatæ reus teneretur, irritum testamentum esset, eodemque jure, quo Ordo munitur, bona Militis decedentis omnia, Ordini acquirerentur. Hæc omnia è quotidiana fere praxi, perspicua adeo, ut S. Jacobi Milites ex Constitutione Pii V. facultate testandi, quam antea habuerant, inhibiti fuerint; verum paulo post Gregorius XIII. in Bulla *Romani Pontificis*, & ad preces Philippi II. Hispaniarum Regis, jus iisdem antiquum firmavit. Iidem ipsi S. Stephani Milites, qui votum cæteroqui paupertatis omittere in professione videntur, obstringuntur tamen, ut de perceptis intra Ordinem proventibus, testamento, hæredem, suum Ordinem ex quincunce instituant: neque minus evidens fundamentum, non modo è religiosa professione, qua cæterorum Ordinum Milites bonorum, quorumcumque dominium, usumque à se arcent, nisi quatenus permissum aliquid fuerit à Superioribus, salva instituti substantia; verum è bonorum eorumdem, quibus fruuntur, ratione: nam cum eadem sint in dominio, & Ordinum potestate, tantundem in usum Militibus tribuunt, quantum recta Præsidum dispensatione, & consti-

ftitutionibus ipfis, licet: Cæterum de jifdem fructibus pro libito difponere, & teftamento legare, in idem recideret, ac fi abfolutum dominium haberet quifque Militum, quod nefas effet, affirmare. Operæ pretium eft, ex Azorio *lib.13.Inftit.mor. cap.4.* noffe, quibus gradibus, annui proventus hujufmodi Regularibus accefferint. Sic enim ait. *Olim, cum Militares Ordines Religiofi funt inftituti, Milites omnes, ut Religiofi, in Conventu communiter vivebant, & inde ad bella procedebant: paulatim eft ufu introductum, ut Militibus certa Religionis bona committerentur, quæ fua cura, & diligentia adminiftrarent; & idcirco extra Conventum vivere ceperunt finguli, ut bona fibi commiffa curarent; deinde confuetudine etiam obtentum eft, ut alii quoque Milites, qui Commendatarii non funt, extra Conventum commorarentur, expreffo, vel tacito Magiftri confenfu, &c. Principio vero non quibuflibet bona Religionis adminiftranda committebantur, fed fenioribus, antiquioribus, & jis, qui vel erant, emeriti Milites, vel ad militiam inepti ob ætatem, vel incommodam valetudinem. Item committebantur tunc temporis hæc bona Religionis ea ratione, ut ejufmodi Milites ex ipfis bonis, victum tantum fibi neceffarium perciperent, ac reliquum Religioni conferrent: & ideo fuæ rationem adminiftrationis reddere cogebantur: fenfim invectus eft ufus, ut Milites Commendatarii certam portionem ex fructibus Religioni refervent, & reliquum impendant in ufus bonos, quos voluerint, &c.*

An fint Beneficia Ecclefiaftica.

LXVIII. Sed quamvis hujufmodi Militarium Ordinum Commendę, reditus annui, & perceptiones quæcumque aliæ Regularibus, hoc eft Ecclefiafticis Perfonis conferantur, collationefque five inftitutiones, ad Ordinum Magiftros pertineant; quamvis item, ut plurimum ex Ecclefiafticis Decimis profectæ dignofcantur, atque etiamnum pluribus in Provinciis cumulentur: non ideo tamen inter Beneficia Ecclefiaftica, numeranda, vel eorumdem faltem legibus adminiftranda. Beneficia ftrictim Ecclefiaftica, non tantum ex Ecclefiæ bonis profluunt, fed eo prorfus titulo dantur, ut in Ecclefia officium aliquod, vel Ecclefiafticam adminiftrationem, qui poffident, exerceant. Habent infuper annexum onus,

Di-

Divinum Officium diebus ſingulis, recitandi, tam arctè, ut omiſſiones ſingulę, ſi adhuc ſimplices Beneficiarii ſint, & nullo pacto in ſacris Ordinibus conſtituti, lethali culpa omittentem afficiant, fructibuſque, qui percipiendi pro ejuſdem diei portione eſſent, indignum omnino pronuntient: Ad hæc neceſſaria clericalis habitus geſtatio, tonſura, & cætera ferme Miniſtrorum Eccleſiis inſervientium. Iſthæc omnia, & ſi placet adhuc ſingula, ſi conferantur, cum Commendatariis, aliiſque Militarium Ordinum Regularibus, ſecluſis jis tantum, qui in jiſdem Eccleſiis munere aliquo funguntur Eccleſiaſtico, eademque ratione fructus aliquos percipiunt, nullatenus congruere videntur. Militibus Commendæ dantur, non ob Eccleſiaſtica munia, ſed ob egregiam operam in militia navatam, & præclara alia facinora in Ordinis ſui amplitudinem: dantur etiam, ratione ætatis, ut tempore antiquiores præferri junioribus debeant. & ſi forte vergente in ſenium ætate, non haberent aliunde ex paterna domo, ut commode vivant, alantur tandem perhoneſtè ſui Ordinis proventibus. Qua in re, mihi non omnino arridet eorum opinio exiſtimantium, fructus, proventuſque Ordinum, jis tantum Militibus deberi, qui reipſa contra Fidei hoſtes militent, eo quod, hujuſmodi proventus in hunc tantum finem, inſtitutos paſſim legamus, eademque aggreſſione, & propulſatione proinde quieſcente, nulla adhuc proventuum perceptio, ſtipendii rationem continens, debeatur. Etenim, qui ita ſentiunt, probare ſolidiori fundamento deberent; proventus omnes, in gregariorum Militum ſtipendium, legatos, cum actu ſolummodo, & quouſque militarint Ordinum alumni, vel ita conſuetudine in jiſdem Ordinibus uſitari; verum cum conſuetudo ipſa, & inſtitutiones adhuc longe ſecus ferant, & proventus conferantur, tanquam emeritis Militibus, qui antea in bello ſacro militarint, vel antiquioribus ætate in Ordine, vel quoquomodo benemeritis, vel demum, ſi alia deſiderarentur, ut jiſdem ſuppeteret, unde alerentur, juſta ſane ratio, contrariam Ordinum conſuetudinem tuetur; & quemadmodum eſt in-

inficiari non ausim, cum Ordines instituti olim fuerint, & cum propulsandi hostis aliquando urgentissima causa ingrueret, tunc potissimum ampliores reditus accessisse, ad arcendos facilius hostes; ita validius propugnarim, ob eandem rationem, hujusmodi commendas, proventusq; firmatos, ut ingruentibus iisdem belli causis, Commendatarii potissimum, Militesque alii acrius in hostes insurgere ex Ordinum legibus,& ex earumdem perceptionum jure, vel acquisito, vel aliàs, & sub iisdem conditionibus acquirendo tenerentur. Sed in promptu adhuc est dignoscere, è nullo alio capite, è clericali habitu videlicet, è tonsura, Ordinum proventus inter Ecclesiastica Beneficia recensenda, quamquam reipsa Ecclesiastica bona existimanda sint: neque tonsuram, neque clericalem habitum gestare compelluntur hi Milites. Pręter Ordinum suorum insignia, crucem scilicet, colore, modisque aliis in habitu efformatam, ut Seculares reliqui ut plurimum versantur, haud dissonis Ordinum legibus, nisi cum referre sui muneris, & Ordinis partes deberet quisque, solemnem in morem, augusta quidem specie, & Ecclesiasticis Viris digna. Demum, ne Beneficia Ecclesiastica affirmemus, sufficeret is idem reddituum usus, amovibilis, ut dici consuevit; quod Beneficio proprie dicto repugnat, jus perpetuum afferenti. Milites verò suis proventibus gaudent, ita tamen, ut si Moderatores repeterent, & ad nutum revocarent, sua authoritate possent; nec de injustitia Militibus Subditis reclamandi jus esset, nisi quatenus paterne minus, nec cum alumnis aliis hoc idem ageretur.

An simonia locus sit.

LXIX. Exinde tamen deduci nequit, nullam fere simoniæ labem intercedere, intra Ordines Militares, maxime pro obtinendis in Ordine Gradibus, Commendis, & quibuscumque aliis proventibus, pretii pactione, aut re pretio æstimabili, prævia. Et sane, in nostra, sive potius communiori Theologorum sententia, ex adnotatis in primo Libro, cum hi Ordines censendi sint proprie Regulares, neque substantia discrepent in religiosa professione, à cæteris claustralibus, eorum proinde status spi-

ſpiritualis prodit, & circa ſpirituales res verſari, conſonum. Hinc, ſi in aliis Ordinibus ſimonia committeretur, quandocumque pro religioſi habitus ſuſceptione, pro nuncupanda profeſſione, in eligendis Moderatoribus tum ſupremis, tum etiam inferioribus, pactio intercederet numeratæ, vel numerandæ pecuniæ, vel quidquam aliud pecuniæ æquiparandum, eandem labem, ejuſdem ſtatus ratione, in his omnibus minimè abeſſe putandum; cum pecuniæ ſummam aliquis paciſceretur, ut in Regularem Militem evaderet, impedimentaque removenda duceret, dummodo non injuſta, ut habitum protinus aſſumeret: vel, cum Miles virtuti ſuæ impar, & aliis jure poſtponendus, prava ſua cupiditate, quod virtute deſperaret, ſe aſſequi poſſe, pecunia quodammodo mercaretur. Sed hic modo exiſtimemus, Ordines hos nequaquam proprie Regulares: quid interea? Negabunt, fortaſſe, qui ita opinantur, Eccleſiaſticas Perſonas, hos Milites, Miniſtrorum Eccleſiæ privilegiis communitos, Ordinumque ſuorum, bona, proventuſque omnes, Eccleſiaſticos, & Eccleſiaſticis legibus ſubjectos eſſe? Quæ igitur adnexa, ſaltem, & conjuncta habent jura, & Privilegia plura Eccleſiaſtica, ſimoniæ periculum proximum invehunt, cum temporario pretio, & cęterorum contractuum legibus, permutantur. Azorius certe vir peritiſſimus, qui hos Ordines negat, Regulares eſſe, loco ſuperius notato, *Cap. 6.* ſimoniam ineſſe firmat, ſi ſupremus Ordinis Magiſter, aut Præfectus, vel Adminiſtrator perpetuus, pecunia admittendum aliquem in Ordinem ſuum duceret: *Item,* ſubjicit, *ſi pecuniam ut pretium accipiat, ex hoc quod alicui annuos certus redditus Ordinis, quæ Commendę dicuntur, alicui conferat. Item ſi pretium accipiat ex hoc, quod penſionem in certis quibuſdam redditibus, impoſitam, juxta Ordinis ſtatuta, alicui è prædictis Militi concedat. Nec Miles Commendatarius authoritate propria, ſine Magiſtri conſenſu, poteſt redditus ſibi commendatos, cum redditibus alterius Militis commutare. Rurſus ſi tacitè pecuniam accipiat, ex hoc quod commutat ſuos redditus, hoc eſt Commendam, cum redditibus, hoc eſt, cum Commenda alterius.* Multa tamen Ordini, vel ſupremo Ordinis Ma-

gistro licent, quæ Ecclesiastico Jure Militibus leges vetant, in proventuum administrationibus, simulque distributionibus: Administrationes, ac distributiones, inquam: Nam hujusmodi bona, distrahi, & ab Ordine semoveri, ut pote Ecclesiastica, jisdem juribus nequeunt, quibus & reliqua Ecclesiæ bona; nisi distractio in majus Ordinis commodum rediret, & juxta dispositionem appositam in Extrav. *Ambitiosæ. De Reb. Eccles. non alienand.* Supremi igitur horum Ordinum Administratores, vel plerique, è Pontificiis Constitutionibus, ad tutandum suorum Ordinum decus, ad onera sustentanda, ad bellorum impetus arcendos, ad complures Milites insigni sua virtute exornandos, affinesque alias publicum regimen commendantes causas, possunt Commendatariis, vel si collatæ non adhuc fuerint, commendis pensionum onus imponere, hoc est detrahere portionem fructuum quotannis percipiendorum, è singulis commendis, ut eo subsidio, vel Ordinis Ærarium brevi fortasse exhauriendum, extraordinariis elapsi temporis expensis, & acre alieno gravatum instaurent, vel complures prçmiis foveant: idque adeo verum est, ut insignes Theologi, Suarez *tom. 1. de Simon. cap. 27.* Bonacina *eod. tract. q. 4.* Lezana *in Summ. tom. 2. cap. 5. n. 26.* de jis commendis affirment, quæ Militibus conferri solent, ob rem bellicam prospere gestam, vel tanquam stipendium aliquod mere temporarium, simoniæ materiam non esse: ex quo sequitur, multo honestius, ad publicam totius Ordinis utilitatem fieri posse detractionem aliquam, in pensionum jure. Et quod in pensionibus licet, licere adhuc permittitur jisdem rationibus, in Commendarum unionibus, permutationibus, parciori, vel ampliori ex jis fructuum usu; in jisdem minuendis, vel amplificandis, aliarum accessione, &c., quia cum proprie Beneficia Ecclesiastica non sint, in quibus quidquam innovare omnino vetitum, sed Ordinis bona, ad ejusdem præsidium comparata, ritèque definita; quandocumque Ordinem communiendum prædictis dispositionibus, qui Ordinis vices tuetur, videt, incumbere videtur in sui muneris partes; curandum tamen, ne quod

pu-

publici commodi speciem refert, privatam verius ambitionem alat, Ordinis detrimento, & graviori conscientiæ labe.

LXX. Quod Votum Obedientiæ spectat, parere Milites debent, & sub gravi, pro Ordinis sui legibus, & pro subjecta legum materia supremo Moderatori, quem agnoscunt, aliisque inferioribus, qui ejusdem nomine, intra Provinciæ fines, si commune domicilium alicubi non haberent, administrationem suscepissent, in Claustralium morem, Moderatores suos Provinciales, hisque Superiores suspicientium. Obedientiæ votum urget maxime, cum in bellum adversus Fidei hostes, evocantur à supremo Ordinis Magistro. Abnuere nequeunt, vel circumventionibus, & effugiis à militandi onere se submovere, præterquam naturalis impotentiæ, ægritudinum, seniique causa. Nam, quæ alios forte in justis bellis etiam pro Religione susceptis, evocatos excusant, conjugii nexus, liberorum educatio, & necessitudines aliæ e naturali jure in domestica officia propellentes, hosce Regulares~~, ut plurimum minimè liberant~~, religione voti ad militandum in hujusmodi occasionibus cum vitæ discrimine obstrictos, tanquam si publica afferendæ Fidei confessio, cum potissimum omnibus expediret, extrema omnia subituros arctaret. Proximum hujusmodi obedientiæ vinculum cogit Milites, ne aliis, quam suis Moderatoribus se subjiciendos tradant; jus enim omne libertatis suum, Ordinis imperio subest, quoad naturalem illam de seipsis disponendi in publicis saltem muneribus facultatem: unde externis Principibus militandi operam navare, sine Superiorum consensu prohibentur; nec fędus publicum cum illis percutere, neq; privatum adhuc, homagii, subjectionisque præstandæ quocumque onere; maxime si accederet, jusjurandum, ratione Feudi, cujus leges ministerium in Feudatario, personale, vel reale, & utrumque verius requirunt: quo casu Regularis Miles procul dubio lethaliter contra obedientiæ votum delinqueret, si vel ad horum singula, suapte tantum authoritate se despondisset, irritum jusjurandum decernendum

esset; quinimmo perjurii, & contumaciæ pœna in violatorem statuenda; quæ alios quoque in posterum ab iisdem molitionibus deterreret. Hoc idem quod Rodriguez *tom.2.quæst.Regular.q.71.* adstruit de Militibus S. Joannis, firmandum in reliquis aliis Ordinibus Militaribus; quia in aliis militat eadem professionis, & obedientiæ disciplina. Tacitus fortasse Moderatorum consensus ex Ordinis alicujus consuetudine, indulgere posset in alumnis Feudorum usum, apud externos Principes, adeoque eidem usui adnexa, jusjurandum fidelitatis, & ministerium; sed tradita doctrina locum habet, quoties Miles affines res aggrederetur, nullo expectato Ordinis; vel Superiorum suorum consensu, velletque eodem jure uti post Professionem, quo antea, & multa cum laude licebat. In quibus vero rebus aliis vitæ regimen continentibus, ex obedientiæ præcepto, teneantur Ordinis Magistro obedire, Regula, & usus admonent. Verum quia sæpè fit, ut supremum hujusmodi magisterium, cum supremo adhuc temporario in rebus civilibus, ac politicis dominio conjungatur, ex Apostolicis item Constitutionibus,ut in Hispania, cujus Reges supremi sunt multorum Militarium Ordinum Magistri, S. Jacobi, Calatravæ, Alcantaræ, Montesiæ: Lusitaniæ item, Rex supremus Moderator Ordinis, qui CHRISTI dicitur, &c. Sabaudiæ Dux, S. Mauritii. Magnus Etruriæ Dux, S. Stephani. Insulæ Melitensis Dominus, S. Joannis, &c. Subduntur reipsa Milites utrique jurisdictioni suorum Principum, cum in eorumdem ditionibus commorantur;aliter tamen ut Regulares, aliter ut reliqui Subditi seculares. Et Seculares, non raro, Principum jussa quibusdam subterfugiis, si declinarint in pœnalibus fortasse legibus, eo quod existiment, subdi tantum pœnis, si violatores deprehensi fuerint, à lethali culpa abesse se affirmabunt: Regulares Milites non ita: sæpè enim easdem pœnales leges, quas declinare potuissent iisdem excusationibus, nequeunt quatenus Regulares, obedientiæ religiosæ vinculo eidem Principi obstricti. Statuenda igitur regula, ex qua colligatur, in quibus Princeps jubeat mere poli-
tica,

tica, & in quibus jubeat, spirituali ea tanquam supremus Magister, jurisdictione. Et sane si aliquid praeciperetur ex iis, quae in constitutionibus Ordinis continentur, & materia insuper gravis esset, pro comperto habendum, teneri singulos Milites in conscientia, & sub lethali culpa, si praeceptam rem omitterent, & quoquo modo declinandam clanculum ducerent: si vero aliquid ad politicum regimen faciat, quod praecipitur, & Subditis omnibus imponatur, absque limitatione ulla, perspicuum adhuc est, eodem prorsus vinculo arctari Milites, quam caeteros Subditos: neque arctius illos, quam hos: quia non constat, Principem in eo imperio advocasse subsidiariam etiam Magni Magistri authoritatem, ad Milites gravius obstringendos. Quid, si in ferenda lege eosdem exprimeret, & obedientię praecepto, ad rei executionem urgeret? & verosimilius existimandum, eodem praecepto ligari, perinde ac Regulares alios, si iisdem à suis Moderatoribus praecipiatur aliquid, quod Christianos mores referat, & ad publicam Ordinis tranquillitatem pariter referatur. Potissima in eo sita est ratio, quia Principis est providere, quae salubrius ad tranquillum Regni sui statum conducant, & quae maxime Christianam pietatem tueantur; cum vero videat, aliquid, morum reformationem, aut publicam regiminis tranquillitatem spectans, ab hujusmodi Regularibus pressius exigendum, facilius deinde posse ad alios eandem executionem manare, ex authoritate re vera Magni Magistri ageret, & optime insuper Principis, praecepto permovere Milites, à quo utcumque retrahere se nequirent.

LXXI. Pręter tria professionis vota, legibus hi Ordines reguntur aliis, Christianae perfectioni respondentibus, quarum obligatio gravior, vel mitior, consuetudine definienda. Plura fortasse, graviori onere premunt Milites, cum in communi domicilio, conventum appellant, versantur. Hic communi passim victu, & admodum sobrio, in Regularium claustrium morem, contenti esse debent, frequentiorem Sacramentorum usum advocare, quotidianis precationibus unà adesse, silentii, & secessus ho- *An aliquando obligentur sub lethali.*

horas præfixas habere, quod sociis offendiculum præbeat, sedulo arcere, dissentionum semina, e religiosa charitate, simulque è generis nobilitate, ruditatis nescia, exterminare, demum inordinatum nihil agere, ex Ordinis legibus. Nec Censores desunt, nec coercitiones transgressoribus, pro culparum diversitate. An vero, cum seorsim degunt, & in suis quisque ædibus; absitque pœnarum metus, obligentur tamen ex conscientia, ad Ordinis statuta, neminem Theologorum latet; sed si omitterent ex consuetudine, eodem modo judicandum, ac in cæteris Ordinum legibus, in quibus nulla gravis indicitur obligatio, dictum fuit. Excipiunt nonnulli diurnas preces Militibus in Regula præscriptas, quas, sub lethali firmatas asserunt. *Isla in Reg. D. Jacobi cap. 6.* potissimum cum passim omitterentur; quia cum Regula easdem præscripserit, & veluti substituerit, in Horarum Canonicarum pensum, cui satisfacere singulis diebus tenentur Regulares alii, omissio tanquam lethalis damnanda est, ut earundem Horarum in Divino Officio. Alii, in quibus Sanch. *lib. 7. Consil. moral. cap. 2.* secus opinantur, & a mortali omittentes excusant, ex eadem forte consuetudine, qua Milites testantur, nunquam se graviori eo onere, quam veniali, in hujusmodi recitationem inductos, neque ex Regula, certi aliquid erui posse; sed si multa in utramque partem addi possent, ego tandem existimarem, affirmandum illud idem, quod de Divini Officii recitatione, non tamen adamussim, solo religiosæ professionis vinculo, ibidem statui, nempe è Divini Cultus ratione proficisci, ut, quæ potissima ducantur, sub gravi obligent, maxime si omittendo, consuetudo accedat: diurnas verò preces idcirco statutas in Regula videmus, ut Milites Divinum Cultum impense foverent per hujusmodi subsidia, quæ collata cum rerum divinarum usu, in Ordinibus claustralibus, affinitatem quandam haberent religioso statui accomodatam: Credibile autem non est, noluisse saltem sub gravi obstringere Ordinem alumnos suos, si ex consuetudine preces cæteroqui inculcatas prætermitterent, aliis vitæ religiosæ oneribus perinde, ac Se-

cus

culares soluti. Quo fundamento diluimus objecta, quæ adversus superiorem sententiam produci possent, dę leviori legum obligatione, cum nullum præseferunt gravioris culpæ onus. Verum profecto id censetur, quia expensis omnibus religiosæ vitæ in contubernio muniis, eo ipso in eodem degentes explere passim coguntur, Divinum Cultum maxime spectantia. At qui tota fere libertate utuntur Milites, suisq; commodis, expediebat, ex conscientia saltem, si aliunde nequiret, ad aliquid adstringi, ex quo se vere Regulares, & Divini Cultus memores, sui instituti legibus, intelligerent.

Subit admiratio cõtemplantem singulos Ordines.

LXXII. His igitur rebus omnibus, de Religiosorum Ordinum institutionibus in priori hujus Operis parte, & compendiaria utcumque ratione, expositis, libet ultimo loco, candidi Lectoris animum aliquantisper detinere, enixeque rogare, ut veluti ex editiori loco, urbis magnitudinem, prospectantem rogare solemus: An ejusdem urbis prospectus, situs, ædificia, partes reliquæ invicem sibi cohæreant, habeatque prę oculis, quid suspicere, quid admirari ~~, quid jure prædicare aliis debeat~~! Singularem prorsus, & divinam molem videmus, sive partes singulas, singulos videlicet Ordines contemplemur, sive omnes, in unius symmetriæ leges, atque in ejusdem opificii absolutissimum opus tendentes. Quilibet nanque Ordo pulcherrimam Reipublicæ formam refert, cultorum frequentia, delectuque excultam, non quos olim Athenienfis, vel Spartana tumidius complexa est: sed quibus gloriari merito ipsa virtus posset, pluresque re ipsa identidem in Cœlum tollit, dicatque. Ecquis sane, si vel leviter animum adjiciat, conferatque, cujusque Ordinis institutum, cum ea Republica, quam Plato optimus apud omnes existimatus Legislator finxit, non rectissime pronuntiet, alterum ab altera lõgissimo distare intervallo, tantumque abesse, Regularium Institutum à Platonis Republica, quantum viventia, & solidissima corpora ab inanibus rerum simulacris absunt. Veritatis luculentissimum testem habemus in Platone altero, sive in quem Plato ipse, suis legibus migrasse visus fuit, Plotinum,

In-

inquam, qui, cum à Gallieno, & Salonina Augustis, quibus pergratus erat, dirutam in Campania urbem instaurandam exorasset, ut liceret in ea cum suis asseclis, Platonis legibus vivere, & Platonis Rempublicam, tot laudibus Sapientum hactenus, per omnium ora vulgatam, æmulari, & usu verius spectandam tradere; spe tandem sua frustratus est, & irrisionibus dimissus: adeoque qui omnium sapientissimus, in ferendis legibus, aurium, & lingua tenus ferebatur, ne in pagum quidem, & dirutæ urbis rudera, invehi praxi posse tantum Legislatorem, eventus cumulate docuit. Contra, Regulare quodlibet Institutum, ut primum prodire visum, Urbes, & Provincias amplissimas in admirationem sui vertit, & quibus cor magis sapit, ejusdem vitæ ineundę cupiditate ęstuat: dissita moribus, studiis, nationibus ingenia in regularem hujusmodi disciplinam, quamvis austeritate sua horridam, humanisque pęnè viribus haud ferendam, mira consensione coalescunt; nec aliter, quam si iisdem parentibus procreati alumni omnes ab incunabulis easdem leges cum lacte ebibissent: & qui alumnis suis Ordo minus frequens; urbes tamen integras conflare solus posset. Pressius hìc recolo, quod traditum à Trithemio de uno Benedicto Ordine, dum is in vivis ageret, Anno 1488., memoravi: *Numerus*, inquit, *monasteriorum Abbates habentium, ultra quindecim millia extenditur, exceptis Præposituris, & Cęnobiis Monialium. Unde, si unusquisque sua possideret. S. Benedictus tertiam partem Christianitatis habere crederetur. In Provincia sola Mogontina, nunc habemus Abbatias centum viginti quatuor, præter illas, quæ ab Ordine nostro sejunctæ sunt, quarum numerus denarium superat*. Age igitur, si adjiceremus hac ætate Ordines, qui prodierint post Trithemium, & florentissimos nunc videmus, innumera prorsus Regularium multitudo recenseretur.

LXXIII. Quid si vel obiter, Ordines ad Divinam Gloriam amplificandam institutos omnes intueamur? exclamare, & summis præconiis Divinam Bonitatem singulari hac fęcunditate Ecclesiæ suæ consulentem celebrare libet, cum iisdem vocibus, quas, afflatus Balaam

Et peculiariter omnes.

Di-

Divino Spiritu effudit, cum *vidit*, ut *Cap.* 24.*Numeror.* dicitur, *Israel in tentoriis commorantem per tribus suas*. *Quam pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Israel! Ut valles nemorosæ ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula, quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas. Fluet aqua de situla ejus, & semen illius erit in aquas multas*. Singula genuinè Regularium Ordinibus congruunt. Siquidem tentoria referunt tot Militibus oppleta, & agminibus undique stipata, Heroum, qui summi Ducis in verba jurantes, seipsos innumeris vitæ casibus objiciunt, ut Fidem Sacramento obstrictam, sanguine, si opus sit, profundant: libentissime semet devovent, ut Divinam Hæreditatem, CHRISTI DOMINI Imperium nullibi nutare sinant, quinimmo latius protendi fines insudent, ea virtute, qua artes, & machinamenta hostium facili negotio expugnanda videant, & ipsum Humani Generis hostem pavidum jam, ac imbellem, ex formidando, quoties voluerint, producant. *Omnes quidem Christianos* innuebat, *ex Athanasio*, Divus Antonius Abbas, *Diabolus odit, sed probos Monachos tolerare nullo modo potest*. Subsidunt ut valles religiosi Ordines, & insigni demissione, se à seculari fastu, à supervacaneis rebus, & plus æquo caduca sectantibus cæteris hominum, retrahentes, contemnenda ducunt, quæ alii tumidius affectant; sed quemadmodum valles, quo, nemorosæ magis, eoque densiores, immodicum æstum arcent, ita vicissim Ordines, quò frequentiores, eo etiam mutuis religiosæ vitæ exemplis, salubriores, acriores carnis, & tentationum insultus depellunt. Sed quam concinne in irriguis hortis exprimuntur! Videmus undique suis legibus excultos, innumeris Divinæ Gratiæ subsidiis irriguos, omnibus temporum vicibus vernantes: Floribus fructus succedunt, & fructibus virtutum flores: ut in nullo Ordine cernere sit, frugiferum solum, unquam penitus defecisse, quin vivere adhuc desierit. Aut frugiferè omnino vivendum est, aut Ordo totus omninò obliterandus. Et cum reipsa tabernacula sint, quę CHRISTUS DOMINUS Institutione sua ad plurimam Ecclesiæ utilitatem,


ubertatemque fixerit, Horti arboribus, & quidem præstantissimis, ac proceræ simul magnitudinis cedrorum instar, consiti, juxta erumpentium divinarum largitionum scaturiginem, non nisi ubertas maxima expectari debet: succidendum alioqui, & radicitus evellendum quidquid, hujusmodi solum felicissimum occupat, inani tantum religiosi Ordinis nomine. De iisdem Ordinibus vaticinatum olim Balaam, affirmant D. Athanasius in Vita D. Antonii, D. Basilius *de Laud. vitæ solitar.*, pluresque Sacrarum Litterarum Interpretes, ut videre est apud Lorin. in *Cap.* 24. *Numer.* Mihi ad hujus argumenti robur adnotare satis sit, quæ Concilium Lateranense sub Leone X. *Sess.* 11. de Regularium Ordinibus pronuntiaverit, cum Joannes Episcopus Sibiniensis ejusdem jussu Sessionem indiceret: *Religiosos*, inquit, *etiam in agro dominico, pro Christianæ Religionis defensione, & ampliatione complura fecisse, ac uberes fructus protulisse, & in dies singulos proferre, ita & eorumdem Episcoporum, & Religiosorum bonis operibus Orthodoxam Fidem incrementa sumpsisse, & per Orbem Terrarum undique dilatatam fuisse, Fidelium nullus ignorat.*

Solicitudo Romanorum Pontificum in tuenda Ordinum disciplina.

LXXIV. Sed quanta semper pervigili cum industria insudarint Romani Pontifices, circa Religiosorum Ordinum disciplinam, decus, cultumque, sanctiones hucusq; delibatæ apertissimè declarant, patebuntque apertius insuper in altera operis Parte. Parum fuit, singulorum Ordinum institutiones probasse, singulasque leges primum diligentiori trutinæ subjecisse, ne aliquid fortasse irreperet, quod sublimiorem Divinæ Charitatis metam simularet speciosius, quam solidius attingeret. Parum & illud, omni ope, atque authoritate eosdem communisse, ne prava sentientes, adversus instituta religiosa, obstrepere ullo modo auderent: verum si quid, inolito naturæ nostræ vitio, è religiosis legibus excidit, subeunte fraude, quæ salvis ipsarum legum verbis leges circumvenit, & tandem invertit, non obstante oculata Prælatorum Regularium disciplina, Summi Pontifices authoritate sua solertissime subnascentibus laxitatibus occurrunt, nutantesq;

tesque mores ad primævum robur revocant. Atque, ut in ingenti negotiorum mole, nihil in hac etiam Provincia omittatur, delectus ad id muneris, certus Purpuratorum, aliorumque Theologorum numerus, qui Regularium negotiis præpositi, auditis, e Christiani Orbis Regnis, cujusque Ordinis petitionibus ad disciplinæ subsidium, quid in dies corrigendum sit, quæ pœnitus extirpanda, quæ, moderatione aliqua, lenienda, quidve potissimum decernendum sit, dijudicent: sed neque Pontifices ipsi, rerum agendarum, vel decretarum ignari: nam pro rerum graviorum judicio, Cardinales Summum Pontificem adire tenentur, occurrentes Regularium causas exponunt, difficultates omnes rimantur, affinem definiendi morem in hisce casibus, præseferunt; sed quid tandem definiendum hic sit, ejusdem oraculo admonentur. Sacra hæc Cardinalium Congregatio inter cõplures alias, à Sixto V. undecimo Kalendas Februarii Ann. 1588. exordium auspicata est, & mirum dictu, qua maturitate, qua ope, quo concentu, disciplinam tueatur, atq; Ordines in suis legibus contineat. Editum & à Clemente VIII. Decretum de Reformatione Regularium profectò saluberrimum, & quamvis inculcare multa videatur in speciem leviora, si religiosi status substantiam, potioresque institutorum leges spectemus, tanti nihilominus ad sanam gubernationem existimanda sunt, ut iisdem rebus prætermissis, in deteriora semper, Monasteria vergerent, & Regulares. Sed ne multis in hoc argumento immorer, complectar omnia Pontificio Oraculo, iisdemq; verbis, quibus prędictus Summus Pontifex Constitutionis suæ de largitione munerum initium in hunc modum fecit: *Religiosæ Congregationes ab insigni Sanctitate viris Spiritus Sancti afflatu, institutæ, tantas Ecclesiæ Dei utilitates omni tempore attulerunt, ut ad eas conservandas, & instaurandas, Romani Pontifices prædecessores nostri, magnam jure optimo diligentiam semper adhibuerint. Nam cum ea sit rerum humanarum conditio, & natura, ut etiam, quæ optime fundata, & constituta sunt, partim hominum imbecillitate, & ad malum procli-*

vitate, partim Demonis astutia, paulatim deficiant, ac nisi cura pervigili sustententur, in deterius prolabantur, idcirco Summorum Pontificum vigilantia magnopere laboravit, ut Regularium Ordinum disciplina, aut labefactata in pristinum restitueretur, aut salutaribus Constitutionibus communita, integra, atque incolumis permaneret.



AD



AD LIBRUM PRIMUM
NOTÆ.



NUm. I. *Quemadmodum, & Religionem ipsam, &c. Religio*, ut inquit Cicero *lib.2.de Invent: Superioris naturæ, quam Divinam vocant, curam, cærimoniamque affert*, à relegendo, sive à religando dicitur: sive quia, Divina semper recolenda sint, & relegenda; sive quia vinculum, supra vinculum, addat. Lactant. *De vera Sapient.lib.4. D. August. lib. 10. de Civit. Dei. Hieron.in cap. 4. Amos.*

Uti Ægyptiorum, Persarum, Græcorum, Romanorumque superstitiones, ritusque recolenti, &c. Euseb. *lib.1.& 2.de Præparat.Evang.* de Persis affirmat, solis Sacerdotibus, de rebus difficillimis consuluisse, & tanquam oraculum, in maxima veneratione habuisse eorumdem judicium. Ælianus *lib.14.var. Histor. cap.34.* de Ægyptiis prodidit, solitos fuisse soli Regi, ac Sacerdoti usum purpuræ permittere, vetustissimo Gentis more. Josephus *lib. 14. Antiquit.* testatur, in Areopago Atheniensi, ubi gravissimæ quæstiones definiebantur, solis Sacerdotibus, judicandi potestatem factam, propterea quod honestissimis moribus clarescerent, qui in id muneris assumebantur. Extat, & Ciceronis Oratio ad Pontifices, in qua eorumdem dignitas, virtus, munera eximiè extolluntur.

Num.VII. Ut verissimam tamen statuunt Theologi fere omnes, &c. sententiam hanc de institutione religiosa divinitus per CHRISTUM DOMINUM tradita: Castro *contra Hæreses v. Votum*. Soto *lib.7. De Justit. q.5. art. 1.*

Va-

Valent. 2.2. *disp.1.q.4.* Navarrus *Commentar.* 4. *de Regular. num.3.* Vasquez 1.2.*disp.*165. *cap.*5. *citatque* Athanas. *ep.* 9. *ad Amon Monachum, Epiphanium, Bernardum, Hieronim.* Albertus Pius *lib.* 5. *de Monach.* Henriquez *lib.* 10. *de Sacram. Ordin.* Uvaldens. *tom.*1. *De Sacramental. tit.*9.*cap.* 83. Caramuel. *in Theolog. Regular. disp.* 9. Tapia *in Authent. Ingressi. v. Monasteria cap.*1.*n.*11.

Num.XIII. Veritati igitur propius, nunquam persecutionum tempore regularem vitam desiisse nec Monachos, &c. Suar. *tom.3.de Relig.lib.* 3.*cap.* 3.*n.*2. *Quod ergo,* inquit, *hic status ex tunc perpetuo in Ecclesia duraverit, communis est Patrum consensus, & traditio, &c.* Caramuel. *in Reg. S. Benedicti disp.* 26. numerat insignes Regulares in tribus primis Ecclesiæ Seculis, in iisque Telesphorum, nonum ab Apostolorum Principe Romanum Pontificem ex Anachoreta assumptum circa Ann. 139. Hieron. Garzias *in Polit. Regular. tract.*1.*dub.*3.Justin.Martyr. *in Apolog.* suo tempore Monachos fuisse memorat. Clemens quoq; Alexandr. *lib.* 3. *Strom.* multa explicat quæ Regularibus congruunt. *Ex cap.Scimus* 12.*q.*1. *ex cap. Presbiteros* 27. *cap. si quis Episcopus* 11.*q.*3.veritas eadem comprobatur de Regularis Status firmitate in primis Seculis, in quibus maxime dubitari posset. Tambur. *tom.*1.*disp.*2. *q.*3.

Num.XV. Has autem dixerim institutas in Templi Hierosolymitani verius, quod Virgines aluerit: quam è Vestalium ritu, &c. de Virginibus in Templo Hierosol. dicatis,nemo dubitat.Joseph.*lib.*3.*cap.*2.*Antiq.*refert contiguas Templo, & amplissimas cellas, in quibus custodiebantur hujusmodi puellæ. Ambros. *lib.* 3. *de Virgin. Etiam in Templo Hierosolymis,* inquit, *fuisse legimus Virgines deputatas, sed quid Apostolus dicit? Hæc in figura contingebant illis, ut essent indicia futurorum. Figura enim in paucis est, vita in pluribus.* De Vestalibus notissima antiquorum Romanorum religio. Florus de Numa: sic ait: *In primis locum Vestæ Virginibus colendum dedit, ut ad simulacrum cœlestium syderum,custos imperii flamma vigilaret.* Ab iis potissimum exigebatur pudicitia, & exemplum in Tacito de Occia, de qua scribit: Septem, & quinquaginta per annos summa Sancti-

ctimonia sacris Vestalibus præsedisse.

Num.XVI. Impium itaque criminosum, & à veritate omnino devium illud Magdeburgensium effatum, &c. Novatores ad evertenda religiosi status fundamenta, nullam distinctionem admittunt præceptorum, à Consiliis Evangelicis, ut proinde Calvinus impudentissimè *lib.* 4. *Instit ut.cap.*13.*Sect.*2.senserit, CHRISTUM DOMINUM nihil consuluisse, & ne levem quidem voculam emisisse, cui non sit ex necessitate obtemperandum. Sed Veritas Catholica oppositum omnino docet passim in Scripturis. Paul. 1. *Ad Corinth.* 7. *De Virginibus, præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino ut sim fidelis*. Nazianzen.*Orat.* 1. contra *Julian.* perspicuam hanc distinctionem profert, dum ait: *In legibus nostris alia parendi necessitatem imponunt, nec sine periculo prætermitti possunt: alia non necessitate constringunt, sed in arbitrio, & potestate posita sunt, ac proinde hanc rationem habent, ut qui ea custodierint, honore, & præmiis afficiantur; qui autem minus ea expleverint, nihil periculi pertimescant*. D. Hieronimus *lib.* 1. contra Jovinianum. Virgines à CHRISTO DOMINO plus amari affirmat: *Quia sponte tribuunt, quod non fuerat imperatum: majorisque gratię est*, subdit, *offerre, quod non debeas, quam reddere quod exigaris, &c.* En obscuratio doctrinæ de Justificatione, quam Etherodoxi nobis appingunt. Si vero putant ex summo amore, quo ab omnibus amandus est Deus, nempe ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, nullum posse sequi consilium, quod non etiam cadat sub præcepto, optime excipiunt nostri Theologi posse Deum ex toto corde magis, & minus diligi: qui enim propter Deum abstinet se à licitis, magis diligit, quam, qui solum abstinet se ab illicitis; & tamen uterque diligit toto corde, ut optime prosequitur Bellarminus *lib.*2. *de Monachis cap.*13.

Num.XXIII. Multo religiosiora censenda Regularium vota, utpote quæ circa virtutes versentur Divino Numini gratissimas, divino ore commendatas, spontaneam pauperiem, &c. Præter authoritates CHRISTI DOMINI de paupertate, aliisque Consiliis Evangelicis, his

his locis laudatas, pro paupertate conducit, quod Matth. 5. dicitur: *Beati Pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cęlorum*. Ex expositione Patrum Ambrosii, Hieronimi, Augustini, & Bernardi in hunc locum, intelligitur potissimum paupertas voluntaria, propter Deum suscepta: unde si divino testimonio habemus, paupertatē hujusmodi voluntariam commendatam, probatissimam censeri, eo ipso quod votum accedit: gratissimam eandem fieri perspicuum est ex eo potiori cultu, quo fidem Deo datam in rebus honestis, ac divinitus commendatis, sanctè servamus. Eadem quoque ratio est de aliis religiosis votis. De Obedientia habemus *Luc.* 10. *Qui vos audit, me audit*. Ad Hebręos 13. *Obedite Præpositis vestris, &c.* De Continentia vero, premunt Patres illud CHRISTI DOMINI: *Qui se castraverunt*; si CHRISTUS DOMINUS hæc verba enuntiasset, de iis, qui sine voto ullo cęlibes sunt, dixisset, qui se passim propter Regnum Cęlorum castrant, & caste vivunt; at cum dixerit, *castraverunt*, indicare voluit, exectionem illam in continentiæ voto editam. Clemens Alexandr. *lib.*3.*Strom. Est ergo*, inquit, *continentia corporis despicientia, convenienter pactis conventis cum Deo initis*. S. Fulgent. *cap.*3.*lib.de Fide ad Petrum*: *Quisquis seipsum castraverit propter Regnum Cęlorum, & in corde suo continentiam Deo voverit*.

Num.XXVII. An vero eadem vota indivisim; sed tamen privatim nuncupata Regularem omnino efficiant, &c. Suar. *tom.*3. *de Relig. lib.*11.*cap.*4.*n.*3. *Prius enim*, inquit, *incepisse privatim, seu singulatim se Deo dicare, quam in Cęnobio, seu vita communi, verosimile est. Et in primis de Apostolis fieri potuit, ut sequendo CHRISTUM, sub trium votorum obligatione ab eo accepta, & recepta, religiosi fierent: nam quod multi hoc idem fecerint, & inde Collegium Apostolicum resultaverit, respectu singulorum, quasi accidentarium esse potuit: nam primus, qui hoc fecit, statim vere religiosus fuit, & idem fuisset etiamsi statum illum non assumerent. Certius id ostenditur in antiquis Monachis solitariam vitam agentibus juxta nomen suum. Nam Monachus idem quod solus significat*.

Num.XXXI. Perspicua igitur circa solemnem hujusmodi

modi votorum, religiosique Ordinis Professione, lege fit ut Ecclesiastica tantum authoritate inductam, & consuetudine firmatam probemus, neq; quidquam aliud, &c.

Circa hanc solemnem votorum nuncupationem, & qua strictim ratione solemnis censenda sit, duas reperio celebriores sententias, alteram, quæ docet in voventis traditione, cum consecratione quadam, sive spirituali mancipationis nota positam esse, quam propugnat D. Thomas in 4. *dist.* 38. *q.* 1. *art.* 2. cum aliis fere antiquioribus suis asseclis. Altera vero sententia tuetur totam solemnitatem Ecclesiastico tantum Jure prodiisse ex laudato *Cap.* Ita Scotus, Henricus, Pontificii Juris Interpretes fere omnes, & plerique alii Theologi, post editum sextum decretalium Librum. Paludanus præsertim, & Cajetanus, acerrimi alioqui Thomistæ. Explicat Vasquez in 1. 2. *disput.* 165. *cap.* 8. hanc solemnitatem eodem modo, quo explicari solent cæteri contractus, cum solemnes dicuntur: *Nam sicut*, inquit, *testamentum in jure, solemne dicitur, quod sub certo numero testium, & sub aliis conditionibus à jure præscriptis conditum est, & contractus similiter solemnis, qui sub certa verborum forma, & sub certo numero testium celebratur: Contra vero testamentum, aut contractus dicitur nullus defectu solemnitatis, in quo defuit numerus ille testium, vel forma à jure præscripta: ita etiam votum dici debet solemne, quod sub certa regula approbata, juxta ritum, & ceremonias in eadem regula contentas, publicè nuncupatur, cum traditione perpetua ex utraq; parte, hoc est voventis, & acceptantis.*

Eodem Num. XXXI. Valde incongruum, absurdumque esset suspicari, nequire Romanum Pontificem supremum universæ Ecclesiæ Administratorem Ecclesiasticam Legem, &c. Notissimæ sunt historiæ eorum, quos Romani Pontifices solemni Professione religiosa liberarunt, cum publicum bonum, & gravissima aliqua causa id postularet. Alexander III. ad preces Vitalis Venetorum Ducis, Nicolaum Monachum è Justiniança familia superstitem Religiosis votorum vinculis exoluit, ut eidem liceret matrimonium contrahere, quod & factum prospera satis prole. Casimirus I. è Cluniacensi Monasterio

professus authoritate Benedicti IX. in Poloniæ Regem evasit. Ita etiam Constantia Rogerii Siciliæ Regis filia post complurium annorum professionem à Cælestino III. ad nuptias cum Henrico VI. Augusto rite celebrandas educta. Et quæ de solemni professione dicuntur, multo magis comprobantur de singulis votis, ut Pontifex relaxare possit votum Paupertatis, vel Continentiæ, vel Obedientiæ ea tamen lege, ne relaxato uno, aut altero voto Regularis perseveret: eo enim ipso, quo votum integrum relaxatur, Regularis esse quilibet desinit.

Num. XLIV. Potissima tamen causa ortum habuit à Uvaldensibus, &c. Bellarminus *lib. 2. de Monachis cap. 4.* hæc habet: *Ad Annum Domini MCLXX. pauperes de Lugduno Ordinem quendam religiosum instituerunt, sed multis admissis superstitionibus, & heresibus. Quocirca à Lucio III., Alexandri III. Successore hæreseos damnati fuerunt, & secta eorum reprobata, ut scribit Abbas Urspergensis in Chronico Anni MCCXII. Illi vero postmodum, tempore Innocentii III. Sedem Apostolicam adeuntes diu institerunt, ut idem auctor ait, ut reconciliarentur, & religio ipsorum confirmaretur, nec tamen impetrarunt.* Errores omnes enumerat prædictus Abbas Urspergensis, & inter cæteros, quod Ecclesiæ Dei, & Sacerdotio detraherent.

Num. XLV. Insequutus inter alios est Flagellantium cætus, &c. exortum hunc cętum affirmant Ecclesiasticarum rerum Scriptores Anno Domini 1260. Monacus Padov. *lib. 3. Chron.* Raynald. *in continuat. Baron.* Prateol. *in Helencho Haret.* Henricus Sterus apud Canis. *antiqu. lect. lib. 1.* Longin. *Histor. Polon. lib. 7.*, & in speciem Evangelicæ perfectionis, quia tamen verendum fuit, ne quemadmodum Uvaldenses temere affectarant instituendum eo colore Ordinem Regularem, hæc etiam secta in eandem temeritatem suis erroribus insilíret, sapientissime Gregorius X. paulo post, anno, videlicet, 1274. in Concilio Lugdunensi, laudatam sanctionem edidit.

Num. XLVI. Iteratam hanc sanctionem, de vetita recentiorum Ordinum institutione non præeunte Summi Pontificis consensu, &c. Quo pacto componatur reli-
giosæ

giosæ vitæ institutio à CHRITO DOMINO, cum Pontificia approbatione optimè declarat Azor. *lib. XI. moral. Institut. cap. 24. dub. 5.* in hæc verba: *Sicut enim matrimonium Ecclesia minimè instituit, & tamen sancire potest, ne viri, & fœminæ societas contracta matrimonium sit, nisi certa quadam juris forma servata. Item jure gentium, introducta sunt testamenta, legata, fideicommissa, contractus, pacta, & promissiones, & tamen civili jure definiri potest, ne rata, & firma habeantur, nisi certa juris forma præscripta fiant. Sic etiam religiosæ vitæ rationem, & formam CHRISTUS, vel Apostoli, vel alii Viri Sancti, aut verbo, aut vitæ exemplo docuere: sed Ecclesiæ auctoritate decerni potest, ut religio non habeatur, nisi Romani Pontificis authoritate, & testimonio confirmetur. In his enim prædictis jus scriptum, scilicet, Civile, aut Canonicum potest aliquid amplius postulare, quam quod ipsa simplex rei natura deposcit.*

Num.XLVIII. Ita Fraticellorum secta venenum hoc melle illitum aliquandiu sectatoribus propinavit, &c. In Annal. Eccles. anno Domini 1294. Prateol. in Helencho Hæret. Uvading. in Annal. Minorum *lib. 6.* S. Antonin. *3. p. tit. 24. cap. 9.*

Num.LI. Proximus sane finis, quem Episcopi præfiniunt, non est perfectionis, ut Theologi dicunt, acquirendæ, sed exercendæ, &c. S.Thom. 2.2. *q.* 181. *art. 4. ad 1. Ad perfectionem*, inquit, *religionis pertinet studium, quod quis adhibet ad propriam salutem. Ad perfectionem autem Episcopalis status pertinet adhibere studium ad proximorum salutem: & ideo quandiu potest esse aliquis utilis proximorum saluti, retrocederet, si ad statum religionis vellet transire, & solum suæ saluti insistere, &c.*

Num.LXII. Nodus certe apud Doctores difficilior petit Ordinum, aut Moderatorum certum numerum, à vovente explorandum, &c. Notanda sunt verba Suarii in hac materia *tom. 3. de Relig. lib. 4. cap. 2. num. 11. Censeo*, inquit, *regulariter, sufficere adire tria, vel quatuor loca præcipua, & aliquando talis esse posset causa denegationis, talisque informatio ex parte religiosorum, ut sufficiat duo, vel aliquando etiam unum tantum monasterium adire, si ex illo possit satis probabiliter fieri universalis inductio. Sicut etiam è contrario, causæ non admit-*

mittendi voventem in pluribus monasteriis, possunt esse adeo particulares, & dissimiles, & similiter mores, & consuetudines diversorum monasteriorum adeo variæ, ut ex quatuor, vel quinque; sæpe non fiat sufficiens inductio, & ideo semper durabit obligatio, amplius procurandi in aliis locis, donec arbitrio viri prudentis, quod in his rebus semper necessarium est, per probabilem inductionem censeatur probabiliter facta universalis petitio, ac denegatio.

Num.LXIV. Verum voto peculiaris Ordinis excipiendi, non fit satis per laxiorem alium, multoque magis si vovens designarit austeriorem, &c. definitur hæc communis Theologorum sententia in *Cap. Qui post votum. De Regular.in* 6. ibidemque, quæ sequuntur, habemus: *Qui post votum à se de certa Religione intranda emissum, Religionem aliam etiam laxiorem ingreditur, & profitetur in ipsa, potest voto non obstante priori, cui tanquam simplici per secundum, solemne noscitur derogatum, manere licite in eadem: pro voto tamen non completo erit eidem pœnitentia imponenda.*

Quid tamen dicendum sit, si Regularis Professus in Ordine laxiori voveret arctiorem; an deberet superior petenti morem gerere? & ex justa, & legitima ejusdem petentis ratione, posset votum illud relaxare; sed si nollet subditus idipsum; teneretur indulgere ad arctiorem Ordinem, transitum, & quod possit Superior votum relaxare, affirmant plures Theologi Sotus *lib. 7. de Just. q. 4. art. 3.* Sylvest. Paludanus, D. Antoninus. Quod vero debeat indulgere, patet in sequenti Libro cum de uno in alium Ordinem transitu.

AD LIBRUM SECUNDUM
NOTÆ.

NUm.I. Mira quidem dictu sunt, quæ de ingenti hac Monachorum multitudine, &c. laudatus ibidem Nicephor. *lib. 9. Histor. Eccles. cap.* 14. eam Monachorum, quos diximus, multitudinem sub Pacho-

chomio in Thebaidis Insula, Tabenna dicta, ad septem millia alumnorum fuisse, in compluribus domiciliis paululum ab invicem discretis, ipsumque Pachomium, ubi degebat, plures quam mille per seipsum gubernasse. Theodoretus in Historia SS. Patrum innumera monasteria extitisse affirmat in toto Oriente, videlicet in Palæstina, in Ægypto, in Asia, in Ponto, in Cilicia, in Syria, &c. Palladius, in *Histor. SS. Patrum* pluribus in locis, mira etiam narrat. *Cap.*7.scribit, quendam montem quinque millibus Monachorum circumseptum, & *Cap.*9. in monte Nitria, subdit, fuit Abbas nomine Or, habens monasterium mille Fratrum: ad quem Abbatem postea convenerunt tria millia Monachorum.

Num.II. Sed quantum Monachi, & Regulares quicumque primis Seculis desudarint, in Ethnicorum conversione, &c. Multa memorant Basilius, & Nazianzen. *Orat.* 1. *&* 2. *in Julian. de persecutione Juliani Augusti in Clericos, & Monachos*. Evagrius in *Vitis Patr. in Apollonio lib.* 7. *Hic cum audisset, Juliani, ut supra diximus, temporibus, Fratrem quendam ad militiam comprehensum detineri in carcere, cogebat impius Clericos, & Monachos militare, in carcerem venit, ad eum consolandi gratia, &c.*

Eodem furore percitus Valens Imperator Clericos, & Monachos ad militandum cogebat Catholicæ Fidei odio, quam strenue à Monachis assertam videbat. S. Hieron. *in Chronico*: *Multi*, inquit, *Monachorum Nitriæ, per Tribunos, & Milites cæsi: Valens enim lege data, ut Monachi militarent, nolentes fustibus interfici jussit*. Complura in idem argumentum dat Baronius. Anno 375.

Huc recidit, quod eodem tempore, eademque de causa Lucius Episcopus Arrianus, cohortes veteranorum militum, & impiorum hominum delegerit, ut quotquot Monachos per Ægypti solitudinem reperissent, contrucidarent. Ruffin. *lib.* 11. *Histor.cap.*3. *Inde*, inquit, *ad Monasteria furoris sui arma convertit, vastat eremum, & bella quiescentibus indicit. Ter mille simul, aut eo amplius viros, per totam solitudinem secreta, & solitaria habitatione dispersos oppugnare pariter aggreditur, &c.*

Num.

Num.XIV. D.Basilius monasticam ex Ægypto disciplinam, vel verius è Palestina haustam, &c. Vulgatissima sunt quæ de D. Basilio attigimus. Vide Poleonidorum Batavum *lib.2.cap.5. de Antiquit. Carmeli.* S.Atonin. *p.2. tit.* 15. Valaterranum *lib.14.c.*1.Chassan.*in Catal.Gloriæ Mundi p.4.consid.*54. à Basilio, sui Ordinis institutionem factam revocant ad ann. 369. Pontifice Felice II. Barbosa *lib.1.de Jure Eccles.cap.41.n.21.* miram amplificationem Ordo habuit in Italia è S. Nilo, qui multa monasteria in Calabria extruxit, celeberrimum tamen in Rossanensi agro, apud Brutios: & in agro item Tusculano, vulgò Grutta Ferrata: supersunt fere omnia, & pristinæ gloriæ reliquiç verius, quam munimenta.

Num.XVI. De D. Augustino tradunt, Ordinem Eremitarum institutum ab eodem S. Doctore multis annis ante, quam institueret alterum Canonicorum Regularium. Tapia *v. Monasteria cap.* 18. *In Eremo prope Mediolanum*, inquit, *postquam ad Fidem conversus est, nigro indutus amictu, ac pellis cingulo astrictus, ad Monachorum illius temporis differentiam, ut testatur Ambrosius in Sermone, quem de Augustini Baptismate confecit, ibi cum aliquibus sociis per annum habitavit, quibus certum vivendi modum relinquens in patriam navigavit, ubi Clericos, qui Canonici sunt dicti, reformavit, eisque regulam tradidit.* Ex D. Antonin. *3.p.tit.* 24. *cap.* 21. Instituti, sive potius reformati Canonici Regulares, in Civitate Hipponensi anno 397. de quibus fusissime Gabriel Pennotus in *Histor. tripartita de origine Canonicorum Regular.*, & Riccardus Anglicus Theologus Parisiensis in Chronico ejusdem Ordinis.

Num.XVII. Præcipua tamen parcioris hujus Regularium usus in Italia fuit, vastitas, &c. de acerbioribus Italiæ calamitatibus per ea tempora, nullus fere Scriptorum est, tum è Græcis, tum è Latinis Historicis, qui data opportunitate non agat, Procopius *de Bello Gothico*, Sigonius *de Regno Italiæ*, Baronius *in Annal.tom.5. 6.& 7.*

Italia paululum respirarat, cum Equitius, &c. Plura de S.Equitio, deque sua monastica disciplina scripsit Divus Gregor. *lib.1. Dialog.cap. 4.& lib.2.cap.3. Equitius*, inquit,

quit, *pro suæ Sanctitatis magnitudine in ea Provincia* (*Valeria*) *multorum monasteriorum pater extitit.* Sanctissimi hujus Institutoris memoria habetur in Martirologio Romano, tertio Idus Augusti.

Num.XVIII. Ordo tamen, qui in Occidente cæteris aliis eadem tempestate præstantius inclaruit, & maximo Ecclesiæ Dei æmolumento è D.Benedicto prodiit,&c.de D. Benedicto ejusdemque Ordine. Yepes in multis tomis, Leo Hostiensis in *Chron. Cassin. lib.1.cap.* 1. Tapia *v. Monasteria cap. 39. Fuit enim*, inquit, Benedictus patria Nursinus, nobili ex Reguardatorum familia ortus, heremum Sublaci adolescens incoluit, ubi pluribus, qui ad eum visendi gratia, Sanctitatis fama, commotis, accesserant sociis sibi ascitis, primus Monachos in Occidente instituit, ac regulam eis servandam conscripsit anno 514. sub Hormisda Pontif. Max.

In psallendo modos musicos,&c.Ecclesiasticũ psallendi ritum à D. Gregorio in ordinatiorem formam revocatum appellant Gregorianum. Is idem in suaviorem concentum à Guidone Aretino ex Ordine S. Benedicti nobilitatus.

Num.XIX. Advocatis non semel in injustæ causæ subsidium, Principum studiis unaque armis, ut in Cassinensi Monasterio pluries accidisse, Leo Ostiensis *lib.* 4. testatur, &c. laudatus hic *lib.* 4. *Chron. Cassin.* non est proprie Ostiensis, sed Petri Diaconi, qui hoc libro quarto gestarum rerum seriem, post Ostiensem supplevit; & de argumento proposito agit *Cap.XI. Cap.XCII. Cap.CXXIII. Cap. CXXVIII.*

Num.XX. Priora reformationis studia è Romualdo Benedictini Ordinis, &c. Inter Apennini juga non longe à Florentia, Mons, & Vallis eodem Camaldulæ nomine dici consuevit. Camaldulensium primordia anno 987. Joanne XIII. Pontifice; paulò serius ab Alexandro II. probatum tradunt Ordinem; Augustinus Florentinus ejusdem Ordinis Chronista, Paulus Morigia *de orig. Relig. lib.*1. *cap.* 25. & alii.

Vallis Umbrosæ Ordo institutus anno 1080. Gregorio VII.

VII. Summo Pontifice, approbatur ab Urbano II. anno 1090. S. Antoninus *p.2.tit.15.cap.25.* Hieron. Roman. *de Rep. Christ. lib.6. cap.12.*

Carthusienses à Valle Carthusia in Diœcesi Grationo-politana, in qua Ordinis fundamenta substravit Bruno Institutor, asperrimamque vitæ formam invexit circa annum 1084. in Pontificatu Gregorii VII. Vide Henricum Arnoldum, & Petrum Orlandum Ordinis Chronistas.

Paulo post Cisterceienses prodiere, nempe anno 1099. Pontifice Urbano II. sive potius Paschali II. paulo ante è vivis erepto Urbano. E' Cistercienſibus sub Sixto V. alia religiosa familia prodiit Foliensis dicta, vivendi legibus austerior, quippe quæ reformationem antiquorum Cisterciensium molita est, atque eorumdem privilegiis fulcitur.

Num.XXII. Canonicorum Regularium disciplina candem felicitatem nacta, suos quoque habuit Instauratores, inter quos mire eluxit Northbertus, &c. à quo primum Pontifice approbatus sit Præmonstratensium Ordo, non satis inter Scriptores constat: *Secundum alios Paschalis II.* inquit Azor. *lib.12.cap.21. Secundum alios Innocentii II. auctoritate approbatus.* In actis eximii hujus viri, die VI. Junii legimus. *Idem Ordo ab Honorio II., aliisque Summis Pontificibus confirmatus, &c.* Fusè Aubertus Miræus in Ordinis Chron.

Num.XXIII. De Divi Augustini Ordine, Eremitarum dicto. Post Innocentium vero III. clariora Ordinis fundamenta, legesque, &c. D. Antonin. *3. par. Historiali, tit.24. cap.* 14. hæc habet inter multa alia de eodem Ordine: *Innocentius IV. anno Domini* 1240. *considerans Ordines Prædicatorum, & Minorum, fructus salubres in Ecclesia Dei proferre, Eremitas vero S. Augustini sibi solis per bonam vitam prodesse, cœpit velle agere, quatenus & ipsi sicut Prædicatores, & Minores fructum salutarem in Ecclesia Dei producere possent, &c.* Alexander IV. vero perfecit, quod Innocentius inchoarat, nam anno 1256. pergit D. Antoninus: *Convocatis multorum Cœnobitarum Eremitis, communi omnium consensu*

sensu creatus est primus totius Ordinis Eremitici Prior Generalis Lanfrancus Septulanus Mediolanensis: atque ita unus è multis, Eremitarum S. Augustini nomine conflatus est Ordo.

Num.XXIV. Eodem etiam referenda est Carmelitarum familia, quam Alexandri III. Pontificis authoritate firmatam, Libro Primo, &c. Barbosa ex S. Antonino, & aliis Scriptoribus *lib. 1. De Jure Ecclesiast. cap. 41. num. 24. Confirmata est*, inquit, *Regula Carmelitana una cum Religione ab Alexandro III. anno* 1180. Quam opinionem nec probare ausim, nec refellere, &c. ideft tanquam inconcussam, & omninò certam. Cæterum suscipienda est eodem modo, & iisdem argumentis, quibus eandem tradunt in suis Bullis Sixtus IV. & V. Pius V. & Gregorius XIII. de Carmelitarum Ordine, cujus alumnos, firmant: *Tanquam Religionis speculum, & exemplar charitate fulgentes, Sanctorumque Prophetarum Heliæ, & Elisei, & aliorum Patrum, qui Montem Sanctum Carmeli juxta Heliæ fontem habitarunt, successionem hæreditariam tenentes, &c.* Vide Chassan. *in Catal. Gloriæ Mundi par.4.consider.7.* Petrum Crucium *De Ortu Relig.Carmelit.* Baronium, qui in annum 1181. rejicit ejusdem Ordinis originem his verbis: *Constantior illa videtur assertio, quod Ordo Religiosorum Carmelitanorum, qui in Palestina in ipso Carmelo Monte fixere sedes, sub eodem Alexandro Romano Pontifice sumpsit originem: quoto autem anno ejus Pontificatus, habetur incertum. Horum autem promotor, propagator, & custos fuit ille, qui fungebatur in Oriente Legatione Apostolicæ Sedis Haimericus Patriarcha Antiochenus, &c.*

Num.XXXIV. De Ordine Sanctissimæ Trinitatis, S. Antonin. agit *3.p.tit. 16.c.1.* Paul. Morigia *lib. 1.c. 63.* Azor. *Instit.moral. lib.11.c.11.* additque inter cætera alia, cęlesti oraculo institutum Ordinem ad Ann. Sal. 1198.& cum nomine Sanctissimæ Trinitatis inscripta habere hæc verba: *Hic est Ordo approbatus non ab hominibus fabricatus, sed à solo Summo Deo.* Ordo alter S. Mariæ de Mercede dictus apud Arragones, in sua institutione, militaris, postmodum cęnobiticus, & claustralis nō tantum à Clemente V. sed etiam à Joanne XXII. fuit approbatus, & confirmatus anno 1317. juxta Clementis Decretum, eo successu,

Sf

cessu, ut è Militari Ordine nemo amplius reliquus fi
De quo Ordine multa colligit Mariana *De Rebus Hispan lib.*12. *cap.*8.

Num.XXXV. De Servitarum Ordine Paul. Morig *in Orig. Religion.lib.* 1.*cap.* 35. Augustinus Florentinus, Jacobus Laudofilæus *in Chron. Servorum.* Institutionem referunt ad annum 1233. quo tempore institutus adhuc Ordo Silvestrinorum, sed nonnisi anno 1258. confirmat à Romano Pontifice. Azor *lib.* 12. *Instit. cap.* 21. Cælestinus item Ordo primum probatus à Gregorio X. anno 1274. deinde ab eodem Cælestino Institutore cum in Summum Pontificem evasisset, nomenque suis, quod Pontificatu assumpsit, hæreditarium fecit, anno 129

Num.XLVI. Templarii idcirco instituti a Theutonic & qui proprie dicti Hospitalarii, &c. Templariorum institutio contigit anno 1218. in urbe Hierosolymitana in Pontificatu Calixti II. data iisdem regula à D. Bernardo; & inter ejusdem Mellifui Doctoris monumenta recensetur. Eandem videmus notis illustratam à Caramueli *in Theolog. Regulari*. Ordo probatus adhuc in Concil Trecensi paucis post annis ab ejusdem institutione, nempe anno 1128. Paulo ante quam institutus fuerat Templariorum Ordo prodierat alter Hospitalariorum, sive Sancti Joannis, sed uterque ab eo Pontifice fertur confirmatus, sub annum 1120. Institutionem habuit à Gerardo i figni pietate viro, quem alii Gallum, alii Italum, & Amalfitanum ferunt. Post Gerardum Raymundus ab Ippodio, Ordinem virtute bellica, & nobilioribus alumnis illustriorem prodidit. Bosius *in Histor. Ordinis lib.* 1. per totum. Quamvis eodem tempore Theutonici quoque præclaras pro CHRISTI nomine res gesserint, duce viro nobilissimo Theutonico, cujus nomen ignoratur attamen in Ordinem Regularem coivere, circa annum 1198. Cælestino III. Pontifice, de quo hæc Baronius: *Fuere*, inquit, *ejusdem Cælestini digna alia factorum monimenta, quæ certis ejus Pontificatus annis non sunt affixa, & inter alia confirmatio religiosæ militiæ Ordinis Theutonicorum: rogati enim ab Henrico Imperatore, donavit eosdem idem Pontifex veste*

veste alba, & Cruce nigra, subjecit vero regulæ S. Augustini.

Num.XLIX. In Lusitania Templariorum extinctione, CHRISTI DOMINI Ordo excitatus, &c. Ordinis institutio explorata, & per Dionisium Lusitaniæ Regem cum conjuge S. Elisabetha: incertum, quo pressius anno fuerit institutus: nam aliis arridet opinio ejusdem originis anno 1316. aliis vero 1320. approbante Joanne XXII. Platina in ejusdem vita. Antiquitus cautum erat, ut priusquam Ordinem complecterentur, suę Christianæ pariter, & bellicę virtutis specimen darent per triennium in Africanis Regionibus, cum Mauris sæpe confligendo. Cęnobiticè ut plurimum vivebant, & arcta quadam clausura. Sansovin. *de orig. equit. lib. 2. tit. Ordo CHRISTI.*

Antiquissimus in eodem Regno Avisii Ordo, quem Alphonsus Henriquez primus Lusitaniæ Rex anno 1146. instituit, probavitque Eugenius III. Pontifex; Tesseram equitibus dat Crux liliata. Dicti sunt Avisii equites ab oppido, quo sunt translati, ab urbe Eboracensi, in qua primum fuerant instituti. Menenius *in delit. equestri tit. de militia Avisiensi.*

S. Lazari Ordo olim celeberrimus, & potissimum in Gallia ab Honorio III. & Gregorio IX. potius confirmatus, auctusque privilegiis, quam primum probatus: repetebat enim originem suam, vel ab anno 361. Petrus Bellojus Tholos. *in libello de Ordin. Equest.*

Num.LI. Ut propterea mirandum non sit, si hanc percurrendi singulos Ordines Provinciam, &c. Grandimontenses, instituti in Diœcesi Lemovicensi intra Galliam, à S. Stefano Albanensi, anno 1080. Romano Pontifice Gregorio VII. à quo Regulę confirmationem accepere. Pręcipuum Ordinis domicilium institutor condidit in prægrandi apud Lemovicenses Monte, unde Grandimontenses. In austeritate pene singulari vivunt, & è finibus Gallię non egrediuntur. Claud. Robertus *in Gallia Christiana tit. de Abbatiis.*

Apostolini vulgo dicti, rari per Italiam, adhuc ubi solum domicilia habent, Eremitarum more olim victitabant, sed Innocentius VIII. anno 1464. in religiosum

Ordinem, & cęnobiticum adſcivit. Paul. Morigia *De Orig. Relig.lib.1.cap.51.*

Ordo S. Pauli Heremitæ in Ungaria, quem inchoatum ab Euſebio Strigonienſi legimus, circa annum 1215. confirmatus poſtmodum fuit à Joanne XXII. ſub Auguſtini Regula. Luſitania fovet hunc Ordinem in patrio Ungariæ ſolo jam pene extinctum ob bellorum vaſtationem.

S. Brigittæ Ordo à S. Brigitta inſtitutus ſub Regula S. Auguſtini 1368. Urbano Pontifice. Paulus Morigia *lib.1.cap.55.*

Patres Lucenſes ortum habent à Vener. P. Joanne Leonardio Diœceſis Lucenſis, qui adjunctis ſibi ſociis Congregationem hanc Clericorum Matris Dei Lucæ fundavit.

Hanc Clementi VIII. approbandam commendavit eximiis conſtitutionum laudibus Cardinalis Baronius, & obtinuit anno 1604 ſed Gregorius XV. anno 1621. in religioſum Ordinem cooptavit. P. Cæſar Franciottus *lib. de Vitis Sanctorum*, quorum corpora Lucæ condita ſunt.

Gulielmitanus Ordo ſive Montis Virginis, à S. Gulielmo Vercellenſi ſub Regula S. Benedicti inſtitutus ſub annum 1121. confirmatur à Calixto II. Thomas Coſtus in ejuſdem S. Fundatoris Vita, &c.

Humiliatorum Ordo per aliquot Nobiles Mediolanenſes excitatus, cum Apoſtolicæ Sedis jura contra Fridericum Ænobarbum, bonorum jactura, ejectione, & invicta patientia jidem tutati eſſent: confirmationem accepit à Cęleſtino III. anno 1196. Inter Inſtitutores Ordinis, Sanctitate præcelluit B. Joannes Sacerdos Comenſis. S. Antonin. *2.p.tit.15.cap.22.*

AD

AD LIBRUM TERTIUM
NOTÆ.

NUm.VIII. Et ſanè hanc parvulorum oblationem ab ipſis parentibus fieri jure potuiſſe, &c. Quanta vis olim fuerit hujuſmodi oblationis parvulorum factæ à parentibus. Conſule Fagnan., & Gonzal. *in Cap. Cum virum de Regular.* Theologi etiam explicando allegata jura affirmant intelligenda eſſe, de filiis oblatis in infantia, qui poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, oblationi de ſe factæ à parentibus, expreſſe, vel tacitè conſenſerint. Suar. *tom. 3. de Relig. lib.6. cap.3.n.1?. Et licet, in hoc negotio*, ut ſubdit, *multum deferatur reverentiæ debitæ [illegible] us, nunquam excluditur id, quod ex parte filii neceſſ[illegible] ſt, ut non poſſit licitè retrocedere, ſcilicet proprius conſenſus in ætate ſufficienter adulta*. Ex qua parentum oblatione, & nulla inſequenti oblatorum in pubere ætate reclamatione, rata cenſebatur paterna oblatio; adeoque monaſtica profeſſio: verum, quia de hac eadem ratihabitione, controverſiæ ſępe excitabantur, & de conſenſu profeſſorum, firma ratihabitio non ſatis certo conſtare poterat, jura alia, quæ dubitationes præcipuas ſaltem tollerent, à nono Seculo prodiere.

Num.XVIII. Priora quidem Ordinis jugulum petunt, &c. nequeunt reticeri hujuſmodi impedimenta, & non modo qui admittendi eſſent, ſed qui interrogarentur, tenentur ſub gravi, vera enuntiare, cum de Ordinum damno non contemnendo agatur. Bonacin. *De Judic. public. diſp.* 10.*q.3.p.3.* Sanch. *lib.6. Conſil. cap. 6.dub.* 41. adeoque ad damni reſarcitionem adhuc tenerentur, qui Ordines hoc modo læſiſſent, ex iiſdem aliiſque Theologis. Videndus D. Thom. *in 2.2. q.69. art.1.*

Num.XX. Attamen interpolatio, de qua ſermo, ſi ad annum conferatur minima cenſetur, &c. Enriquez *lib.13. De Excomunic. cap.*40. Rodriguez *tom. 3. qq. Regular.*

gular. q.15.art.4. Stephan. Gratian. *discept. forens. c. 413.n.* 16. Hic tamen strictim interpolationem eam intelligimus adhuc, quæ contingeret, si extra septa monasterii jussu tamen Superiorum aliquandiu degeret novitius occasione peregrinationis, valetudinis, &c. Azor *Instit.moral.lib.11.cap.3.n.7. Nutu enim*, inquit, *& jussu Abbatis potest, novitius peregrinationem suscipere, in hospitali domo ad aliquot menses, ægrotantibus, & indigentibus inservire. Novitius item si morbo laboret, potest annum probationis extra monasterium consensu Superiorum complere. Accedit his, quod Abbas ait in cap. Ex rescripto, de jurejur. Religiosus, jussu Superiorum, extra monasterii claustra degens, in monasterio commorari, & residere censetur.*

Num.XXI. Nuncupanda post Probationem religiosa Professio, Conc. Trident. loco laudato *Sess.25.cap.15. de Regular.* ad validar [illegible] fessionem, in omni Religione, & annum integrum [illegible] obationis, & decimum sextum ætatis annum completum exigit. Hoc novo jure, sublatæ sunt tacitæ professiones, quæ rite olim nuncupabantur, de quibus *in cap. Vidua. De Regular.* & *in cap. Constitutionem de Regular. in 6.* & *cap. ex parte eod. tit.*

Integer verò probationis annus præfinitus per Concilium arctat tantum Ordines, ne infra hoc idem tempus professio nuncupanda novitio permittatur; non vero quod eadem probatio, juxta proprias Ordinis constitutionis, extendi ulterius nequeat.

Num.XXIX. Prælati verò facultas efficit, ut quantum de se est vinculum tollat, &c. de Prælati facultate, sive licentia quærunt Doctores, an sufficiat licentia tacita, qua prudenter præsumat subditus Superiorem velle, & communiter censent sufficere. Sanchez *lib.7. Summæ cap.19.n.2. Quia*, ut inquit, *taciti, & expressi eadem est virtus, l.cum quid. ff.de rebus creditis, & cap.2. de Rescriptis. Tandem quia cum rationabiliter præsumitur id velle Superiorem, quamvis expressus ejus consensus non habeatur, non dicitur res fieri absque ejus licentia. Et ideo hanc partem sustinent D.Thom. 2.2. q.32.art.8. ad 1. D. Bonav. in Speculo disciplinæ ad novitios par.1.cap.4. &c. Navarr. in Summa cap.*

17.

17. *n.* 105. *&c. Emmanuel Sa v. Eleemosyna n.*12. *&c.* bene tamen limitat idipsum in Ordinibus arctioribus, in quibus præceptum est Superiorum in virtute obedientię, ne liceat recipere, aut expendere aliquid absque expressa licentia. Hinc consuetudo recepta, vigensque dandi in religione, & recipiendi aliqua modici valoris existimatur perinde, ac explicita Superiorum voluntas: *Et sic*, subdit *n.* 7. Sanchez, *nihil accipitur renitente Superiori, vel contra votum.*

Num.XXXII. Qui dominium quodcumque in Professione à se abdicant, sed nunquam ita, ut bona quęcumque, & ea omnia, quæ post professionem obvenerint ad monasteria non transmittant, &c. Quæri hic solet an valeat legatum, ea lege, ut ad Regularem, non autem ad Monasterium pertineat, & si Superior se intromiserit, legatum sit nullum, & transeat ad extraneum substitutum. Omissis multorum Theologorum placitis, faciendam puto benignam legati interpretationem, ut si Superior consenserit, dominium rei pertineat ad Monasterium, commodum vero, & usus ad Legatarium Regularem. Quod si id noluisset Testator, sed quod dominium omnino acquireret Regularis, valere nihilominus legatum affirmat Sanchez *lib.* 7. *cap.* 17. rejecta ea conditione tanquam turpi, firmatque ratione, & authoritatibus sententiam.

Quod Religioni Minorum legari possit, expresè definitur in *Cap. Exiit §. ad hęc quia Fratribus. De Verb. signific. in* 6. dummodo fiat juxta eorumdem constitutiones, & modum licitum, cum scilicet legaretur res immobilis, explicando ut ea vendatur, ac pretium in Fratrum subventionem cedat. Leo X. iisdem concessit, posse recipere victualia ultra eorum necessitatem, duplici apposita conditione, ut ea abundantia in certis rebus, viz. tritico, &c. convertatur permutatione, similive alio contractu in alia adhuc necessaria, quorum esset inopia in Monasterio, & ut hujusmodi permutatio, aut venditio fiat per Syndicum. Rodriguez *qq. Regular. tom.* 1. *q.* 26. *art.* 4.

Pos-

Possunt item Fratres Minores recipere ab Universitatibus, & Principibus eleemosynas annuas citra Constitutionum suarum præjudicium; nam ea elargitio omnino liberalis est, ex parte dantium, & ad nutum revocabilis: quamvis Ministri, quibus ea cura demandatur, teneantur omnino dare. Ita D. Antonin. *3.p.tit.16. &c.*

XXXIX. Contra vero tanta est ejusdem professionis vis, ut, nedum sponsalia, sed matrimonium ratum ante religiosi habitus susceptionem dissolvere valeat, &c. An definiendum hoc idem de Societatis alumnis? & quidquid alii senserint, nunquam ego recederem à sententia Vasquez in 1.2. *q.96.cap.*10. qui aperte fatetur ex sua, & ex antiquorum Patrum Societatis sententia esse, ut per illa tria vota simplicia non dirimatur matrimonium ratum non consummatum etiam si essent Coadjutorum formatorum. *Qua de causa*, subdit statim, *tempore B. Patris nostri Ignatii, Frater quidam Avila temporalis Coadjutor, qui ingressus est Societatem nostram post matrimonium ratum, Romæ solemniter professus est, ut matrimonium illius dirimeretur; cum tamen alias, juxta constitutiones nostras, Coadjutores temporales nunquam solemniter profiteantur.*

Num.XLIII. Verum oppositam sententiam in hac materia semper duxi veriorem quoties Ordinis sui usus invaluit, &c. Vasquez 1.2.*disp.*174.*n.*26. Navarr. *in Summ. cap.*23.*n.*36. Tambur.*tom.*2. *disp.*21.*n.*6. Vasco *v. Religio n.* 10. Sed Sanchez *lib.6.Summ.cap.* 2.*n.*11. asserit, aliter debere gerere se subditum cum Superiore præcipiente in falsa præsumptione fundato coram aliis; & aliter cum præcipiente, & pœnam statuente privatim: *Si in publico*, inquit, *tenetur subditus ad eam pœnam propter aliorum exemplum: si vero in altero casu, pœna non imponitur ad eorum exemplum, sed ad propriam correctionem, qua innocens non indiget.*

Num.XLIII. Exemplum valde accomodatum dat D. Bonaventura, &c. *In exposit.* Regulæ Fratrum Minorum: & quanquam S. Doctor *Cap.* 1. *versic. Vivendo in obedientia*, dicat, quosdam Religiosos esse, qui non tenentur obedire in excedentibus regulam, alios verò,

qui

qui in omnibus licitis obedire tenentur intelligendum, id quoad hoc, ut in quibusdam Religionibus ad plura se extendat obedientia, quam in aliis, ex earumdem legibus: cæterum doctrinam traditam propugnant Divus Thom. *2.2. q.104.art.5.ad 3.*D.Antonin.*3.p.tit.16.c.1.* Silvester *v.Religio q.6.* Navarr. *in Summ. cap.23.* Corduba *in expos.regul. D. Francisci 10.q.2.p.6.*

Num.XLIV. in fine. Id certe exploratissimum, in dubiis, potiorem esse possidentis hoc est Moderatoris conditionem, & disciplinæ regularis intendendos potius nervos imperio, quam socordia quadam laxãdos, &c. Cur possessio sit potius pro Superiore, quàm pro Subdito perspicue tradit Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 2. nu. 3.* in hunc modum. *In casu dubii an res sit licita, nec ne, est melior conditio Superioris, ut pote qui possessione suæ potestatis præcipiendi subdito, existit, qua spoliandus non est, nisi ubi constiterit, eum limites suæ potestatis excedere, rem illicitam præcipiendo, &c. & confirmatur, quia pro illo est vera possessio, pro quo est præsumptio juris, & in alterum, contra quem est ea præsumptio, transferens onus probandi exemptionis suæ, &c. Tertio quia potestas Superiorum est ad gubernandos subditos, ne errent, quæ gubernatio maxime in rebus dubiis est necessaria, nec tenentur Superiores reddere subditis rationem eorum, quæ jubent, &c.*

Num.LI. Cum de materia agatur, quæ religiosi status decentiam maxime probat, &c. Recidit in hoc idem, quod ex mente, & doctrina aliorum Theologorum adducit Sanchez *lib. 6. Summæ cap. 4. n. 22. Erit mortale,* inquit, *regulam transgredi, etiamsi ad nullam culpam, vel ad solam venialem obliget, quoties religiosus ideo eam violat, ut impediat quantum in se est finem illius legis: quod de præceptis etiam ad solum veniale obligantibus tradunt Cajetan. in Summa v. præcepti transgressio. Armilla v. Præceptum. Valent.1.2.disput. 7.q.5.p.6. & Vasquez dicens id esse verissimum 1.2.q.96. art.4. & reddit rationem Cajetanus, quia hic transgressor proportionaliter se habet ad finem præcepti, sicut qui transgreditur ex contemptu, se habet ad ipsum præceptum. Et licet ii Doctores non agant de regulis ad nullam culpam obligantibus; at*

eadem ratio militat in his.

Num.LIX. Ejusdem consuetudinis robore minim tutos in conscientia censerem Moderatores, aliosque quorum culpa lata saltem fieret, ne Divinum Officiur juxta morem, in publica Ecclesia, vel in Choro, &c Lezana in *Summa qq. Regular. cap.21.n.9.* hæc habet: *Tenentur prateterea omnes Ecclesiæ Regulares psallere quotidie in Choro Horas Canonicas. Ita habetur Clem. I. de Regularib. licet autem hoc præceptum obliget, unamquamque Religionem magis, vel minus, juxta modum sui Instituti, probabilissimu tamen est obligationem hanc esse sub mortali. Quia ita est communiter receptum. Suar.2.tom.de Relig.lib.4.de Horis Canoni cap.10. Cadit autem hæc obligatio præsertim in Prælatos Conventuum, Monasteriorum, seu Ecclesiarum Regularium, ut curent, quod ejus subditi satisfaciant huic muneri. Quia quoties obligatio aliqua cadit in corpus aliquod misticum, talis corporis capiti, seu Prælato incumbit curare ut adimpleatur.* Sua ibidem.

Num.LXII. Contra vero, absente à Regularibu concordia, infelicissimum vitæ genus, &c. Hieron. vel potius Author *Regulæ Monial.cap.1. Nulla vita*, inquit, *deterior, quam simul degere corpore, & non mente: & verè infelices sunt, quibus non inest una, sed diversa voluntas. Et habere poteritis Religionis propositum, si unanimes in Domo Dhabitetis.* Cassian. *collat. 16. cap. 8. Quemadmodum carnales adhuc, & imbecilles fratres ob vilem, terrenamque substantiam inimicus ille disiungit: ita etiam inter spirituales gignit pro intellectuum diversitate discordiam.* In Clem. *Dudum*, de sepulturis habemus: *dissentiones, & scandala pravis actibus aditum præparant, rancores, & odia suscitant, & illicitis moribus ansam præbent.* Huc facit maxime pro Regularibus quod Chrysostomus *Homil. 58.* inculcavit, si enim ait *Una mensa, & ministerium suscipientibus, & exhibentibus eadem fercula, eadem indumenta, habitacula eadem, eadem vita; & quid miraris, quod omnibus sit una dicta, vestis, & mensa, quippe cum omnibus sit una anima.*

IN-

INDEX

RERUM NOTABILIUM,

Quæ in hac Prima Parte continentur.

A

 causis

C

Con-

D. Do-

G

H

I

L

S

T

V.

V



NEAP. Ex Typographia Michaelis Aloysii Mutio.1713.
SUPERIORUM FACULTATE.

EX LIBRO PRIMO.


Pag.	*Errata.*	*Corrige.*
5	ægeſtas	egeſtas
7	vulgarium nominum	hominum
	in ſeipſos	in ſeipſis
14	ſudubitari	ſubdubitari
21	eorumdem	in eorumdem
24	in oſcitantiam	in oſcitantium
30	fontes	ſontes
44	dirempta	diremptæ
45	lib 21.	lib. 2.
53	quemobrem	quamobrem
60	Epiſcopo	Epiſcopo
66	Annit	Annuit
84	eidem intrationis	intentioni
72	tranſgreſſione	tranſgreſſione ſunt
86	quæ	qui
95	ut perinde	ut proinde

EX LIBRO SECUNDO.

Pag.	*Errata.*	*Corrige.*
99	Prudentiæ	Providentiæ
102	ſerius	ſecius
103	opprtunam	opportunam
106	ſecius	ſerius
112	peregerit, narrat	peregerit is, & narrat
113	pretendebat	protendebat
117	Carmelitarum	Mar-Servitarum
118	fuiſſe	feciſſe
119	ſublato	ſublaco
122	Vallis ombroſæ	Vallis umbroſæ
123	deſiderio	Deſiderio
134	delinivit	deliniret
137	attigenda	attingenda
140	Iſernenſem	Æſernenſem
152	perieruut	perierunt
154	Scholaſticæ e	Scholaſticæ

EX LIBRO TERTIO.

Pag.	*Errata.*	*Corrige.*
208	ex alios	ex alio
211	ſublata	ſublato
212	excipendo	excipiendo
213	liberras	libertas
217	adverſari	adverſari compertum
222	ſecordia	ſocordia
270	aut qnam excoluere	aut quem
241	Sanchez lib. 5.	lib. 7.
268	infingi	infringi
290	ſuorumque	ſuorum
309	in maxima veneratione	veneratione alios;



D

D. Do-

E

F

G

H

I

L

vitæ

S

T

V.

V



NEAP. Ex Typographia Michaëlis Aloysii Mutio. 1713.
SUPERIORUM FACULTATE.

EX LIBRO PRIMO.

Pag.	Errata.	Corrige.
5	ægestas	egestas
7	vulgarium nominum	hominum
	in seipsos	in seipsis
14	subdubitari	subdubitari
21	eorumdem	in eorumdem
24	in oscitantiam	in oscitantium
30	fontes	sontes
44	dirempta	diremptæ
45	lib 21.	lib. 2.
53	quamobrem	quamobrem
60	Episcopo	Episcopo
66	Annuit	Annuit
84	eidem intrationis	intentioni
72	transgressione	transgressione sunt
86	quæ	qui
95	ut perinde	ut proinde

EX LIBRO SECUNDO.

Pag.	Errata.	Corrige.
99	Prudentiæ	Providentiæ
102	ferius	fecius
103	opprtunam	opportunam
106	fecius	ferius
112	peregerit, narrat	peregerit is, & narrat
113	pretendebat	protendebat
117	Carmelitarum	Mar-Servitarum
118	fuisse	fecisse
119	sublato	sublaco
122	Vallis ombrosæ	Vallis umbrosæ
123	desiderio	Desiderio
134	delinivit	deliniret
137	attigenda	attingenda
140	Isernensem	Æsernensem
152	perieruut	perierunt
154	Scholasticæ e	Scholasticæ

EX LIBRO TERTIO.

Pag.	Errata.	Corrige.
208	ex alios	ex alio
211	sublata	sublato
212	excipendo	excipiendo
213	liberras	libertas
217	adversari	adversari compertum
212	fecordia	focordia
270	aut qnam excoluere	aut quem
241	Sanchez lib. 5.	lib. 7.
268	infingi	infringi
290	suorumque	suorum
309	in maxima veneratione	veneratione alios ;



